This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

13841. f. 25



Typus Basilicæ St.
Stephani
Autissiodorensis.

BREVIARIUM SANCTÆ AUTISSIODORENSIS ECCLESIÆ,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini D. Caroli de Caylus Autiſſiodorenſium Epiſcopi autoritate, & ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu editum.

PARS AUTUMNALIS.



PARISIIS,
Apud Bartholomæum Alix, Bibliopolam, via San-Jacobæa ſub ſigno Gryphi.

M. DCC. XXXVI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

CAROLUS
MISERATIONE DIVINA
AUTISSIODORENSIS
EPISCOPUS,
CLERO AUTISSIODORENSI
Salutem & Benedictionem in Chriſto Jeſu.

ANTIQUISSIMUM Nobis fuit ſtatim ab initio noſtri regiminis, Fratres cariſſimi, ut quod de corrigendis Libris Eccleſiaſticis, Tridentina Synodo aliiſque pluribus Conciliis, in hac etiam Provincia celebratis, placuit, id quamprimùm initâ cum viris doctis ratione ſuſciperemus. Conc. Provinc. Senon. habitum Pariſ. an. 1528. c. 21.

Donec autem propoſitum iſtud ad optatum finem perduceretur, Breviarium Senonenſe jam à temporibus felicis memoriæ HARDUINI Archiepiſcopi abſolutum, urgente in noſtra Diœceſi Librorum penuriâ, vobis utendum conceſſimus.

Novi interim Breviarii nova Senonis adornata eſt editio operâ & ſolicitudine Illuſtriſſimi Archipræſulis DIONYSII FRANCISCI, qui exquiſito quo pollet judicio & eruditione ſummâ, opus nonniſi omni ex parte completum prodire voluit. Ad hanc elucubrationem viros ex Eccleſia ſua pietate & doctrinâ præſtantiſſimos elegit, quorum ſtudio & induſtriâ, In Synod. an. 1717.

poſtquam res ratione certa Nobiſque probatiſſimâ progredi cœpit, labores noſtros adjicere viſum eſt, ut cùm Nobis idem omnino conſilium eſſet, unumque propoſitum, collatâ utrinque diligentiâ providentiùs & expeditiùs procurari poſſet. In quo, quanta ſit vis in conſenſu bonorum, eventus planè docuit. Conſpirantibus enim in eundem ſcopum è Clero noſtro peritioribus, qui vel à Nobis delecti, vel à venerabili Eccleſia noſtra Capitulo nominati ſunt, res eò demum perducta eſt, ut breviſſimo tempore, nec oneroſis impendiis, è Senonenſi Breviario formam divini Officii Eccleſia Autiſſiodorenſi propriam, ejuſque ritibus omnino accommodatam haberemus.

Jam ut hujus ratio vobis aliquatenus innoteſcat; qua via nobis trita, & quem ad finem collineatum ſit, decurſis breviter ſingulis partibus, non alienum erit exponere.

A Calendario, quaſi totius operis cardine auſpicati ſumus. In illo hac prima conſtituta eſt regula, ut nulli inveherentur Sancti, prater eos qui vel Eccleſia totius, vel univerſa Gallia, vel certè Provincia noſtra aut Diœceſis perpetuâ ſunt veneratione conſpicui, iique extraneis omnibus facilè praponerentur; pralucente nobis ad hanc proportionem & comparationem ipsâ Romanâ Eccleſiâ, in qua, teſtante Radulfo Tungrenſi, ſicut ſervantur ſancti Romani Pontifices, & alii Sancti urbis locales, ita perſpicuum eſt, in aliorum uſu ſervandos pariter unicuique Eccleſia Sanctos ſuos locales.

Radulf. de obſerv. Canonum, Prop. 22.

Altera lex placuit circa feſtos feriatoſque dies, primum honorem Dominicis, qui ſolemni religione Deo ipſi conſecrati ſunt, reſtitui, quem ab aliquot ſeculis ultra modum multiplicata aut evecta Sanctorum celebritates obſcuraverant. Quod ut diligentiùs obſervetur, hoc ipſum Dominica diei Officium, non niſi Chriſti myſteriis, aut pracipuis quibuſdam Solemnitatibus, in tota Eccleſia, vel Diœceſi noſtra antiquitus receptis concedere voluimus. Ceterorum autem Feſtorum tranſlationem, ad diem Dominicam nuperrimis diebus attentatam omnino prohibemus; in hoc utique Majorum uſus & inſtituta renovantes, qui in Synodo Moguntina Sanctorum ſolemnitates in diem Dominicam incidentes cenſuerunt ſubmovendas, & in Feriam aliquam..... transferendas, quò Sanctorum omnium domino ſua conſervetur ſolemnitas.

Can. 6.

Cùm etiam antiquitate regulari, praſertimque Conciliis Toletano, Laodiceno, Bracarenſi & aliis cautum ſit, ne inter luctuoſos Quadrageſimalis pœnitentia dies Sanctorum ſolemnia celebrentur; quacunque per illud tempus occurrunt, in aliud

Tolet. 10. c. 1. Can. 51. Can. 48.

tranſferri curavimus iis tantùm exceptis quæ feſtivantur à populo.

Denique de ritu modove qui ſingulis Officiis congrueret, & olim ex numero Lectionum æſtimabatur, ex antiquis item & ſolemnibus inſtitutis id viſum eſt, ut optima quæ ſimul ferè vetuſtiſſima ſunt tenerentur. Hinc aliquantò rariora quàm modernis temporibus fuerant, facta ſunt novem Lectionum Officia, quia ſic ab initio fuiſſe comperimus; ita tamen ut nullum Sancti cujuſquam Officium, etiam Simplex, ſuâ Lectione careret. Ceterùm in illis novem Lectionum Officiis, quintuplicem, ut pluribus abhinc ſeculis factum eſt, gradum retinentes, duplicem quoque in iis quæ trium Lectionum vulgò dicuntur ordinem ſervavimus; ſicque rei nomine mutato, rem ipſam illibatam cuſtodimus.

His ita ordinatis, ipſum Breviarii corpus quod ex tota Eccleſiaſticorum Officiorum ſerie coaleſcit, aggreſſi ſumus, in quibus cùm tripartita Veterum diviſio, quædam Laudi, alia Doctrinæ, cetera Precationi addixerit, ad ſingula ſigillatim animum, ut decebat, appulimus.

Pars Laudans, quæ prior occurrit, Pſalmis & Hymnis abſolvitur. In Pſalmodia id præ ceteris attentum eſt, ut brevis eſſet & æquabilis. Nimirum illa in parte hæc duo nobis conſideratè circunſpectèque propoſita ſunt, ut Pſalterium ſingulis Hebdomadis, ſecundùm priſcum Eccleſiæ morem, perpetuamque Patrum & Conciliorum mentem totum recitaretur, nec tamen certis diebus longiùs protraheretur Pſalmodia. Id ut commodiùs fieret, per majores Pſalmos, prout prolixiùs ſe habent, *ex preſcripto veteris Concilii Narbonenſis*, pauſationes *inſtituimus*, & per quamcunque pauſam, gloriam Trinitati decantandam *adjunximus. Neque enim tam vel unum vel prolixum in pſallendo tenorem quærit Deus, quàm ardentem & ſincerum affectum. Nec hujuſmodi compendio demptum aliquid ſolemni Precum aſſuetarum penſo putabimus, ſi quod breviùs canitur ampliùs meditantes, tantò ferventiùs, ut ait Apoſtolus, pſallitis* Deo in cordibus veſtris, *& fatiſcentis vocis imbecillitatem, interno minimèque ceſſante ſpiritûs præconio ſuſtentatis. Quam in rem plurimùm valere frequentiorem hanc Pſalmi cantûſque mutationem, probatâ familiarique experientiâ confirmat in Regulis fuſioribus S. Baſilius:* In perpetua enim, *inquit*, ſimilitudine & æqualitate rerum, animo, neſcio quo modo, torpedo quædam plerumque oboritur atque tædium, eâque re aliud agens ad futiles & vagas cogi-

An. 5 *Coloſſ.* *Reg. 1 diſp. terrog. 37.*

rationes aberrat; in crebra autem viciſſitudine varietateque Pſalmodiæ, & ſtudium ipſum renovatur, & attentio inſtauratur.

Non minor Nobis cura fuit de Hymnis, qui perinde ac Pſalmi, ad recinendas Deo laudes, aut celebranda Sanctorum geſta accommodati videntur. Horum plerique cùm rudiores eſſent, proviſum eſt ut in eorum locum alii meliùs elaborati ſubſtituerentur, in quibus ſic omnia pietatem ſpirarent, ut rerum majeſtati par ferè ſtyli nitor & venuſtas accederet. Hi per varia Sanctorum præſertim Officia diſperſi, tum ut eorum celebritatibus honos dignior haberetur, tum ut omnis metri cantus, tædii ſublevandi causâ, Fidelium ore perſonaret.

Alteram, ab Hymnis & Pſalmis, Officii divini partem, quæ Doctrinæ tota ſubſervit, conſtituunt Lectiones, ſive longiores illæ quæ in Nocturnis, ſive breviores quæ in Horis ceteris adhibentur, & Capitula dicuntur. Illæ cùm vel ex Scriptura ſacra, vel ex Scriptis Patrum, vel ex Hiſtoriarum monumentis petendæ eſſent, explorata ſatis principia poſita ſunt, quibus, cùm totam qualis ab initio fuit antiquitatis effigiem retinere non liceret, ſuggeſtum eſt tandem temperamentum, quo roboratos jam mores, cum priorum reliquiis componentes, novos ex veteribus inſtaurare, & veteres ex novis illuſtrare poſſemus.

Nec enim quantùm ad Lectiones ſumptas ex Bibliis attinet, propter longam conſuetudinem jam licet, quod tamen primùm
n. 6, à ſanctiſſimis Patribus inſtitutum *in prima Colonienſi Synodo traditur*, ut ſolæ Scripturæ ſacræ in Eccleſia recitentur; *ſed quod minimè juſtum erat, nec niſi per abuſum recentiorem inoleverat, ut quæ alia fortè legenda poſteriùs inducta ſunt, Veteris ac Novi Teſtamenti lectionem ſæpiùs interturbarent, ſalubri ordinatione ſublatum eſt, in poſterumque proſpectum, tum ne qua dies ſacra Paginæ lectione fraudaretur, tum ne ulla Lectio ex Scriptura deprompta, pauciſſimis exceptis, unquam omitteretur; tum denique ne in Lectionibus illis minutiora ſæpe nimiùm perſequendo, illuſtriora loca negligerentur, aut ſilentio premerentur.*

In hiſtoricis Lectionibus emendatione & paulò ſeveriore cenſurâ opus fuit. Cùm enim integræ Sanctorum Paſſiones ab Orthodoxis titulatæ ex ipſis Actorum fontibus, proximo poſt Scripturas loco legi cœpiſſent, mos bonus & priſcus, gliſcente ſenſim longæ Lectionis tædio, & quâdam aviditate rerum mirabilium, in hanc corruptelam degeneraverat, ut ex quacunque Hiſtoria, una jam aut altera periodus, modo quidpiam miri

haberet ad ſingulas Lectiones decantata ſufficeret. Quâ occaſione, quot fabulæ & portentoſa de Sanctis narrationes in multos Eccleſiarum libros irrepſerint, nullus ignorat. His ut occurreretur malis, & ſimul ipſa Breviarii ratio, quæ ſpeciatim huic operi ex ipſo nomine competit, ſervaretur, compendiariæ narrationes de vita & geſtis Sanctorum, longioribus antiquis, & juſtò brevioribus modernis Lectionibus ſuffecta ſunt. Ut autem nihil jam falſum & apocryphum ſupereſſet, & nec incertis aut dubiis locus eſſet, omnes aut ad primigeniorum Actorum fidem, aut ad Scriptorum coætaneorum vel ſuppariuni autoritatem, aut certè ad puriores Traditionis fontes exacta ſunt; ſicque antiquis regulis & Canonibus duplici in capite ſatisfactum quibus ſicut præcipitur ut è probatis Martyrum Paſſionibus Miſſæ, *vel Lectiones*, in ipſorum feſtivitatibus fiant, *ita diſtricte vetatur*, ne falſa nomina Martyrum, & incertas Sanctorum memorias Fideles venerentur.

Jam è ſanctorum Patrum ſinceris & indubitatis operibus, ubi vel hiſtorica narratio defuit, vel conſuetudo poſtulavit, tertii generis Lectiones deprompta ſunt, iiſque potiſſimùm ex locis, quæ vel lectis antea Scripturæ capitulis illuſtrandis, vel dogmatibus fidei ſtabiliendis, vel denique aut ad amorem Dei, aut ad Sanctorum imitationem inflammandis animis conducere magìs viſa ſunt, quod in tali opere, in quo brevitas ex profeſſo primas tenet, ſummum deſiderari, & certè præſtari potuit unicum.

(Caſ. in re. ad V num. item relia Are. reg. 40. pit. C magi lib. xl. Conci Afri can.)

Quia verò ad faciendam Religionis noſtræ fidem, informandoſque mores, non minùs momenti habent Conciliorum Canones, quàm ipſa Scriptura, Patrumque monumenta; nec ulli Sacerdotum, *juxta Siricium papam*, eoſdem ignorare permittitur, *ex illis quoque brevis Lectio ad Primam quotidie, ex conſuetudine quæ olim in Eccleſia noſtra viguit, & in pleriſque Regni Cathedralibus adhuc obtinet, aſſignata eſt; tum ut hæc priora, quæ duo veluti virtutis & ſcientiæ primarii fontes habentur, non ſine illo tertio legum Eccleſiaſticarum fonte & capite in Officia noſtra dimanarent, tum ut homini Deo dicato nihil omnino deſit, quominus ad omnia vitæ Chriſtianæ munia conſummatus ſit, cumulatèque inſtructus.*

(Epiſt. num.)

Reſtabat ut Reſponſoria quæ Lectionibus per unum decantatis, & Antiphonæ quæ Pſalmis alterno cantu decurſis, ab omnibus accini ſolent, eâdem diligentiâ tractarentur. Hæc ad partem Officii docentem ſuo quoque jure referri poſſunt. Sunt enim in his omnia nata & aptata, ut quod in Pſalmis & Lectioni-

bus prævüs præcipuum eminet, in animum traducant & altiùs inſigant : ideoque pertinent ad omnem Canentium cœtum. Quare partes illæ Officii neceſſariò pendent ab aliis ad quas referuntur. Cùm autem ad illarum materiem, multa præclara imò & egregia prior Breviarii Senonenſis ſuppeditaret editio, ita tamen ut inter illas non ſcrupuloſior ſervatus ſit ordo vel œconomia ; certum Officii intentum oportuit aſſequi, ad quod tum Officia integra, tum ſingula eorum partes dirigerentur; ut tam in toto quàm in partibus prima extremis, extrema primis quaſi demenſa & paria reſponderent, nec quidpiam occurreret, quod non appoſitè, ſuoque loco & ordine eſſet collocatum. Id certè ſingulari cautela obſervatum, ut ultima Nocturnorum Lectio, ſi quando peculiaris eſſet, peculiare quoque haberet Réſponſorium.

Ceterùm ut in hujuſmodi Reſponſoriis, Verſibus & Antiphonis, nihil poneretur quod non ex Scriptura ſacra deſcriptum eſſet, attentiùs etiam retineri viſum eſt. Hoc namque, *ut ante annos nongintos ſcripſit Lugdunenſis Eccleſia ſpectatiſſimus Præſul Agobardus*, & fidei cautela, & ſinceriſſimæ obſervantiæ poſcit diſciplina, ut in templo Dei, & coram divino altari, divinorum tantùm melodia celebretur. *In adhibendis autem ad hæc omnia ſacræ Scripturæ teſtimoniis, ſimplex & unius modi, quantùm fieri potuit, methodus ſervata eſt, & vitata omnis curioſior affectatio. Quare illa etiam cautio adhibita eſt, ut non plura ſimul Scripturæ loca texta vel ſuta operoſiùs permiſcerentur, nec leviori quidem vel generis, vel caſûs, vel etiam temporis mutatione delibarentur, ſed ſeparatim ipſa cujuſque ſententiæ verba, ut in ſuis locis ſunt, exſcriberentur ; omnia verò non contorta aut violentâ interpretatione, ſed vel nativo ſenſu, vel eo ſaltem qui à Sanctis Patribus communiter receptus eſſet, ad propoſitum in unoquoque Officio ſcopum adducerentur. Excipi tamen aliquatenus ab hac regula longiora Nocturnorum Reſponſoria opus fuit. In iis quippe id primariò attendendum duximus, ut Vetus cum Novo Teſtamento componeretur, veritas conſonaret figuræ, prophetiam comprobaret eventus, & quæ in antiqua lege adumbrata tantùm ac veluti delineata ſunt, in nova tandem completa ac perfecta demonſtrarentur. Sic autem temperata eſt ea conjunctio, ut cùm Reſponſoriorum una pars ex Veteri, altera ex Novo Teſtamento conflata ſit, non interrupta tamen aut pendula in alterutra parte hiet ſententia, ſed unaquæque primùm in ſe, ac deinde cum altera comparata pleno ſenſu ſubſiſtat ; unde vario ex aſpectu, multiplex quoque commiſſura nexus*

apparet, & ex toto melior & perfectior conſurgit harmonia.

Tertia & poſtrema pars Officii Precationi tota dedita, Litaniâ ſive ſupplicatione compleri ſolet. Hac ad majores Horas, in jejuniis ſaltem, alternis Verſibus longiuſculis protrahitur, qui ſubmoti Dominicis Feſtiſque diebus, ſtatim Collectæ ſive Orationi dant locum. Quæ quidem Orationes pro diverſitate Officiorum variantur, pauciſſimiſque exceptis, depromuntur aut ex Romanis, aut ex Gallicanis antiquis Sacramentariis. Breves illæ quidem, ſed variis tum Eccleſiæ univerſæ, tum Fidelium ſingulorum neceſſitatibus, tum myſteriis ipſis, tum Sanctis accommodatæ.

Breviarium igitur hoc noſtrum Antiſſiodorenſe ita emendatum, de conſilio & conſenſu venerabilis Eccleſiæ noſtræ Capituli publicamus.

QUOCIRCA omnibus & ſingulis noſtræ Diœceſeos Eccleſiis, Capitulis, Paſtoribus, Monaſteriis, Collegiis, Communitatibus, Sodalitatibus, & aliis Clericis Nobis ſubditis, ad divinum ſive publicè ſive privatim aſtrictis Officium, Mandamus & Præcipimus, ut in poſterum hoc Breviario noſtrâ autoritate edito utantur; prohibemuſque ne aliud quodvis Breviarium, ſive publicè in Choro, ſive privatìm extra Chorum recitare præſumant.

Unum ſupereſt, quod etiam in Officio noſtro præcipuum ducimus, hortari videlicet vos, Fratres cariſſimi, ut quantò Breviarium hoc rerum pondere gravius, ſermone eruditius, ordine accuratius, uſu facilius & expeditius eſt, tantò impenſius ipſi adhibeatis in recitatione pietatem, in attentione fervorem, in affectu caritatem, quam decet eos quos Domino non Pſallere ſæpiùs tantùm, ſed pſallere ſapienter, Pſalmiſta jubet: quæ duo, Auguſtino teſte, tum demum implentur, cùm lumen cordis continuato deſiderio quæritur. Continuum enim deſiderium, continua vox eſt. Tacebis ſi amare deſtiteris. Frigus caritatis, ſilentium cordis eſt; flagrantia caritatis, clamor cordis eſt... Ad Deum cùm oramus, corde clamandum eſt. *Nos ut eum ametis perpetuò, ac laudetis, à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, in Spiritu-ſancto ardenter poſtulamus. Datum Autiſſiodori in Palatio noſtro Epiſcopali, die vigeſimâ quintâ Novembris, anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto.*

S. … Enar Pſ. … num. Idem Pſ. … Serm

† CAROLUS, Epiſcopus Autiſſiodorenſis.

De Mandato,
LE TELLIER.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini	*Aureus Nu.*	*Epacta.*	*Indictio.*	*Lit Domin.*	*Lit M.*	*Ordo dierum.*	*Dom. poſt Epip.*	*Septuageſima.*	*Dies Cinerum.*
1736	8	xvij	14	A g	l	11	3	29. Jan.	15. Febr.
1737	9	xxviij	15	f	M	31	5 †	17.Feb.	6. Mart.
1738	10	ix	1	e	i	16	3 †	2.Feb.	19. Febr.
1739	11	xx	2	d	A	8	2 †	25. Jan.	11. Febr.
1740	12	j	3	c b	a	27	5 †	14.Feb.	2. Mart.
1741	13	xij	4	A	m	12	3	29. Jan.	15. Febr.
1742	14	xxiij	5	g	D	4	2	21. Jan.	7. Febr.
1743	15	iv	6	f	d	24	4 †	10.Feb.	27. Febr.
1744	16	xv	7	e d	q	15	3 †	2.Feb.	19. Febr.
1745	17	xxvj	8	c	G	28	5 †	14.Feb.	3. Mart.
1746	18	vij	9	b	g	20	4 †	6.Feb.	23. Febr.
1747	19	xviij	10	A	t	12	3	29. Jan.	15. Febr.
1748	1	xxx	11	g f	P	24	5	11.Feb.	28. Febr.
1749	2	xj	12	e	l	16	3 †	2.Feb.	19. Febr.
1750	3	xxij	13	d	C	8	2 †	25. Jan.	11. Febr.
1751	4	iij	14	c	c	21	4 †	7.Feb.	24. Febr.
1752	5	xiv	15	b A	p	12	3	30. Jan.	16. Febr.
1753	6	xxv	1	g	F	32	6	18.Feb.	7. Mart.
1754	7	vj	2	f	f	24	4 †	10.Feb.	27. Febr.
1755	8	xvij	3	e	ſ	9	2 †	26. Jan.	12. Febr.
1756	9	xxviij	4	d c	M	28	5 †	15.Feb.	3. Mart.
1757	10	ix	5	b	i	20	4 †	6.Feb.	23. Febr.
1758	11	xx	6	A	A	5	2	22. Jan.	8. Febr.
1759	12	j	7	g	a	25	5	11.Feb.	28. Febr.
1760	13	xij	8	f e	m	16	3 †	3.Feb.	20. Febr.
1761	14	xxiij	9	d	D	8	2 †	25. Jan.	11. Febr.
1762	15	iv	10	c	d	21	4 †	7.Feb.	24. Febr.
1763	16	xv	11	b	q	13	3 †	30. Jan.	16. Febr.
1764	17	xxvj	12	A g	G	32	6	19.Feb.	7. Mart.
1765	18	vij	13	f	g	17	3 †	3.Feb.	20. Febr.
1766	19	xviij	14	e	t	9	2 †	26. Jan.	12. Febr.
1767	1	xxx	15	d	P	29	5 †	15.Feb.	4. Mart.
1768	2	xj	1	c b	l	13	3 †	31. Jan.	17. Febr.
1769	3	xxij	2	A	C	5	2	22. Jan.	8. Febr.
1770	4	iij	3	g	c	25	5	11.Feb.	28. Febr.

MULTORUM ANNORUM.

Anni Domini.	*PASCHA.*	*Aſcenſio Domini.*	*Pentecoſte.*	*Solemnit. SS. Euchariſtiæ.*	*Dom. poſt Pent.*	*Domin. prima Advent.*
1736	1. April.	10. Maii.	20. Maii.	31. Maii.	27	2. Dec.
1737	21. April.	30. Maii.	9. Junii.	20. Junii.	24	1. Dec.
1738	6. April.	15. Maii.	25. Maii.	5. Junii.	26	30. Nov.
1739	29. Mart.	7. Maii.	17. Maii.	28. Maii.	27	29. Nov.
1740	17. April.	26. Maii.	5. Junii.	16. Junii.	24	27. Nov.
1741	2. April.	11. Maii.	21. Maii.	1. Junii.	27	3. Dec.
1742	25. Mart.	3. Maii.	13. Maii.	24. Maii.	28	2. Dec.
1743	14. April.	23. Maii.	2. Junii.	13. Junii.	25	1. Dec.
1744	5. April.	14. Maii.	24. Maii.	4. Junii.	26	29. Nov.
1745	18. April.	27. Maii.	6. Junii.	17. Junii.	24	28. Nov.
1746	10. April.	19. Maii.	29. Maii.	9. Junii.	25	27. Nov.
1747	2. April.	11. Maii.	21. Maii.	1. Junii.	27	3. Dec.
1748	14. April.	23. Maii.	2. Junii.	13. Junii.	25	1. Dec.
1749	6. April.	15. Maii.	25. Maii.	5. Junii.	26	30. Nov.
1750	29. Mart.	7. Maii.	17. Maii.	28. Maii.	27	29. Nov.
1751	11. April.	20. Maii.	30. Maii.	10. Junii.	25	28. Nov.
1752	2. April.	11. Maii.	21. Maii.	1. Junii.	27	3. Dec.
1753	22. April.	31. Maii.	10. Junii.	21. Junii.	24	2. Dec.
1754	14. April.	23. Maii.	2. Junii.	13. Junii.	25	1. Dec.
1755	30. Mart.	8. Maii.	18. Maii.	29. Maii.	27	30. Nov.
1756	18. April.	27. Maii.	6. Junii.	17. Junii.	24	28. Nov.
1757	10. April.	19. Maii.	29. Maii	9. Junii.	25	27. Nov.
1758	26. Mart.	4. Maii.	14. Maii.	25. Maii.	28	3. Dec.
1759	15. April.	24. Maii.	3. Junii.	14. Junii.	25	2. Dec.
1760	6. April.	15. Maii.	25. Maii.	5. Junii.	26	30. Nov.
1761	29. Mart.	7. Maii.	17. Maii.	28. Maii.	27	29. Nov.
1762	11. April	20. Maii.	30. Maii.	10. Junii.	25	28. Nov.
1763	3. April.	12. Maii.	22. Maii.	2. Junii.	26	27. Nov.
1764	22. April.	31. Maii.	10. Junii.	21. Junii.	24	2. Dec.
1765	7. April.	16. Maii.	26. Maii.	6. Junii.	26	1. Dec.
1766	30. Mart.	8. Maii.	18. Maii.	29. Maii.	27	30. Nov.
1767	19. April.	28. Maii.	7. Junii.	18. Junii.	24	29. Nov.
1768	3. April.	12. Maii.	22. Maii.	2. Junii.	26	27. Nov.
1769	26. Mart.	4. Maii.	14. Maii.	25. Maii.	28	3. Dec.
1770	15. April.	24. Maii.	3. Junii.	14. Junii.	25	2. Dec.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit : an. *ſignificat anno* ; c. an. *circa annum* ; ſ. *ſeculo* ; c. init. ſ. *circa initium ſeculi* ; c. med. ſ. *circa medium ſeculi* ; c. fin. ſ. *circa finem ſeculi.*

Feſta quæ majuſculis notantur characteribus , feriantur apud populum.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis		JANUARIUS.
xxx	A	Cal.	1	*CIRCUNCISIO DOMINI*, Impoſitio Nominis Jeſu , & Octava Nativitatis ejus , *Semiſolemne. Commemoratio* Octavæ S. Stephani.
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani protomartyris , *Duplex-majus.*
xxviij	c	iij	3	Genovefæ virginis Pariſienſis , *Duplex-minus : c. an.* 512.
xxvij	d	Prid.	4	Titi , Cretenſis epiſcopi, *Semiduplex : I. ſ.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ Domini , *ſine jejunio : commem.* S. Simeonis Stylitæ anachoretæ prope Antiochiam : *c. an.* 460.
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI , *Solemne.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
xxiij	A	vj	8	Joſeph , ſponſi B. M. V. *Duplex-minus : I. ſ. commem.* Octavæ Epiphaniæ.
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ.
xxj	c	iv	10	De Octava Epiph. *commem.* S. Pauli , primi eremitæ Thebaïdis : *c. an.* 341.
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ.
xix	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ , & Baptiſmus Domini , *Duplex-majus.*
xvij	g	xix	14	Hilarii , Pictavienſis epiſcopi , & Eccleſiæ doctoris , (è die 13.) *Duplex-minus : c. an.* 367. *commem.* S. Felicis preſbyteri Nolani , & confeſſoris Chriſti : *c. an.* 265.
xvj	A	xviij	15	Guillelmi , Bituricenſis epiſcopi , *Semiduplex : an.* 1208. *commem.* S. Mauri , Glannofolienſis abbatis : *c. fin. VI. ſ.*
xv	b	xvij	16	
xi	c	xvj	17	Antonii Ægyptii , abbatis , *Semiduplex :*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
				an. 356. *commem.* SS. Speuſippi, Eleoſippi, & Melaſippi, fratrum; ac S. Leonillæ eorum aviæ, Cappadocum martyrum: *c. III. ſ.*
xiij	d	xv	18	Pontificatus, ſeu Cathedra S. Petri apoſtoli, quâ Antiochiæ primùm ſedit, deinde Romæ, *Duplex minus.* *Prima Septuageſima.*
xij	e	xiv	19	
xj	f	xiij	20	Sebaſtiani, Romæ martyris, *Duplex-minus: c. an.* 288. *commem.* S. Fabiani papæ & martyris: *an.* 250.
x	g	xij	21	Agnetis, Romæ virginis & martyris, *Semiduplex: c. an.* 304.
ix	A	xj	22	Vincentii, Cæſarauguſtani diaconi, Valentiæ in Hiſpania martyris, *Duplex-minus: an.* 304.
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſini epiſcopi & martyris, *Semiduplex: c. an.* 97.
vj	d	viij	25	Converſio S. Pauli apoſtoli, *an.* 34. *vel* 35. *Dupl. min. commem.* S. Præjecti, Claromontani epiſc. & mart. *an.* 674.
v	e	vij	26	Polycarpi, Smyrnenſis epiſcopi & martyris, *Semiduplex: c. med. II. ſ.*
iv	f	vj	27	
iij	g	v	28	
ij	A	iv	29	Franciſci Saleſii, Genevenſis epiſcopi, (è 28. Dec.) *Semiduplex: an.* 1622.
i	b	iij	30	Bathildis reginæ Francorum, viduæ, *Simplex: c. an.* 680. *commem.* S. Aldegundis virginis, abbatiſſæ Malbodienſis: *c. an.* 684.
xxx	c	Prid.	31	

FEBRUARIUS.

xxix	d	Cal.	1	Ignatii Antiocheni epiſcopi & martyris, (è 20. Dec.) *Semiduplex: an.* 107.
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, & PURIFICATIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxvij	f	iij	3	Blaſii, Sebaſteni epiſcopi & martyris; *Simplex : c. an. 316.*
25. xxvj	g	Prid.	4	Alexandri, primi ſubdiaconi Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, & ſocii S. Peregrini, *Semiduplex c. init. IV. ſ.* *Prima dies Cinerum.*
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catanenſis virginis & martyris, *Simplex : c. an.* 251.
xxiij	b	viij	6	Vedaſti, Atrebatenſis epiſcopi, *c. an.* 540. & Amandi, Trajectenſis epiſcopi, *c. an.* 684. *Simplex.*
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	
xix	f	iv	10	Scholaſticæ, Caſſinenſis virginis, *Commemoratio : c. an.* 543.
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuageſima.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno biſſextili.*
v	f	vj	24	Matthiæ apoſtoli, *Duplex-majus : I. ſ.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	Agricolæ, Nivernenſis epiſcopi, *Commemoratio : c. an.* 594.
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum S. Matthiæ celebratur 25. die Februarii, & bis dicitur, *ſexto Calendas*, id eſt, 24. & 25. Littera

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
				autem Dominicalis, quæ aſſumpta fuit menſe Januario, mutatur in præcedentem; ut, ſi in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ eſt g; & ſic de aliis.
				MARTIUS.
xxx	d	Cal.	1	Albini, Andegavenſis epiſcopi, *Commemoratio: an.* 550.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	Camillæ virg. in territorio Autiſſiodorenſi, *Commemoratio: V.ſ.*
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ & Felicitatis, Carthaginenſium martyrum, *Commemoratio: c. an.* 203.
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paſchale.*
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	*Ultima dies Cinerum.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patricii, Hibernorum apoſtoli, ac diſcipuli SS. Amatoris & Germani, *Commem. c. an.* 460.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Primum Paſcha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO & INCARNATIO DOMINI, *Solemne.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	Romuli abbatis Saxiaci in Diœceſi

				Simplex : c. an. 316.
25. xxvj	g	Prid.	4	Alexandri, primi ſubdiaconi Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, & ſocii S. Peregrini, *Semiduplex c. init. IV. ſ.* *Prima dies Cinerum.*
xxv.xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catanenſis virginis & martyris, *Simplex : c. an. 251.*
xxiij	b	viij	6	Vedaſti, Atrebatenſis epiſcopi, *c. an.* 540. & Amandi, Trajectenſis epiſcopi, *c. an. 684. Simplex.*
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	
xix	f	iv	10	Scholaſticæ, Caſſinenſis virginis, *Commemoratio : c. an. 543.*
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuageſima.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris* [illegible] *duæ in anno* [illegible] *ſextili.*
v	f	vj	24	Matthiæ apoſ[illegible] *: I. ſ*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	[illegible] epiſco[illegible] *an. 594.*
ij	b	iij	27	
j	c	Pri[illegible]		

[illegible] bruarius eſt d[illegible] Matthiæ celeb[illegible] [illegible]ii, & bis dicit[illegible] id eſt, 24. & 25. Lit[illegible]

rini, Autiſſio-
mi epiſcopi, &
miduplex: an.
tropii, Santo-
yris. III. ſ.

S.

æi) APOSTO-
: I. ſ.
is epiſcopi, (è
418. commem.
rii & Sanctini,
yterorum: VI.

326. Duplex-
andri papæ &
Tranſlationis
nſis preſbyte-
nſis diaconi:

. & Eccleſiæ
ius: an.373.
leſiæ Autiſ-
emiduplex:

ſtæ, ante
c. an. 95.
iſcopi, Se-

pi, Semi-

tinopoli-
toris, Se-

5.) Semi-

mmemora-

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
iij	c	v	28	Autiſſiod. *Commem. V. vel VI. ſ.*
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
xxx	f	Prid.	31	

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxix	g	Cal.	1	Mariæ Ægyptiæ, pœnitentis, *Commemoratio : c. an.* 421. *vel* 432.
xxviij	A	iv	2	
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, *Dupl. maj. an.* 397.
xxv.xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paſchale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	Mariani, Autiſſiodorenſis monachi, *Semiduplex : c. fin. V. ſ.*
viij	f	xj	21	Mamertini, Autiſſiodorenſis abbatis, *Semiduplex : poſt med. V. ſ.*
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii martyris in Oriente, *Commemoratio : III. vel IV. ſ.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci Evangeliſtæ, *Dupl. maj. c. an.* 68. *Ultimum Paſcha.*
iij	d	vj	26	Cleti papæ & martyris, *Commemoratio : c. an.* 90.
ij	e	v	27	

Tranſlatio

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
j	f	iv	28	
xxx	g	iij	29	
xxix	A	Prid.	30	Tranſlatio capitis S. Peregrini, Autiſſiodorenſium apoſtoli, primi epiſcopi, & martyris, (è 1. Maii) *Semiduplex : an.* 1715. *commem.* S. Eutropii, Santonenſis epiſcopi & martyris. *III. ſ.*

MAIUS.

xxviij	b	Cal.	1	PHILIPPI & JACOBI (Alphæi) APOSTOLORUM, *Duplex-majus : I. ſ.*
xxvij	c	vj	2	Amatoris, Autiſſiodorenſis epiſcopi, (è 1.) *Duplex-majus : an.* 418. *commem.* Tranſlationis SS. Memorii & Sanctini, Autiſſiodorenſium preſbyterorum : *VI. vel VII. ſ.*
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *c. an.* 326. *Duplex-majus : commem.* S. Alexandri papæ & martyris : *c. an.* 119. ac Tranſlationis SS. Euſebii, Autiſſiodorenſis preſbyteri, & Aviti, Autiſſiodorenſis diaconi : *VII. vel VIII. ſ.*
25. xxv	e	iv	4	Athanaſii, Alexandrini epiſc. & Eccleſiæ doctoris, (è 2.) *Duplex-minus : an.* 373.
xxiv	f	iij	5	Joviniani, primi lectoris Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, & martyris, *Semiduplex : c. an.* 304.
xxiij	g	Prid.	6	Joannis apoſtoli & evangeliſtæ, ante portam Latinam, *Semidupl. c. an.* 95.
xxij	A	Non.	7	Valeriani, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex : c. an.* 360.
xxj	b	viij	8	Eladii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex : c. an.* 385.
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Conſtantinopolitani epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, *Semiduplex : an.* 391.
xix	d	vj	10	Hilarii, Arelatenſis epiſcopi (è 5.) *Semiduplex : an.* 449.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Pancratii martyris, *Commemoratio : c. an.* 304.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xvj	g	iij	13	Marcelliani, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex : c. an.* 330.
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	PEREGRINI, AUTISSIODORENSIUM APOSTOLI & PRIMI EPISCOPI, ac MARTYRIS, *Solemne : c. an.* 304.
xij	d	xvj	17	De Octava S. Peregrini.
xj	e	xv	18	Corcodomi, primi diaconi Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, & ſocii S. Peregrini, *Semiduplex : poſt init. IV. ſ. commem.* Octavæ S. Peregrini, ac S. Eugeniæ virginis & martyris, (è 25. Dec.) *obiit c. an. 259. tranſlat. X. ſ.*
x	f	xiv	19	De Octava S. Peregrini.
ix	g	xiij	20	De Octava S. Peregrini. *comm.* S. Baudelii, Nemauſenſis martyris, *III. vel IV. ſ.* & S. Auſtregiſili, Bituricenſis epiſcopi, *an.* 624.
viij	A	xij	21	De Octava S. Peregrini, *comm.* S. Vallis, Autiſſiod. preſbyteri : *V. vel VI. ſ.*
vij	b	xj	22	Romani ſolitarii in territorio Autiſſiodorenſi, *Semiduplex : c. VI. ſ. commem.* Octavæ S. Peregrini, & S. Helenæ, Autiſſiodorenſis virginis, *c. init. V. ſ.*
vj	c	x	23	Octavá S. Peregrini, *Duplex-minus : commem.* S. Deſiderii, Lingonenſis epiſcopi & martyris, *c. IV. ſ.*
v	d	ix	24	Donatiani & Rogatiani, Nannetenſium martyrum, *Commemoratio : c. fin. III. ſ.*
iv	e	viij	25	Urbani papæ & martyris, *Commemoratio : c. an.* 230.
iij	f	vij	26	Priſci, & ſociorum ejus, martyrum in territorio Autiſſiodorenſi, *Duplex-majus : c. an.* 274.
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
xxx	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxviij	d	Prid.	31	¶ *Dominicâ I. poſt Pentecoſten, fit Feſtum* SS. TRINITATIS, *Semiſolemne.*

JUNIUS.

xxvij	e	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunenſis epiſcopi, Blandinæ virginis, & ſociorum martyrum Lugdunenſium, *Semiduplex : anno* 177. *commem.* SS. Marcellini preſbyteri, & Petri exorciſtæ, Romanorum martyrum : *c. an.* 304.
xxv.xxiv	g	iij	3	Clotildis reginæ Francorum, viduæ, *Semiduplex : c. an.* 540.
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viij	6	Claudii, Veſuntini epiſc. *Semid. an.* 581.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomenſis epiſcopi, *c. an.* 545. & Gildardi, Rotomagenſis epiſcopi, *c. an.* 529. *Simplex.*
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	Cenſurii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex, c. an.* 502.
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium apoſtoli, *Duplex-minus : I. ſ.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	
xiij	d	xviij	14	Baſilii magni, Cæſarienſis in Cappadocia epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, *Semiduplex : ordinat. hâc die, an.* 370. *obiit* 1. *Januar. an.* 379.
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ matris ejus, Tarſi in Cilicia martyrum, *Semiduplex : c. an.* 305. *comm.* S. Felicis pueri, martyris in territorio Autiſſiodorenſi : *V. ſ.*
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervaſii & Protaſii, Mediolanenſium martyrum, *Semiduplex : I. ſ.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
vij	e	xiij	20	Marini, Autiſſiodorenſis preſbyteri, *Commemoratio : VII. ſ.*
vj	f	xij	21	Victoris, Maſſilienſis martyris, *Simplex : c. an. 290. vel 303.*
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex-minus : I. ſ.*
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravennatum epiſcopi, & confeſſoris Chriſti, *Commemoratio : I. vel II. ſ.*
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	Jacobi (Zebedæi) apoſtoli, *Duplex-majus : c. 30. Mart. an.* 44. *commem.* S. Chriſtophori martyris, *III. ſ.*
j	d	vij	26	Annæ matris B. Mariæ virginis, *Duplex-minus.*
xxx	e	vj	27	Etherii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Simplex : c. an.* 571.
xxix	f	v	28	Nazarii & Celſi, Mediolanenſium martyrum, *Commem. I. vel II. ſ.*
xxviij	g	iv	29	Lupi, Trecenſis, epiſcopi, *Semiduplex : an.* 478. *commem.* SS. Mariæ & Marthæ Chriſti hoſpitarum : *I. ſ.*
xxvij	A	iij	30	Urſi, Autiſſiod. epiſc. *c. an.* 508. & Palladii; Autiſſiod. epiſc. *tranſlat. hâc die an.* 945. *obiit* 10. *April. an.* 657. *Semid.*
xxvj	b	Prid.	31	TRANSITUS S. GERMANI, AUTISSIODORENSIS EPISCOPI, *Solemne : an.* 448.

AUGUSTUS.

xxiv	c	Cal.	1	Petri ad vincula, *Duplex-minus : menſe Aprili, c. an.* 44. *commem.* Octavæ S. Germani, ac SS. Septem Fratrum Machabæorum, & eorum matris, martyrum : *c. an.* 167. *ante Chriſtum natum.*
xxiij	d	iv	2	De Octava S. Germani : *commem.* S. Stephani I. papæ & martyris, *an.* 257.
xxij	e	iij	3	REVELATIO ſeu INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI DIACONI & PROTOMARTYRIS, JEROSOLYMIS, *Annuale* in Urbe & Suburbiis; in aliis Eccleſiis *Semiſolemne : 19. Dec.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
				an. 415. [*Extra Urbem & Suburbia non eſt de præcepto quoad ceſſationem operis.*] *commem.* Octavæ S. Germani.
xxj	f	Prid.	4	Xyſti II. papæ & martyris, (è 6.) *Semiduplex: an.* 258. *commem.* Octavarum S. Stephani, & S. Germani.
xx	g	Non.	5	Euſebii, Vercellenſis epiſcopi, & confeſſoris Chriſti, (è 1.) *Semiduplex: c. an.* 370. *commem.* Octavarum S. Stephani, & S. Germani; ac S. Caſſiani, Auguſtodunenſis epiſcopi: *IV. ſ.*
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *Duplex-majus: c. an.* 32. *commem.* Octavarum S. Stephani, & S. Germani.
xviij	b	vij	7	Octava Tranſitûs S. Germani, *Duplex-minus: commem.* Octavæ S. Stephani.
xvij	c	vj	8	De Octava S. Stephani.
xvj	d	v	9	Octava S. Stephani protomartyris: in Urbe & Suburbiis *Duplex-majus*; in aliis Eccleſiis *Semiduplex: commem.* Vigiliæ S. Laurentii *ſine jejunio*; ac S. Romani, Romæ martyris; *an.* 258.
xv	e	iv	10	Laurentii, Romani Diaconi & martyris, *Duplex-majus: an.* 258.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	Prid.	12	
xij	A	Idib.	13	Radegundis, reginæ Francorum, viduæ, *Commemoratio: an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Annuale*, I. *ſ.*
ix	d	xvij	16	De Octava Aſſumptionis: *comm.* S. Rochi apud montem Peſſulanum: *XIV. ſ.*
viij	e	xvj	17	De Octava Aſſumptionis: *commem.* S. Mamantis, Cæſareæ in Cappadocia martyris: *c. an.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava Aſſumptionis.
vj	g	xiv	19	De Octava Aſſumptionis.
v	A	xiij	20	Bernardi, primi abbatis Claravallenſis, & Eccleſiæ doctoris, *Duplex-majus: an.* 1153. *commem.* Octavæ Aſſumptionis;

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				& S. Filiberti abbatis : *circa an.* 684.
iv	b	xij	21	Regnoberti, Bajocenſis epiſcopi, *Semiduplex : VII. ſ. commem.* Octavæ Aſſumptionis.
iij	c	xj	22	Octava Aſſumptionis B. Mariæ virginis, *Duplex-majus.*
ij	d	x	23	Symphoriani, Auguſtodunenſis martyris, (è 22.) *Semiduplex : c. an.* 179. *commem.* S. Urſicini, Autiſſiodorenſis clerici, & diſcipuli S. Germani : *V. ſ.*
j	e	ix	24	Bartholomæi apoſtoli, *Duplex-majus : I. ſ.*
xxx	f	viij	25	Ludovici IX. regis Franciæ, *Duplex-majus : an.* 1270.
xxix	g	vij	26	Eleutherii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex : c. an.* 561.
xxviij	A	vj	27	
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, *Duplex-majus : an.* 430. *commem.* S. Juliani, Brivatenſis martyris, *III. vel IV. ſ.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis-Baptiſtæ, *Duplex-minus : c. an.* 32.
25. xxv	d	iij	30	Fiacrii, Brigenſis ſolitarii, *Commemoratio : c. an.* 670.
xxiv	e	Prid.	31	Optati, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Semiduplex : c. an.* 532.
				SEPTEMBER.
xxiij	f	Cal.	1	Lupi, Senonenſis epiſcopi, *Simplex : an.* 623. *commem.* S. Ægidii abbatis in Occitania : *c. an.* 547.
xxij	g	iv	2	
xxj	A	iij	3	Gregorii papæ, & Eccleſiæ doctoris, *Duplex-majus : ordinat. hâc die, an.* 590. *obiit* 12. *Mart. an.* 604.
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Reginæ, Aleſiæ virginis & martyris, *Commemoratio : c. IV. ſ.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne.*
xv	g	v	9	De Octava Nativitatis B. M. V.
xiv	A	iv	10	De Octava Nativitatis B. M. V.
xiij	b	iij	11	De Octava Nativitatis B. M. V.
xij	c	Prid.	12	De Octava Nativitatis B. M. V.
xj	d	Idib.	13	De Octava Nativitatis B. M. V.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, *Duplex-majus:* imperante Conſtantino, *an.* 326. imperante Heraclio, *an.* 629. *commem.* Octavæ Nativitatis B. M.V, ac S. Cornelii papæ & martyris: *an.* 252.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. Mariæ virginis, *Duplex-minus.*
viij	g	xvj	16	Joannis Chryſoſtomi, Conſtantinopolitani epiſcopi, & Eccleſiæ doctoris, (è 14.) *Duplex-minus: an.* 407. *commem.* S. Euphemiæ, Chalcedonenſis virginis & martyris: *c. an.* 307.
vij	A	xv	17	Cypriani, Carthaginenſis epiſcopi & mart. (è 14.) *Semiduplex: an.* 258. *commem.* S. Lamberti, Trajectenſis ad Moſam epiſcopi & martyris, *c. an.* 708.
vj	b	xiv	18	Ferreoli, Viennenſis martyris, *Simplex: c. an.* 287. *vel* 304.
v	c	xiij	19	Sequani abbatis in Burgundia, *Commemoratio: c. an.* 580.
iv	d	xij	20	Vigilia *ſine jejunio.*
iij	e	xj	21	Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ, *Duplex-majus: I. ſ.*
ij	f	x	22	Mauricii & ſociorum, martyrum, *Semiduplex: an.* 286.
j	g	ix	23	Theclæ, Iconii virginis & martyris, *Commemoratio: c. fin. I. ſ.*
xxx	A	viij	24	Andochii preſbyteri, Thyrſi diaconi, & Felicis, Auguſtodunenſium martyrum, *Commemoratio: c. fin. II. ſ.*
xxix	b	vij	25	Aunarii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Duplex-minus: c. an.* 603.
xxviij	c	vj	26	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
ij	c	xiv	19	Gregorii, Autiſſiodorenſis epiſcopi, *Commemoratio : c. an.* 530.
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	Thomæ apostoli, *Duplex-majus : I. ſ.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS DOMINI, *Annuale.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI & PROTOMARTYRIS, Eccleſiæ Cathedralis Autiſſiodorenſis patroni, *Annuale : c. an.* 33. *commem.* Octavæ Nativitatis Domini.
xxiv	d	vj	27	Joannis apostoli & evangelistæ, *Duplex-majus : c. an.* 100. *commem.* Octavarum Nativitatis Domini, ac S. Stephani.
xxiij	e	v	28	Innocentium martyrum, *Duplex-majus : commem.* Octavarum Nativitatis Domini ac S. Stephani.
xxij	f	iv	29	Thomæ, Cantuarienſis epiſcopi & martyris, *Duplex-minus : an.* 1170. *commem.* Octavarum Nativitatis Domini, ac S. Stephani.
xxj	g	iij	30	Officium Dominicæ intrà Octavam Nativitatis Domini : *commem.* Octavæ S. Stephani.
* 19. xx.	A	Prid.	31	Saviniani & Potentiani, ſociorumque, martyrum Senonenſium : *II. vel III. ſ.* ac Columbæ virginis & martyris apud Senonas, *c. an.* 273. *Duplex-minus : commem.* Octavarum Nativitatis Domini, ac S. Stephani ; & S. Silveſtri papæ, *an.* 335.

* Hæc Epacta 19. nunquam eſt in uſu, niſi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.

TABULA

Continens Officiorum gradus & diverſitatem.

ANNUALE. SOLEMNE. *SEMISOLEMNE.*	DUPLEX-MAJUS. Duplex-minus. Semiduplex.	Simplex.

ANNUALIA.

Nativitas Domini.
Natalis S. Stephani Eccleſiæ Cathedralis patroni.
Paſcha.
Pentecoſtes.
Feſtum SS. Euchariſtiæ.
In Urbe Autiſſ. & ſuburbiis tantùm. — Revelatio corporis S. Stephani.
Aſſumptio B. Mariæ virginis.
¶ *In unaquaque Eccleſia Feſtum principale Patroni primarii.*
Si contingat conſecrari Eccleſiam, ipſa dies Conſecrationis ſeu Dedicationis erit Feſtum Annuale; Anniverſarius verò dies Dedicat. Solemne.

SOLEMNIA.

Epiphania Domini.
Præſentatio Domini, quæ & Purificatio B. Mariæ virg.
Annuntiatio & Incarnatio Domini.
Aſcenſio Domini.
Natalis S. Peregrini Autiſſiodorenſium apoſtoli.
Anniverſarius dies Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis.
Tranſitus S. Germani, Autiſſiodorenſis epiſcopi.
Nativitas B. Mariæ virginis.
Feſtum Omnium Sanctorum.
Conceptio B. Mariæ virginis.

SEMISOLEMNIA.

Circunciſio Domini.
Feſtum SS. Trinitatis.
Dies Octava SS. Euchariſtiæ.
Nativitas S. Joannis-Baptiſtæ.
Natalis SS. Petri & Pauli.
Extra Urbem & Suburbia. — Revelatio corporis S. Stephani.
In Cathed. tantùm. — Depoſitio S. Germani Autiſſiod. epiſcopi.
Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.
Veneratio SS. Reliquiarum Diœceſis Autiſſiodorenſis.
FESTA DUPLICIA-MAJORA quæ præferuntur Dominicis non privilegiatis.
Dies Octava Feſtorum Annualium Domini.
Feſta Duplicia-majora quæ occurrunt à Nativitate Domini ad Epiphaniam ejuſdem.
Dies Octava Epiphaniæ Domini.
Inventio S. Crucis.
Transfiguratio Domini.
Exaltatio S. Crucis.
DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ primæ claſſis, quæ numquam omittuntur.
Prima Adventûs.
Prima Quadrageſimæ.

Paſſionis.
Palmarum.
Paſchæ.
In Albis depoſitis.
Pentecoſtes.
Prima poſt Pentecoſten, quæ & Feſtum SS. Trinitatis.
Dominica ante Adventum, ſeu ultima poſt Pentecoſten.

DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ ſecunda claſſis, quæ non omittuntur niſi occurrente Feſto Annuali.

Secunda, Tertia, Quarta — Adventûs.

Dominicæ. In Septuageſima, In Sexageſima, In Quinquageſima.

Secunda, Tertia, Quarta — Quadrageſimæ.

DOMINICÆ TERTIÆ CLASSIS, quæ non omittuntur niſi occurrente Feſto Semiſolemni aut ſuprà, vel aliquo ex prædictis Duplicibus-majoribus.

Reliquæ Dominicæ, quæ Communes vocantur.

FERIÆ MAJORES PRIVILEGIATÆ, quæ nunquam omittuntur.

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria IV. Cinerum.
Feriæ majoris Hebdomadæ.
Feriæ intrà Hebdomadam Paſchæ.
Vigilia Pentecoſtes.
Feriæ intrà Hebdomadam Pentecoſtes.

FERIÆ MAJORES NON PRIVILEGIATÆ, quæ excludunt Feſta Simplicia, ac Officium de B. Maria in Sabbato, & de quibus fit Commemoratio, ſi occurrat Feſtum Semiduplex, aut ſuprà.

Feriæ Adventûs.
Feriæ Quadrageſimæ. *Excludunt etiam Semiduplicia.*
Feriæ Rogationum.
Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis Domini.
Feriæ IV. Temporum.
Omnes Vigiliæ.

FERIÆ MINORES PRIVILEGIATÆ, de quibus non fit Commemoratio, ſi occurrat Feſtum Semiduplex, ſed quæ excludunt Feſta Simplicia.

Feriæ à Dominica in Septuageſima ad Feriam IV. Cinerum. *Excludunt etiam Officium de B. Maria in Sabbato.*
Feriæ Temporis Paſchalis. *Non excludunt Officium de B. Maria in Sabbato.*

FERIÆ MINORES NON PRIVILEGIATÆ, quæ admittunt quodlibet Officium de Feſto, aut de B. Maria in Sabbato.

Reliquæ omnes Feriæ per annum.

Ex Typographia JACOBI VINCENT.

PSALTERIUM
DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.
Pars Autumnalis.

DOMINICA
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò.

PATER noſter qui es in cœlis; ſanctificetur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris: & ne nos indúcas in tentatiónem; ſed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6. 9. *ad* 13.

AVe María grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui, Jeſus. *Luc.* 1. 28. 42.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cœli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum, fílium ejus únicum, Dóminum noſtrum; qui concéptus eſt de Spíritu-ſancto; natus ex María vírgine; paſſus ſub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & ſepúltus; deſcéndit ad ínferos; tértiâ die reſurréxit à mórtuis: aſcéndit ad cœlos; ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum-ſanctum, ſanctam Eccléſiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde clarâ ſed demiſſâ voce dicitur.

DOmine lábia mea apéries, ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50. 16.

DEus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui-ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculórum. Amen. Allelúia.

Invitatorium, Jubilémus Deo ſalutári noſtro:* Præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne. *Pſ.* 94. 1. *Repetitur*, Jubilémus.

Pſalmus 94.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro: præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Invitatorium, Jubilémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos; quóniam non repéllet Dóminus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

Diviſio,* Præoccupémus.

Quóniam ipſíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter: nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Invitatorium, Jubilémus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra; ſicut in exacerbatióne ſecúndùm diem tentatiónis in deſérto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea.

Diviſio,* Præoccupémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic; & dixi: Semper hi errant corde; ipſi verò non cognovérunt vias meas; quibus jurávi in ira mea; Si introíbunt in réquiem meam.

Invitatorium, Jubilémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui-ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſécula ſeculórum. Amen.

Diviſio,* Præoccupémus.

Deinde repetitur Invitatorium, Jubilémus.

Sic ſemper in omni Officio dicitur Invitatorium, niſi aliter notetur.

Hymnus.

PRimo die mundum Deus
Verbo creat, primo die
Chriſtus resúrgens pérditos
Nos, morte victâ, líberat.

Quid déſides tenet ſopor?
Surgámus omnes ócyus,
Et nocte quærámus Deum,
David ut exémplo docet.

Nostras preces exaúdiat,
Suíſque donis múneret;
Et expiátos crímine
Reddat beátis ſédibus.

Deo Patri ſit gloria,
Ejúſque ſoli Filio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. *toni.* a. Novit Dóminus.

*Aſteriſcus hic * notat mediationem & pauſam.*

Pſalmus 1.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatorum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo:

Et fólium ejus non défluet;* & ómnia quæcúnque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic;* ſed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non reſúrgent ímpii in judício,* neque peccatóres in concílio juſtórum.

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum,* & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio,* & Spirítui-ſancto;

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper,* & in ſécula ſeculórum. Amen.

Hi ℣℣. Glória *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Pſalmorum & Canticorum, niſi aliter notetur.*

Ant. Novit Dóminus viam juſtórum, & iter impiórum períbit. *v.* 7.

Ant. 2. D. Servíte Dómino.

Pſalmus 2.

QUare fremuérunt gentes,* & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminum, & adversùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum,* & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos;* & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua,* & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus,* prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me:* Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hereditátem tuam,* & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea,* & tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite;* erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre,* & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam,* ne quándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus,* beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre. *v.* 11.

Ant. 3. g. Exúrge.

Pſalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tribulant me?* multi inſúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ;* non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es,* glória meâ, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum;* & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circundántis me: * exúrge Dómine, ſalvum me fac Deus meus;

Quóniam tu percuſsíſti omnes adverſántes mihi ſine cauſa; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Exúrge Dómine, ſalvum me fac Deus meus. *v.6.*

℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine: *In Choro reſpondetur tantùm ſecretò, dum protrahitur neuma*, ℟. Et cuſtodívi legem tuam. *Pſ.* 118. 55.

Poſt Verſiculum cujuſlibet Nocturni dicitur ſecretò, Pater noſter, &c. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

Poſtea Lector petit benedictionem, dicens, Jube Dómine bene dícere.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium.

Lectiones cum Reſponſoriis habentur vel in proprio de Tempore, vel in proprio de Sanctis.

Hæc omnia obſervantur in ſingulis Nocturnis, niſi aliter notetur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Inténde.

Pſalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum, * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in juſtítia tua, propter inimícos meos: * dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt gut-

tur eórum, linguis ſuis doloſè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis, * ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, & Deus meus. *v.* 2.

Ant. 5. a. Convértere Dómine.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî Dómine, quóniam infirmus ſum; * ſana me Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu Dómine úſquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; * lavábo per ſingulas noctes lectum meum; lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéſcant valde, velóciter.

Ant. Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam. *v.* 4.

Ant. 6. F. Juſtum.

Pſalmus 7.

DOmine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud, * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis;

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in

& exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandáſti; * & ſynagóga populórum circúndabit te:

Et propter hanc in altum regrédere, * Dóminus júdicat pópulos:

Júdica me Dómine ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm innocentiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & diriges juſtum; * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meum à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde.

Deus judex juſtus, fortis, & pátiens; * nunquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum teténdit, & parávit illum:

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagíttas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus, * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecundùm juſtítiam ejus; * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Juſtum adjutórium meum à Dómino, qui ſalvos facit rectos corde. *v.* 11.

℣. Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. ℟. Super judícia juſtificatiónis tuæ. *Pſ.* 118. 62.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos, *ut ſuprà.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Dómine.

Pſalmus 8.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, * glóriâ & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera manuum tuarum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, *.

quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Ant. Dómine Dóminus noſter, quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra! *v.* 1.

Ant. 8. G. Lætábor.

Pſalmus 9.

CONfitébor tibi Dómine in toto corde meo;* narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te,* pſallam nómini tuo Altíſſime;

In convertèndo inimícum meum retrórſum: * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecíſti judícium meum & cauſam meam: * ſedíſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deléſti in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem;* & civitátes eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum ſónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſperent in te qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine.

Pſállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus.

Quóniam requírens ſánguinem eórum recordátus eſt;* non eſt oblítus clamórem paúperum.

Miſerére meî, Dómine; * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infixæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem abſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum,* omnes gentes quæ oblíviſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis; * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue Dómine legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniam hómines ſunt.

Ant. Lætábor & exultábo in te, pſallam nómini tuo Altíſſime. *v.* 2.

Ant. 7. a. Dóminus regnábit.

Diviſio Pſalmi 9.

UT quid Dómine receſsíſti longè, * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ; * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus: * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: Non movébor; * à generatióne in generatiónem ſine malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt: * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelúnca ſua.

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum, * inclinábit ſe, & cadet cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo: Oblítus eſt Deus, * avértit fáciem ſuam ne vídeat in finem.

Exúrge Dómine Deus, exaltétur manus tua; * ne oblivíſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * períbitis gentes de terra illíus.

Deſidérium paúperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificare ſe homo ſuper terram.

Ant. Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſéculum ſéculi. *v.* 40.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, ℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 3.

Pater, *ſecretò.* Et ne nos.

Poſt ultimum Reſponſorium dicitur, Te Deum, *ſi dicendum ſit.*

TE Deum laudámus: te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli & univérſæ poteſtátes,

Tibi Chérubim & Séraphim inceſsábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus Apoſtólorum chorus,

Te Prophetárum laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus laudat exércitus.

Te per orbem terrárum ſancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménſæ majeſtátis;

Venerándum tuum verum & únicum Filium;

Sanctum quoque paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ Chriſte.

Tu Patris ſempitérnus es Filius.

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, non horruíſti Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo, aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes in glória Patris.

Judex créderis eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, quos pretióſo sánguine redemíſti.

Ætérna fac cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ;

Et rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum.

Per síngulos dies benedícimus te,

Et laudámus nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſeculi.

Dignáre Dómine die iſto ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrî Dómine, miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, quemádmodum ſperávimus in te.

In te Dómine ſperávi, non confúndar in ætérnum.

[*Si Laudes non ſequantur continuò, hìc dicitur*, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Deinde Oratio propria cum integra concluſione; ac poſtea iterum*, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.]

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; ℟. Et magnitúdinis ejus non eſt finis. *Pſ.* 144. 3.

Deus in adjutórium, &c.

Ant. 3. *a.* Dóminus regnávit.

Pſalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non com-

Paráta ſedes tua ex tunc ;* à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis : * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Dóminus regnávit, decórem indútus eſt ; indútus eſt Dóminus fortitúdinem. *v.* 1.

Ant. 2. *D.* Laudáte.

Pſalmus 99.

JUbiláte Deo omnis terra,* ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus,* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus ; ipſe fecit nos, & non ipſi nos : * pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis,* confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus,* in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, in ætérnum miſericórdia ejus. *v.* 5.

Ant. 8. *G.* Deus.

Pſalmus 62.

DEus, Deus meus ; * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea ;* quàm multiplíciter tibi caro mea !

In terra deſérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas ; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea,* & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te ; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæſit ánima mea poſt te ; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam ; * introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo ; * quia obſtructum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, Deus meus; ad te de luce vígilo. Sitívit in te ánima mea. *v.* 1. 2.

Ant. 3. *g.* Benedícite.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3. 57. *ad* 88.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino: * benedícite cœli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite ſol & luna Dómino: * benedícite ſtellæ cœli Dómino.

Benedícite omnis imber & ros Dómino: * benedícite omnes ſpíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis & æſtus Dómino: * benedícite frigus & æſtus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino: * benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino: * benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino: * benedícite fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſécula.

Benedícite montes & colles Dómino: * benedícite univérſa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite mária & flúmina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia quæ movéntur in aquis Dómino: * benedícite omnes vólucres cœli Dómino.

Benedícite omnes béſtiæ & pécora Dómino: * benedícite filii hóminum Dómino.

Benedícat Iſraël Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſécula.

Benedícite ſacerdótes Dómini Dómino: * benedícite ſervi Dómini Dómino.

Benedícite ſpíritus & ánimæ juſtórum Dómino: * benedícite ſancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite Anánia, Azária, Míſaël Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Hic, locò Glória Patri, *dicitur*,

Benedicámus Patrem, & Filium * cum ſancto-Spíritu;

Laudémus & ſuperexaltémus eum * in ſécula ſeculórum. Amen.

Ant. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3. 57.

Ant. 1. *a.* Laudáte Dóminum.

Pſalmus Laudum 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus; laudáte eum in firmaménto virtútis ejus. *v.* 1.

Capitulum. Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum actio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro in ſécula ſeculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Sic reſpondetur in fine omnium Capitulorum.

Hymnus.

ÆTERNE rerum Conditor,
Noctem diémque tu regis,
Et témporum mutans vices,
Vitæ levas faſtídium.

SURGAMUS, ecce lúcifer
Cœli fugat calíginem,
Lucíſque præco cántibus
Nobis diem prænúntiat.

GALLO canénte ſpes redit,
Lapſis fides revértitur;
Gallo canénte flet Petrus,
Fletúque culpam díluit.

JESU labántes réſpice,
Noſtris refúlge ſénſibus:
Si réſpicis nos, ſúrgimus,
Bonúſque vota ſúſcipis.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculò, ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. 148.

Ad Benedíctus, *Antiphona habetur in Proprio.*

Canticum Zachariæ.

Luc. 1. 68. *ad* 79.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſraël; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui.

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſéculo ſunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu puer, Prophéta Altiſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum.

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos óriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri.

Poſt Canticum dicitur Antiphona. Deinde, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Tum Oratio propria cum integra concluſione; & poſt Orationem*, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si qua occurrat commemoratio, hoc loco fit per Antiphonam, Verſiculum, & Orationem; quæ ſumuntur vel ex Proprio vel ex Communi, ut ſuis locis notatur.

Poſt ultimam commemorationem repetitur, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Poſt quamlibet Horam, ſi aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò, Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter, *ſecretò.*

AD PRIMAM.

Hymnus. Jam lucis, &c. *Infrà poſt Veſperas Sabbati, & ſic aliis diebus.*

Ant. 1. a. Benedíctus es Dómine.

Pſalmus. 117.

CONfitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſraël quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciam inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circundántes circundedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circundedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Impúlſus everſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis * in tabernáculis juſtórum.

Dèxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitebor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine ſalvum me fac, ô Dómine bene proſperáre :* benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in ſǽculum miſericórdia ejus.

Glória Patri.

Pſalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum;

Non enim qui operántur iniquitátem * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

IN quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine, * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuó-

rum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíſcar ſermónes tuos. Gloria Patri.

R Etríbue ſervo tuo; * vivífica me, & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpáſti ſuperbos; * maledícti qui declinant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis;

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

A Dhæſit paviménto ánima mea, * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me, * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio, * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum. Glória Patri.

Symbolum.

Dicitur quando ſit Officium de Dominica, & in feſtis SS. Trinitatis. Omittitur autem in Dominicis intra octavas quaſcumque occurentibus.

Q Uicúnque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolatámque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes:

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Filii, * alia Spíritûs-ſancti.

Sed Patris, & Filii, & Spíritûs-ſancti una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus-ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus-ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * imménſus Spíritus-ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus-ſanctus:

Et tamen non tres ætérni, * ſed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménſi, * ſed unus increátus, & unus imménſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus-ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus-ſanctus.

Et tamen non tres Dii; * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus-ſanctus:

Et tamen non tres Dómini; * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque perſónam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur; * ita tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus-ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus-ſanctus, non tres Spíritus-ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres perſónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ita de Trinitáte ſéntiat.

Sed neceſsárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante ſécula génitus; * & homo eſt ex ſubſtántia matris in ſéculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli & humána carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitátem; * minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo; * non duo, tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnem; * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confuſióne

ſióne ſubſtantiæ ,* ſed unitáte perſónæ.

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo ,* ita Deus & homo unus eſt Chriſtus:

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra , deſcéndit ad ínferos ,* tértiâ die reſurréxit à mórtuis ;

Aſcéndit ad cœlos , ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis ,* inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos :

Ad cujus advéntum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis , * & reddituri ſunt de factis própriis ratiónem ;

Et qui bona egérunt , ibunt in vitam ætérnam ; * qui verò mala , in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica ,* quam niſi quiſque fidéliter firmitérque credíderit , ſalvus eſſe non póterit. Glória Patri.

Ant. Benedíctus es Dómine , doce me juſtificatiónes tuas. *Pſ.* 118. 12.

Capitulum. 1.*Tim*.1.17.

Regi ſeculórum,&c. *Ut infrà in Feria poſt Veſperas Sabbati.*

AD TERTIAM.

Hymnus. Nunc ſancte , &c. *Ut infrà in Feria poſt Veſperas Sabbati , & ſic aliis diebus.*

Ant. 2. D. Véniant mihi.

Ex Pſalmo 118.

LEgem pone mihi Dómine viam juſtificatiónum tuárum ,* & exquiram eam ſemper.

Da mihi intelléctum , & ſcrutábor legem tuam ,* & cuſtódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum , * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua ,* & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem ; * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Ámputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum ; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua ; * in æquitáte tua vivífica me.

ET véniat ſuper me miſericórdia tua Dómine ,* ſalutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum ;* quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque ; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper , * in ſéculum & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine ; * quia mandáta tua exquiſívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum ,* & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis. Glória Patri.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant uſquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſéculo Dómine; * & conſolátus ſum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

POrtio mea Dómine, * dixi cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo, * miſerére meî ſecúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me; * & legem tuam non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómnium timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ Dómine plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me. Glória Patri.

BOnitátem fecíſti cum ſervo tuo Dómine, * ſecúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúſquam humiliárer, ego delíqui; * proptérea elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórum; * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * ſuper míllia auri & argénti.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléctum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi Dómine quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecúndùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injúſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confúndar. Glória Patri.

Ant. Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam. *v.* 77.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 16.

Deus cáritas eſt: & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo.

℟. *breve.* Da mihi intelléctum, Dómine, * Et ſcrutábor legem tuam, ℟. Da mihi. ℣. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. * Et ſcrutábor. Glória. ℟. Da mihi. *Pſ.* 118. 34.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, ℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Hymnus. Rector potens, &c. *Ut infrà poſt Veſperas Sabbati, & ſic aliis diebus.*

Ant. 7. d. Jurávi, & ſtátui.

Ex Pſalmo 118.

Defécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Pauló minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris túi.

In ætérnum Dómine * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periíſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, * ſalvum me fac, quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Glória P.

QUómodo diléxi legem tuam Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudéntem me fecíſti mandáto tuo, * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem poſuíſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

LUcérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi, & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque Dómine; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória Patri.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me malígni, * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeo diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas, * à judíciis enim tuis tímui.

FEci judícium & juſtítiam; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine: * diſſipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar; * omnem viam iníquam ódio hábui.

Glória Patri, &c.

Sicut erat, &c.

Ant. Jurávi, & ſtátui cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ. *Pſ.* 118. 106.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 21. 22.

OMnia probáte: quod bonum eſt tenéte: ab omni ſpécie mala abſtinéte vos.

℟. *breve.* Fac cum ſervo tuo. * Secúndùm miſericórdiam tuam; ℟. Fac. ℣. Et juſtificatiónes tuas doce me. * Secúndùm miſericórdiam tuam. Glória. ℟. Fac. *Pſal.* 118. 124.

℣. Servus tuus ſum ego; da mihi intelléctum, ℟. Ut ſciam teſtimónia tua. *Pſ.* 118. 125.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Hymnus. Rerum Deus, &c. *Ut infrà poſt Veſperas Sabbati, & ſic aliis diebus.*

Ant. 8. c. Aſpice in me.

Ex Pſalmo 118.

MIrabília teſtimónia tua; * ídeo ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî * ſecúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum, * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

JUſtus es Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter, * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua, juſtítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam.

Glória Patri.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamavi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculò, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam Dómine, * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

VIde humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ Dómine; * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tríbulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Glória Patri.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui ínvenit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Séptìes in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuum Dómine; * & mandáta tu[a] diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſti[mó]nia tua, * & diléxit ea vehe[mé]nter.

Servávi mandáta tua & teſti[mó]nia tua; * quia omnes vi[æ] meæ in conſpéctu tuo.

APpropínquet deprecáti[o] mea in conſpéctu tuo Dó[mi]ne; * juxta elóquium tuu[m] da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea i[n] conſpéctu tuo; * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hym[n]um, * cùm docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea

elóquium tuum ; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut ſalvet me ; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuum Dómine ; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te ; * & judícia tua adjuvábunt me,

Errávi ſicut ovis quæ périit, * quære ſervum tuum, quia mandáta tua non ſum oblítus. Glória Patri.

Ant. Aſpice in me, & miſerére meî. *Pſ.* 118. 132.

Capitulum. 1. *Cor.* 6. 20.

EMpti eſtis prétio magno : glorificáte, & portáte Deum in córpore veſtro.

℟. *breve.* Clamávi in toto corde meo : * Exaúdi me Dómine. ; ℟. Clamávi. ℣. Juſtificatiónes tuas requíram. * Exaúdi me Dómine. Glória. ℟. Clamávi. *Pſ.* 118. 145.

℣. Clamávi ad te : ſalvum me fac, ℟. Ut cuſtódiam mandáta tua. *Pſ.* 118. 146.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Dixit Dóminus.

Pſalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo ; * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * dominare in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum ; * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet ; * proptérea exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo ; Sede à dextris meis. *v.* 1.

Ant. 4. a. Fidélia.

Pſalmus 110.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo, * in conſílio juſtórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquiſíta in omnes voluntátes ejus.

Confeſſio & magnificéntia opus ejus ; * & juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miſéricors & miſerátor Dóminus : * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſéculum teſtaménti ſui : * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo,

Ut det illis hereditátem

Deus totíus conſolatiónis, qui conſolátur nos in omni tribulatióne noſtra.

Hymnus.

LUcis Creátor óptime,
Mentes ſubi, ſenſus rege;
Nobis tuæ ſol grátiæ
Lucére nunquam déſinat.

En nox diúrno ſíderi
Succédit; ætérnus dies,
Calígo nulla quem tegit,
Erróris umbras díſcute.

Absterge quidquid nóxium
Lethális afflávit lues:
Inténta cœlo mens nihil
Te præter unum cógitet.

Dum ſorte mortáles gravi
Inter cadúca vólvimur,
Sanctus ſupérnam júgiter
Suſpíret ardor pátriam.

In te ſalútis anchoram
Spes fundet; ut poſt férvidos
Vitæ tumúltus, in tuo
Detur ſinu quiéſcere.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus.
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo: ℟. Elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum. *Pſ.* 140. 2.

Ad Magníficat, *Antiphona ut in Proprio.*

Canticum B. Mariæ Virginis.

Luc. 1. 46. *ad* 55.

MAgníficat * ánima mea Dóminum;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus:

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo; * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſraël púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & sémini ejus, in sécula.

Deinde dicitur Antiphona & Oratio conveniens.

Poſtea, ſi occurrat aliqua Commemoratio de Sancto, fit eo loco; & ſic in ſeq. Feriis.

FERIA SECUNDA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, * Exultémus Dómino. *Pſ.* 94. 1.

Continuatur Pſalmus, Jubilémus Deo, &c. *ut ſuprà,* 2.

Hymnus.

TU Chriſte ſopítos vocas;
Spreto cubíli ſúrgimus:
Sacris decet nos cánticis
Noctis quiétem rúmpere.

Te lingua primùm cóncinat,
Te mentis ardor ámbiat,
Te júgiter nox prædicet,
Laudet dies te júgiter.

Totos tibi nos víndica,
Tibíque ſic fac vívere,
Ut áctuum ſis ómnium
Et finis & primórdium.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, novem Pſalmi poſiti ad ſingulas Ferias dicuntur pro unico Nocturno.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. *a.* Réſpice.

Pſalmus 10.

IN Dómino confído: * quómodo dícitis ánimæ meæ, Tranſmígra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra,* ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt; * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo,* Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulfur, & ſpíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit:* æquitátem vidit vultus ejus.

Pſalmus 11.

SAlvum me fac Dómine; quóniam defécit ſanctus;* quóniam diminútæ ſunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti ſunt unuſquiſque ad próximum ſuum;* lábia doloſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa,* & linguam magníloquam,

Qui dixérunt: Linguam noſtram magnificábimus, lábia noſtra à nobis ſunt:* quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam ínopum & gémitum paúperum,* nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in ſalutári;* fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta;* argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum ſeptuplùm.

Tu Dómine ſervábis nos:* & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant:* ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicáſti fílios hóminum.

Pſalmus 12.

USquequo Dómine oblíviſcéris me in finem?* úſquequo avértis fáciem tuam à me?

Quándiu ponam consília in ánima mea,* dolórem in corde meo per diem?

Uſquequo exaltábitur ini-

micus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: prævàlui advérsùs eum.

Qui tribulant me, exultábunt ſi motus fúero; * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Réſpice, & exaúdi me Dómine Deus meus. *Pſ.* 12.3.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Conſérva me.

Pſalmus 13.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlcrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolósè agébant; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt: * velóces pedes eórum ad effundéndum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eorum, & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt: * consílium ínopis confudíſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula, * & operátur juſtítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua:

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniam ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Pſalmus 15.

CONſérva me Dómine, quóniam ſperávi in te: * dixi Dómino, Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim heréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum; * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea: * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe:

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in dextera tua uſque in finem.

Ant. Conſérva me Dómine, quóniam ſperávi in te. *Pſ.* 15. 1.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Pérfice greſſus meos.

Pſalmus 16.

EXaúdi Dómine juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examináſti, & non eſt invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaúdi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſtentibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam

circundedérunt, ádipem ſuum concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circundedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam,* & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt fíliis: * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo:* ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

Pſalmus 17.

DIligam te Dómine fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus,* & ſperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſcéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circundedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circundedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum,* & ad Deum meum clamávi:

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta ſunt, & commóta ſunt; * quóniam irátus eſt eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit: * carbónes ſuccénſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcéndit: * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit: * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit tenebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebróſa aqua in núbibus äëris.

Præ fulgóre in conſpéctu ejus nubes tranſiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando, & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum,* & reveláta ſunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua Dómi-

ne,* ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Miſit de ſummo, & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab his qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retribuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte innocens eris.

Et cum elécto eléctus eris,* & cum pervérſo pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies,* & óculos ſuperbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine: * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne,* & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Diviſio Pſalmi 17.

Deus meus, impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta:* protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcínxit me virtúte,* & póſuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum; * & ſuper excélſa ſtátuens me:

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuíſti ut arcum æreum bráchia mea;

Et dedíſti mihi protectiónem ſalútis tuæ, * & déxtera tua ſuſcépit me;

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilatáſti greſſus meos ſubtus me,* & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos; * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum, * & ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtus me.

Et inimícos meos dedíſti

mihi dorſum,* & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos faceret: * ad Dóminum; nec exaudívit eos.

Et comminúam eos ut púlverem ante faciem venti; * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi; * fílii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes Regis ejus, & fáciens miſericórdiam chriſto ſuo David, * & sémini ejus uſque in ſéculum.

Ant. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, ut non moveántur veſtígia mea. *Pſ.* 16. 6.

℣. Illúmina óculos meos, ℟. Ne unquam obdórmiam in morte. *Pſ.* 12. 4.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos.

Benedictiones, ut ordinantur poſt Pſalterium, & ſic per totam hebdomadam.

Lectiones cum ℟℟. *ut in Proprio de Tempore.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, ℟. Et pſallam nómini Dómini altíſſimi. *Pſ.* 12. 7.

Ant. 8. c. Cœli enárrant.

Pſalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei, * & ópera manuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à ſummo cœlo egréſſio ejus,

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes

tificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſǽculum ſǽculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multùm; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Ant. Cœli enárrant glóriam Dei, & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. *v.* 1.

Ant. 8. G. In nómine.

Pſalmus 19.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui, * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecúndùm cor tuum, * & omne conſilium tuum confirmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & erécti ſumus.

Dómine ſalvum fac regem; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

Ant. In nómine Dei noſtri magnificábimur. *v.* 5.

Ant. 7. a. Exaltáre Dómine.

Pſalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei; * & voluntáte labiórum ejus non fraudaſti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, & tribuíſti ei; * longitúdinem diérum in ſǽculum, & in ſǽculum ſǽculi.

Magna eſt glória ejus in ſalu-

tári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſéculum ſéculi: * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo:

Quóniam rex ſperat in Dómino, * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala;* cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Ant. Exaltáre Dómine in virtúte tua: cantábimus & pſallémus virtútes tuas. *v.* 13.

Ant. 1. *a.* Confitémini.

Canticum Iſaiæ. c. 12. 1. *ad fin.*

CONfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi; * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo;

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus ſalvatóris; * & dicétis in illa die: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus:

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit; * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta, & lauda habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſraël.

Ant. Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus. *v.* 4.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici, dicitur ſequens Canticum.*

Eccli. 39. 19. *ad* 25.

COllaudáte cánticum, & benedícite Dóminum * in opéribus ſuis.

Date nómini ejus magnificéntiam, & confitémini illi * in voce labiórum veſtrórum, & in cánticis labiórum, & cítharis,

Et ſic dicétis in confeſſióne: * Opera Dómini univérſa bona valde.

In verbo ejus ſtetit aqua ſicut congéries: * & in ſermóne oris illíus ſicut exceptória aquárum:

Quóniam in præcépto ipsíus placor fit, * & non eſt minorátio in ſalúte ipsíus.

Opera òmnis carnis coram illo, * & non eſt quidquam abſcónditum ab óculis ejus.

A ſéculo uſque in ſéculum réſpicit, * & nihil eſt mirábile in conſpéctu ejus.]

Ant. 11. a. Senes.

Pſalmus Laudum 148.

LAudáte Dóminum de cœlis; * laudáte eum in excélſis:

Laudáte eum omnes Angeli ejus; * laudáte eum omnes virtútes ejus:

Laudáte eum ſol & luna; * laudáte eum omnes ſtellæ & lumen:

Laudáte eum cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Dómini,

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * præcéptum póſuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abyſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ & univérſa pécora, * ſerpéntes & vólucres pennátæ.

Reges terræ & omnes pópuli, * príncipes & omnes júdices terræ,

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * filiis Iſraël, pópulo appropinquánti ſibi.

Ant. Senes cum junióribus laudent nomen Dómini. *v.* 12.

Capitulum. *Rom.* 13. 12. 13.

NOx præcéſſit, dies autem appropinquávit: abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis; ſicut in die honéſtè ambulémus.

Hymnus.

SPlendor patérnæ glóriæ,
Lux lucis, & fons lúminis,
Sol verus affúlge; tui
Emítte lumen Spíritûs.

Afflante cujus númine,
Oblíta prorſus ſéculum
Mens, & ſuì jam nil memor,
Suſpíret ætérnas domos.

Votis vocèmus & Patrem,
Qui nos trahens ad Fílium,
Quod velle dat pius bonum,
Hoc & potens det éxequi.

Insidat altis méntibus
Intamináta cáſtitas:
Expers doli, plenum fide
Cor caritáte férveat.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Ad te orábo Dómine;
℟. Manè exaúdies vocem meam. *Pſ.* 5. 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. *F.* Benedíctus Dóminus Deus Iſraël. *Luc.* 1. 68.

Preces quando dicuntur, & Suffragia, habentur infrà poſt Veſperas Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 4. E. Dómine.

Pſalmus 21.

DEus Deus meus, réſpice in me, quare me dereliquíſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſraël.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me: * locúti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre, * ſpes mea ab ubéribus matris meæ:

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu;

Ne diſcéſſeris à me; * quóniam tribulátio próxima eſt; quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circundedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liquéſcens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faúcibus meis: * & in púlverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circundedérunt me canes multi: * concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea Deus ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis; * in médio eccléſiæ laudábo te.

Diviſio Pſalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſraël; * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem paúperis:

Nec avértit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univerſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum, * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me; ad defenſiónem meam cónſpice. *Pſ.* 21 20.

Capitulum, ℟. *breve*, & *Preces quando dicuntur, habentur infrà poſt Veſperas Sabbati; & ſic ad omnes horas quando fit de Feriâ.*

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Delícta.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accipiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Pſalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſuſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iniqua agéntes. * ſupervácuè.

Vias tuas Dómine demónſtra mihi; * & ſémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine, * & miſericordiárum tuárum, quæ à ſéculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu, * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Diviſio Pſalmi 24.

QUis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî: * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei

multiplicátæ ſunt : * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me : * non erubéſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæſérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera Deus Iſraël * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris. *v.* 7.

AD SEXTAM.

Ant. 1. â. Dóminus.

Pſalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; & in Dómino ſperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me : * ure renes meos, & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt; * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium; * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum Dómine,

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam; * & cum viris ſánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes ſunt; * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréſſus ſum : * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in diréсto : * in eccléſiis benedícam te Dómine.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea : * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ : * à quo trepidábo?

Dum appópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si conſíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini : * & viſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo : * in die ma-

ſórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis : * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaúdi Dómine vocem meam, quâ clamávi ad te :* miſerére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me ; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me ; * neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me ; * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua ;* & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum,* & ſuſtine Dóminum.

Ant. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea : quem timébo? ℣. 1.

A D N O N A M.

Ant. 1. ſ. Dómine Deus meus.

Pſalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne ſíleas à me;* ne, quando táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te ;* dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus ; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo ; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndùm nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis, * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus, * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus;* in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et refloruit caro mea ;* & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis ſuæ ; * & protéctor ſalvatiónum chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum.

Pſalmus 28.

A'Fférte Dómino fílii Dei,* afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte, * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: vox Dómini concutiéntis deſértum; * & commovébit Dóminus deſértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & ſedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedicet pópulo ſuo in pace.

Pſalmus 29.

EXaltábo te Dómine, quóniam ſuſcepíſti me; * nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus clamávi ad te; * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Psállite Dómino ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea; * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua * præſtitíſti decóri meo virtútem.

Avertíſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Nunquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt meî; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctum meum in gáudium mihi; * con-

ſaccum meum, & circundediſti me lætitiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Dómine Deus meus clamávi ad te, & ſanáſti me. *Pſ.* 29. 2.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Cuſtódiens.

Pſalmus 114.

DIléxi, quóniam exaúdiet Dóminus* vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuam mihi; * & in diébus meis invocábo.

Circundedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miserétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Cuſtódiens párvulos Dóminus, humiliátus ſum, & liberávit me. *v.* 6.

Ant. 7. a. Dirupíſti.

Pſalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis:

Ego dixi in excéſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine quia ego ſervus tuus, * ego ſervus tuus, & fílius ancíllæ tuæ,

Dirupíſti víncula mea, * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî Jeruſalem.

Ant. Dirupíſti víncula mea, tibi ſacrificábo hóſtiam laudis. *v.* 7.

Ant. 3. c. Véritas.

Pſalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes: * laudáte eum omnes pópuli;

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Véritas Dómini manet in ætérnum. *v.* 2.

Ant. 8. G. Ad Dóminum.

Pſalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt; habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Ad Dóminum cùm tribulárer clamávi, & exaudívit me. *v.* 1.

Ant. 2. D. Auxílium.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te; Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat intróitum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino. *v.* 2.

Capitulum. 1. *Petr.* 5. 8. 9.

SObrii eſtóte, & vigiláte; quia adversárius veſter diábolus tanquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret; cui reſiſtite fortes in fide.

Hymnus.

ILLUMINET ſeu ſol diem,
Seu nox tenébras íngerat,
Noſtris, Deus, te cánticis
Laudáre non ceſſábimus.

VERBO jubes, & prótinus
Quod nil fuit, fit ómnia;
Cœlum ſupernè ténditur,
Inàne terram ſúſtinet.

UTRINQUE cólligis ſuo
Moles aquárum límite;
Et péndulis has núbibus,
Et cóntines illas mari.

SIC tu, fidélis pérſequi,
Imples opus quod cœperas:
Hinc éxcitas nos à tuis
Ceſſáre nunquam laúdibus.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. In Deo laudábimur totâ die, ℟. Et in nómine tuo confitébimur in ſéculum. *Pſ.* 43. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Magníficat ánima mea Dóminum. *Luc.* 1. 46.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, habentur infrà poſt Veſperas Sabbati.

Oratio, quando non aſſignatur propria, dicitur de Dominica præcedenti.

FERIA TERTIA.
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. In pſalmis * Jubilémus Dómino. *Pſ.* 94. 2.

Pſalmus. Veníte. 2.

Hymnus.

CANDOR patérni lúminis,
Lux Chriſte lucis & dies,
Noctúrna per ſiléntia
Noſtris adéſto cántibus.

NUSQUAM ſopor nos óbruat:
Aufer benígno lúmine
Quam méntibus calíginem
Spargunt malígni ſpíritus.

DA purióres júgiter
Tollámus ad cœlum manus;
Ut, quas tibi perſólvimus,
Placátus admíttas preces.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſǽcula.
Amen.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Deus meus es tu.

Pſalmus 30.

IN te Dómine ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut ſalvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum; * redemíſti me Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo, & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam; * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meam;

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Miſerére meî Dómine quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valde; * & timor notis meis;

Qui vidébant me, * foras fugérunt à me:

Oblivióni datus ſum tanquam mórtuus à corde; * factus ſum tanquam vas pérditum:

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu, in eo dum

convenírent ſimul advérsùm me; * accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi Dómine; * dixi, Deus meus es tu: in mánibus tuis ſortes meæ;

Eripe me de manu inimícorum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Dómine non confúndar, quóniam invocávi te: * erubéſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolóſa, * quæ loquúntur advérsùs juſtum iniquitátem in ſupérbia & in abuſióne.

Divisio Pſalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfeciſti eis, qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudíſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Pſalmus 31.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua: * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino: * & tu remiſiſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúntamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúndedit me: * exultátio mea érue me à circundántibus me.

Intelléctum tibi dabo, &

inſtruam te in via hac quâ gradièris; * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúndabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte juſti, * & gloriámini omnes recti corde.

Ant. Deus meus es tu: in mánibus tuis ſortes meæ. *Pſ.* 30. 15. 16.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Beáta gens.

Pſalmus 32.

EXultáte juſti in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene pſállite ei in vociferatióne;

Quia rectum eſt verbum Dómini; * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judícium: * miſericórdia Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris; * ponens in theſaúris abyſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus diſſipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generatiónem.

Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; * pópulus, quem elégit in hereditátem ſibi.

Diviſio Pſalmi 32.

DE cœlo reſpéxit Dóminus; * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo * reſpéxit ſuper omnes qui hábitant terram.

Qui finxit ſingillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem; * & gigas non ſalvábitur in multitúdine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem; * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dó-

minum ;* quóniam adjútor & protéctor noſter eſt ;

Quia in eo lætábitur cor noſtrum,* & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

Pſalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore,* ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea ;* aúdiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum,* & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquisívi Dóminum, & exaúdivit me ;* & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini ;* & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum,* & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum,* & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus :* beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum omnes ſancti ejus ;* quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt ;* inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me,* timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam,* díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo,* & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum :* inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos ;* & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala,* ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos ;* & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde ;* & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum,* & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum ;* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima :* & qui odérunt juſtum delínquent.

Rédimet Dn̄us ánimas ſervórum ſuórum ;* & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus. *Pſ.* 32. 12.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Lingua mea.

Pſalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes me ;* expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcutum; * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me: * dic ánimæ meæ., Salus tua ego ſum.

Confundántur & revereántur* quærẹntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti; & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum; * & Angelus Dómini pérſequens eos;

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Eripiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperem à diripiéntibus eum.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, * induébar cilicio.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtitue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur; * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt, Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidiſti Dómine, ne ſíleas; * Dómine ne diſcédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo; * Deus meus, & Dóminus meus in cauſam meam.

Júdica me ſecúndum juſtítiam tuam Dómine Deus

meus;

meus ;* & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis, Euge, euge, ánimæ noſtræ : * nec dicant, Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reverentiâ,* qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtítiam meam : * & dicant ſemper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Pſalmus 35.

DIxit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo :* non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conſpéctu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus ; * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo ; áſtitit omni viæ non bonæ, * malítiam autem non odívit.

Dómine in cœlo miſericórdia tua, * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei:* judícia tua abyſſus multa.

Hómines & juménta ſalvábis Dómine : * quemádmodum multiplicáſti miſericórdiam tuam Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum ſperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te eſt fons vitæ ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende miſericórdiam tuam ſciéntibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non véniat mihi pes ſupérbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem ; * expúlſi ſunt, nec potuérunt ſtare.

Ant. Lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, totâ die laudem tuam. *Pſ.* 34. 28.

℣. Meditátus ſum nocte cum corde meo, ℟. Et exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum. *Pſ.* 76. 6.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

Ant. 8. c. Delectáre in Dño.

Pſalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréſcent ; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino; & fac bonitátem; * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam, & judícium tuum tanquam merídiem: * ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira & derelínque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur; * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hereditábunt terram; * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum,

Ut dejíciant paúperem & inopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Ant. Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. *v.* 4.

Ant. 8. G. Benedicéntes ei.

Diviſio Pſalmi 36.

Melius eſt módicum juſto * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem juſtos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum, * & heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis ſaturabúntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tribuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur; * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur, & cómmodat; * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Ant. Benedicéntes ei hereditábunt terram. *v.* 22.

Ant. 6. F. Os juſti.

Altera diviſio Pſalmi 36.

DEclina à malo, & fac bonum; * & inhábita in ſéculum ſéculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur; * & ſemen impiórum períbit:

Juſti autem hereditábunt terram, * & inhabitábunt in ſéculum ſéculi ſuper eam.

Os juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipſíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Conſíderat peccátor juſtum, * & quærit mortificáre eum:

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & cuſtódi viam ejus; & exaltábit te, ut hereditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut cedros Líbani:

Et tranſívi, & ecce non erat; * & quæſívi eum, & non eſt invéntus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injúſti autem diſperíbunt ſimul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & ſalvábit eos; * quia ſperavérunt in eo.

Ant. Os juſti meditábitur ſapiéntiam. *v.* 30.

Ant. 7. d. Pſalmos noſtros.

Canticum Ezechiæ.

Iſai. 38. 10. *ad* 20.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæſívi reſíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, * & convolúta eſt à me, quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer, ſuccídit me: * de manè uſque ad véſperam fínies me.

Sperábam uſque ad manè; * quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam fínies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine vim pátior, reſpónde pro me: * quid dicam, aut

quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret; * projeciſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt qui deſcéndunt in lacum veritátem tuam.

Vivens vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine ſalvum me fac, * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Ant. Pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini. *v.* 20.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici dicitur ſequens Canticum. Eccli.* 36. 1. *ad* 16.

MIſerére noſtrî Deus ómnium, & réſpice nos; * & oſténde nobis lucem miſeratiónum tuárum:

Et immítte timórem tuum ſuper gentes quæ non exquiſiérunt te; * ut cognóſcant quia non eſt Deus niſi tu, & enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam ſuper gentes aliénas, * ut videant poténtiam tuam.

Sicut enim in conſpéctu eórum ſanctificátus es in nobis, * ſic in conſpéctu noſtro magnificáberis in eis,

Ut cognóſcant te ſicut & nos cognóvimus: * quóniam non eſt Deus præter te, Dómine.

Innova ſigna, & immúta mirabília: * glorífica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effúnde iram; * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Feſtína tempus, & meménto finis; * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui ſalvátur; * & qui péſſimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicentium: Non eſt álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóſcant quia non eſt Deus niſi tu, & enárrent magnália tua;

Et hereditábis eos, * ſicut ab inítio.

Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum; * & Iſraël quem coæquáſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuum.]

Ant. 4. *irreg.* A. Cantáte Dómino.

Pſalmus Laudum 149.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum, * & fílii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano, & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória, * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis,

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus in ecclésia ſanctórum. *v.* 1.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 17. 18.

SIne intermiſſióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc eſt enim volúntas Dei in Chriſto Jeſu in ómnibus vobis.

Hymnus.

O Tu diúrno lúmine,
Qui próvehi diem jubes,
Jeſu, refúlge déſuper
Patris amóris ígnibus.

Te lux agátur árbitro,
Quæ te recúrrit auſpice:
Soli tibi fac vívere
Nos qui tui toti ſumus.

Si quando curæ díſtrahunt,
Nuſquam malis nos ímplicent;
Mens réſpuat terréſtria,
Supérna ſemper áppetat.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Manè aſtábo tibi, Dómine, ℟. Et vidébo; quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Pſ.* 5. 4.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ. *Luc.* 1. 68.

Preces, quando dicuntur, & Suffragia, habentur infrà poſt Veſperas Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Dómine.

Pſalmus. 37.

DOmine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me:

Quóniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à facie iræ tuæ; * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum:

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt

cicatrices meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtátus ingrediébar:

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus, * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine ante te omne deſidérium meum, * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Diviſio Pſalmi 37.

AMíci mei, & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine ſperávi, * tu exaúdies me Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me, * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Intènde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Pſalmus 38.

DIxi: Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis: * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intrà me, * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea: * Notum fac mihi Dómine finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt, * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos: * & ſubſtántia

mea tanquam nihilum ante te.

Verúntamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúntamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc, quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me, * oppróbrium inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúntamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas: quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Dómine ante te omne deſidérium meum, & gémitus meus à te non eſt abſcónditus. *Pſ.* 37. 10.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Dómine.

Pſalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum, * & intèndit mihi;

Et exaudívit preces meas: * & edúxit me de lacu miſériæ, & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſupra petram pedes meos; * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi & timébunt, * & ſperábunt in Dño.

Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpéxit in vanitátes, & insánias falſas.

Multa feciſti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluiſti; * aures autem perfeciſti mihi.

Holocaúſtum & pro peccáto non poſtuláſti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me: ut fácerem voluntátem tuam Deus meus vólui, * & legem tuam in médio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna: * ecce

lábia mea non prohibébo, Dómine tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo :* veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam* à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miſeratiónes tuas à me : * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus ; * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me ; * Dómine ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul qui quærunt ánimam meam, * ut aúferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent, & læténtur ſuper te omnes quæréntes te ; * & dicant ſemper : Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum, & pauper :* Dóminus ſolícitus eſt meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus ne tardáveris.

Pſalmus 40.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem ; * in die mala liberábit eum Dóminus,

Dóminus conſérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus ; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine miſerére meî ; * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi ; * Quando moriétur, & períbit nomen ejus ?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur ; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei, * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me : * numquid qui dormit non adjíciet ut reſúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem Dómine miſerére meî, & reſúſcita me ; * & retribuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluíſti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti , * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraël à ſæculo , & uſque in ſæculum. * Fiat , fiat.

Ant. Dómine ne longè fácias miſeratiónes tuas à me. *Pſ.* 39. 12.

AD SEXTAM.

Ant. 4. *irreg.* A. Apud me orátio.

Pſalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum , * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem , vivum : * quando véniam , & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte , * dum dícitur mihi quotídie ; Ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordátus ſum , & effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis , uſque ad domum Dei ,

In voce exultatiónis , & confeſſiónis , * ſonus epulántis.

Quare triſtis es ánima mea,* & quare contúrbas me?

Spera in Deo , quóniam adhuc confitébor illi ; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Diviſio Pſalmi 41.

AD meipſum ánima mea conturbáta eſt : * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis , & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat , * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélſa tua , & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam ,* & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Suſcéptor meus es.

Quare oblítus es meî? * & quare contriſtátus incédo , dum afflígit me inimícus ?

Dum confringúntur oſſa mea , * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies , * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es ánima mea,* & quare contúrbas me ?

Spera in Deo , quóniam adhuc confitébor illi ; * ſalutáre vultûs mei , & Deus meus.

Pſalmus 42.

JUdica me Deus , & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta , * ab hómine iníquo & dolóſo érue me :

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulíſti ? & quare triſtis incédo , dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam : * ipſa me deduxérunt , & adduxérunt in mon-

tem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei;* ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus:* quare triſtis es ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi;* ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Apud me orátio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Suſcéptor meus es. *Pſ.* 41. 9. 10.

AD NONAM.

Ant. 3. g. In nómine tuo.

Pſalmus 43.

DEus aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus,* quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit; & plantáſti eos:* afflixiſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram,* & bráchium eórum non ſalvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui;* quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe rex meus & Deus meus,* qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu,* & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo,* & gládius meus non ſalvábit me:

Salváſti enim nos de affligéntibus nos,* & odiéntes nos confudíſti.

In Deo laudábimur totâ die,* & in nómine tuo confitébimur in ſéculum.

Diviſio Pſalmi 43.

NUnc autem repuliſti, & confudíſti nos;* & non egrediéris Deus in virtútibus noſtris,

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros;* & qui odérunt nos diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tanquam oves eſcárum,* & in géntibus diſperſíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſine prétio,* & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris;* ſubſannatiónem & deriſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus,* commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt,* & confúſio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis & obloquéntis,* à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec obliti ſumus te,* & iniquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non receſſit retro cor no-

ſtrum, * & declináſti ſémitas noſtras à via tua.

Quóniam humiliáſti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſalmi 43.

SI obliti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad Deum aliénum,

Nonne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge Dómine ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. In nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis. *Pſ.* 43. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 3. c. In domum.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi; * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini, teſtimónium Iſraël, * ad confiténdum nómini Dómini:

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſivi bona tibi.

Ant. In domum Dómini íbimus. *v.* 1.

Ant. 7. a. Oculi noſtri.

Pſalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum;

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ, * ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî Dómine, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

Ant. Oculi noſtri ad Dómi-

num Deum noſtrum, donec miſereátur noſtri. *v.* 3.

Ant. 1. â. Adjutórium noſtrum.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël,* Niſi quia Dñus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos,* fortè vivos deglutíſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos,* fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra,* fórſitan pertransíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus,* qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra, ſicut paſſer, erépta eſt* de láqueo venántium;

Láqueus contrítus eſt,* & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini,* qui fecit cœlum & terram.

Ant. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. *v.* 8.

Ant. 8. c. Bénefac.

Pſalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion;* non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúſalem.

Montes in circúitu ejus,* & Dóminus in circúitu pópuli ſui ex hoc nunc & uſque in ſéculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum,* ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac Dómine* bonis, & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem:* pax ſuper Iſraël.

Ant. Bénefac Dómine bonis, & rectis corde. *v.* 4.

Ant. 6. F. Convérte.

Pſalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion,* facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gaúdio os noſtrum,* & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes:* Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum;* facti ſumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem noſtram,* ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis,* in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant,* mitténtes ſémina ſua;

Venientes autem vénient cum exultatióne,* portántes manípulos ſuos.

Ant. Convérte Dómine captivitátem noſtram. *v.* 5.

Capitulum. 2. *Petr.* 1. 10.

SAtágite, ut per bona ópera certam veſtram vocatiónem, & electiónem faciátis:

hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

Hymnus.

DEus jubes: ab árida
Aquæ recédunt; nec mora,
Unum ferúntur in locum,
Et nomen impónis mari.

Suis decóra flóribus
Appáruit tellus ferax;
Et quas opes condit ſinu,
Fecúnda mater prótulit.

Mens ecce ceu tellus iners,
Mendáxque fundus, áruit;
Infúnde rorem grátiæ,
Et úberes fructus dabit.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Véſperè, & manè, & merídie narrábo, & annuntiábo; ℟. Et exaúdiet Dóminus vocem meam. *Pſ.* 54. 18.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. *Luc.* 1. 47.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

FERIA QUARTA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deus magnus Dóminus: * Veníte, adorémus. *Pſ.* 94. 6.

Pſalmus. Veníte, 2.

Hymnus.

QUam grande nobis, ô Deus,
Cœlo volúmen éxplicas!
Quàm te diſértis úndique
Cœlum canit concéntibus!

Quot aſtra nobis éxhibet,
Tot óribus te prædicat:
Cœlo magíſtro nos quoque
Te júgiter laudábimus.

Dum rúmpimus noctis moras,
Tibíque Chriſte pſállimus;
Ne quid canámus díſſonum;
Tu quod ſit aptum ſúggere.

Nil ſancta turbet ótia
Vani tumúltus ſéculi;
Sit únicus nobis labor
Tuis vacáre láudibus.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Pópuli.

Pſalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ *, velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * potentíſſime,

Spécie tuâ, & pulcritúdine tuâ * inténde, próſperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum Regis.

Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto ; * circúndata varietáte.

Audi fília, & vide, & inclína aurem tuam ; * & obliviſcere pópulum tuum, & domum patris tui :

Et concupíſcet Rex decórem tuum ; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus ; * in fimbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam, * próximæ ejus afferéntur tibi ;

Afferéntur in lætitia & exultatióne, * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in ſéculum ſéculi.

Pſalmus 45.

DEus noſter refúgium & virtus ; * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus ; non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobiſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram : * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus ; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiſcum : * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Pſalmus 46.

OMnes gentes plaúdite mánibus; * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis; * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hereditátem ſuam, * ſpéciem Jacob, quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo; * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite; * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus; * psállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti ſunt.

Ant. Pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, & in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 44. 18.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Invoca me.

Pſalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion látera Aquilónis, * cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt:

Tremor apprehéndit eos; * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúndate Sion, & compleƈtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * ipſe reget nos in ſécula.

Pſalmus 48.

AUdite hæc omnes gentes, * áuribus percípite omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam,* & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam,* apériam in pſaltério propoſitiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iniquítas calcánei mei circúndabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem ſuam,

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit ſapiéntes moriéntes:* ſimul insípiens & ſtultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias ſuas, * & ſepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo cùm in honóre eſſet, non intelléxit; * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſtea in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt:* mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno: * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eórum.

Verúntamen Deus rédimet ánimam meam de manu inferi,* cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia, * neque deſcéndet cum eo glória ejus:

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur,* confitébitur tibi cùm benefëceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Pſalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus eſt, * & vocávit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus.* Deus manifeſtè véniet: Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum desúrſum, & terram, * diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus,* qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia.

Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus,* quóniam Deus judex eſt.

Audi pópulus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificábor tibi:

tibi:* Deus Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocaúſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſilvárum, * juménta in móntibus, & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulcritúdo agri mecum eſt.

Si eſuriero, non dicam tibi:* meus eſt enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Nunquid manducábo carnes taurórum, * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo ſacrificium laudis, * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis :* éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus:* Quare tu enárras juſtítias meas, & aſſúmis teſtaméntum meum per os tuum?

Tu verò odíſti diſciplínam,* & projecíſti ſermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ,* & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsùs fílium matris tuæ ponébas ſcándalum: * hæc fecíſti, & tácui.

Exiſtimáſti iníquè quòd erò tuî símilis: * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc qui oblivíſcimini Deum; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei.

Ant. Invoca me in die tribulatiónis: éruam te, & honorificábis me. *Pſ.* 49. 16.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Os meum.

Pſalmus 50.

MIſerére mei Deus * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me:

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci, * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam ; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis , * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus , * & ſpíritum rectum innova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua ; * & ſpíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui ; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas ; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus Deus , Deus ſalútis meæ ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries ; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium , dedíſſem útique ; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus ; * cor contrítum & humiliátum Deus non deſpícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion , * ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ , oblatiónes & holocaúſta : * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Pſalmus 51.

QUid gloriáris in malítia , * qui potens es in iniquitáte ?

Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua : * ſicut novácula acúta feciſti dolum.

Dilexíſti malítiam ſuper benignitátem , * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexíſti ómnia verba præcipitatiónis , * lingua dolóſa.

Proptérea Deus déſtruet te in finem , * evéllet te , & emigrábit te de tabernáculo tuo , & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt juſti, & timébunt ; & ſuper eum ridébunt , & dicent : * Ecce homo , qui non póſuit Deum adjutórem ſuum,

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum ; * & præváluit in vanitáte ſua.

Ego autem ſicut oliva fructífera in domo Dei ; * ſperávi in miſericórdia Dei in ætérnum , & in ſéculum ſéculi.

Confitébor tibi in ſéculum, quia feciſti ; * & expectábo nomen tuum , quóniam bonum eſt in conſpéctu ſanctórum tuórum.

Pſalmus 52.

DIxit inſipiens in corde ſuo : * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt , & abomínábiles facti ſunt in iniquitátibus : * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum , * ut vídeat ſi eſt intélligens , aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt ; * non eſt

qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent: * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

Ant. Os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50. 17.

℣. In die clamávi & nocte coram te. ℟. Intret in conſpéctu tuo orátio mea. *Pſ.* 87. 1. 2.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Dóminus excélſus, terríbilis; ℟. Rex magnus ſuper omnem terram. *Pſ.* 46. 2.

Ant. 6. F. Confitébor.

Pſalmus 53.

DEus in nómine tuo ſalvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus exaúdi oratiónem meam, * áuribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérſùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me; * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

Ant. Confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum eſt. *v.* 8.

Ant. 1. *a.* Ad Deum clamavi.

Pſalmus 54.

EXaúdi Deus oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea, * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me, * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens, * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, * & tempeſtáte.

Præcípita Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúndabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia;

Et non defécit de platéis ejus * uſúra, & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique:

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò homo unánimis, * dux meus, & notus meus.

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos, * & deſcéndant in inférnum viventes:

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus ſalvábit me.

Ant. Ad Deum clamávi; & Dóminus ſalvábit me. *v.* 17.

Ant. 8. G. Jacta.

Diviſio Pſalmi 54.

VEſperè, & manè, & merídie narrábo, & annuntiábo; * & exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſécula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum: * exténdit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtaméntum ejus, divíſi ſunt ab ira vultûs ejus, * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum, * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò Deus dedúces eos * in púteum interitûs.

Viri ſánguinum, & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos: * ego autem ſperábo in te Dómine.

Ant. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet. *v.* 23.

Ant. 8. G. Non eſt ſanctus.

Canticum Annæ.

1. *Reg.* 2. 1. *ad* 10.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te; * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolite multiplicáre loqui ſublímia, * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro; quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt, * & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt, * & infírmi accíncti ſunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus ſe locavérunt; * & famélici ſaturáti ſunt,

Donec ſtérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat & vivíficat, * dedúcit ad ínferos & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat; * humíliat & ſúblevat.

Súſcitat de púlvere egénum, * & de ſtércore élevat paúperem,

Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticéſcent; * quia non in fortitúdine ſua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adverſárii ejus, * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium regi ſuo, & ſublimábit cornu Chriſti ſui.

Ant. Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te, *v.* 3.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici, dicitur ſequens Canticum. Tob.* 13. 1. *ad* 10.

Magnus es Dómine in ætérnum, * & in ómnia ſécula regnum tuum:

Quóniam tu flagéllas, & ſalvas: dedúcis ad ínferos & redúcis: * & non eſt qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino fílii Iſraël, * & in conſpéctu géntium laudáte eum:

Quóniam ídeo diſpérſit vos inter gentes, quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus,

Et faciátis ſcire eos: * quia non eſt álius Deus omnípotens præter eum.

Ipſe caſtigávit nos propter iniquitátes noſtras: * & ipſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam.

Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi: * Regémque ſeculórum exaltáte in opéribus veſtris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam oſténdit majeſtátem ſuam in gentem peccatrícem.

Convertímini itaque peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, * credéntes quòd fáciet vobíſcum miſericórdiam ſuam.

Ego autem, & ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum omnes elécti ejus: * ágite dies

lætítiæ, & confitémini illi.]

Ant. 7. a. Laudáte eum.

Pſalmus Laudum 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte eum in virtútibus ejus. *v.* 2.

Capitulum. Gal. 6. 9. 10.

BOnum faciéntes, non deficiámus: témpore enim ſuo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè autem ad doméſticos fídei.

Hymnus.

AUróra lucem próvehit,
Cedant ténebræ lúmini:
Lucis novæ dilúculum
Nos ad precándum cónvocat.

SUPREMA Chriſte cláritas,
Beáta ſpes mortálium,
Fac luce totâ córdibus
Se prodat alma véritas.

TE mens anhélans ámbiat,
Credens colat, ſperans amet;
Et juncta cœli cœtibus,
Laudáre nunquam déſinat.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Exultábo manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia factus es ſuſcéptor meus. *Pſ.* 58. 17. 19.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Eréxit cornu ſalútis nobis, in domo David púeri ſui. *Luc.* 1. 69.

Preces quando dicuntur, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 3. g. Clamábo.

Pſalmus 55.

MIſerére meî Deus quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur; * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus vitam meam annun-

távi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm,* in quacúnque die invocávero te,ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónem* in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam, * laudatiónes tibi.

Quóniam eripuíſti ánimam meam de morte,&pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Pſalmus 56.

Miſerére meî Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritátem ſuam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma & ſagíttæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos Deus,* & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum; * cantábo, & pſalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge pſaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculò.

Confitébor tibi in pópulis Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos Deus,* & ſuper omnem terram glória tua.

Pſalmus 57.

Si verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini in terra, * injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero; * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſórum; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad nihilum devénient tanquam aqua decúrrens : * inténdit arcum ſuum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur : * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquam intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam ; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo, ſi útique eſt fructus juſto, * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Ant. Clamábo ad Deum altíſſimum, Deum qui beneféc it mihi. *Pſ.* 56. 3.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Deus meus.

Pſalmus 58.

Eripe me de inimícis meis Deus meus, * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris ſánguinum ſalva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine ; * ſine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meum, & vide : * & tu Dómine Deus virtútum, Deus Iſraël.

Inténde ad viſitándas omnes gentes ; * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum ; * quóniam quis audívit ?

Et tu Dómine deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Diviſio Pſalmi 58.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es ; * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, ne occídas eos ; * nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua, * & depóne eos protéctor meus Dómine.

Delíctum oris eorum, ſermónem labiórum ipſórum ; * & comprehendántur in ſupérbia ſua :

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne, * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient, quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum ; * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitú-

dinem tuam, * & exultábo manè miſericórdiam tuam;

Quia factus es ſuſcéptor meus, & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſcéptor meus es, * Deus meus miſericórdia mea.

Pſalmus 59.

DEus repulíſti nos, & deſtruxíſti nos: * irátus es, & miſértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam: * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs,

Ut liberéntur dilécti tui: * ſalvum fac dexterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * lætábor & partíbor Sichimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes, * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ ſúbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu Deus qui repulíſti nos, * & non egrediéris Deus in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Ant. Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me. *Pſ.* 58. 11.

AD SEXTAM.

Ant. 3. g. Prótegar.

Pſalmus 60.

EXaúdi Deus deprecatiónem meam, * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum, * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſécula, * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſéculum ſéculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Pſalmus 61.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus, ſuſceptor meus; * non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tanquam paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

Verúntamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúntamen Deo ſubjécta eſto ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus, * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda veſtra; * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúntamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in ſtatéris, * ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt, & tibi Dómine miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Pſalmus 63.

EXaúdi Deus oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas; * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequam.

Narravérunt ut abſconderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Prótegar in velaménto alárum tuárum Dómine. *Pſ.* 60. 4.

AD NONAM.

Ant. 4. E. Omnis terra.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaúdi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis: * paráſti cibum illórum, quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Pſalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra; pſalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília ſunt ópera tua Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consiliis ſuper fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipſo.

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exáſperant, non exalténtur in ſemetipſis.

Benedícite gentes Deum noſtrum, * & audítam fácite vocem laudis ejus;

Qui póſuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos Deus; * igne nos examináſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo

noſtro, * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis; * reddam tibi vota mea, quæ diſtinxérunt lábia mea:

Et locútum eſt os meum * in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Pſalmus 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî,

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes; * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nómini tuo. *Pſ. 65. 3.*

AD VESPERAS.

Ant. 7. a. Niſi Dóminus.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum, * ecce heréditas Dómini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis, * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta,

Ant. Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam. *v.* 2.

Ant. 2. D. Beáti omnes.

Pſalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novéllæ olivárum, * in circúitu menſæ tuæ:

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ;

Et vídeas fílios filiórum tuórum; * pacem ſuper Iſraël.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum. *v.* 1.

Ant. 8. c. Confundántur.

Pſalmus 128.

SÆpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſraël,

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea, * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priúſquam evellátur, exáruit;

De quo non implévit manum ſuam qui metit, * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui prætéribant: Benedíctio Dómini ſuper vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Confundántur & convertántur retrórsùm omnes qui odérunt Sion. *v.* 5.

Ant. 2. D. Sperávit.

Pſalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine; * Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine, * Dómine quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt: * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio:

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sperávit ánima mea in Dómino. *v.* 5.

Ant. 1. *a.* Speret.

Pſalmus 130.

DOmine non eſt exaltátum cor meum, * neque eláti ſunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſraël in Dómino * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Ant. Speret Iſraël in Dómino. *v.* 5.

Capitulum. 2. *Theſſ.* 3. 5.

Dominus dírigat corda veſtra in caritáte Dei, & patiéntia Chriſti.

Hymnus.

O Quam poténti déxterâ
Orbes poli, quos cóndidit,
Deus tuétur & movet,
Mirus labóris ártifex!

Effusa cœlo sídera,
Autóris ad nutum ſui
Statis agúntur. cúrſibus,
Menſes & annos dírigunt.

Hæc qui creávit lúmina,
Quàm lucet ille ſpléndidus!
Qui tanta dona cóntulit,
Quàm dignus ille díligi!

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. A cuſtódia matutína uſque ad noctem ſperet Iſraël in Dómino; ℟. Quia apud Dóminum miſericórdia. *Pſ.* 129. 6. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Miſericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1. 50.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

FERIA QUINTA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Non repéllet Dóminus plebem ſuam: * Veníte, adorémus. *Pſ.* 94. 6.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

Dum noctis umbræ cóntegunt
Rerum colóres ómnium,
Nos ante te proſtérnimur,
Qui cuncta ſolus pérſpicis.

Tu prima vota ſúſcipe,
Et noctis in ſiléntio
Te proſequámur auſpice
Quæ te juvánte cœpimus.

Aufer procul piácula,
Sordéſque mentis áblue,
Largíre Chriſte grátiam
Quæ munda ſervet péctora.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Date glóriam Deo.

Pſalmus 67.

Exúrgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus; * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo; * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlcris.

Deus cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota eſt, étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sínaï, * à fácie Dei Iſraël.

Plúviam voluntáriam ſegregábis Deus hereditáti tuæ; * & infirmáta eſt, tu verò perfeciſti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua paúperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti, dilécti; * & ſpeciéi domûs divídere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ colúmbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Diviſio Pſalmi 67.

Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini montes coaguláros? * mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo, étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitátem; * accepiſti dona in homínibus.

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie, * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúntamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum; * vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus: Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris;

Ut intingátur pes tuus in ſánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingréſſus tuos Deus, * ingréſſus Dei mei; Regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

Altera divisio Psalmi 67.

IN eccléſiis benedícite Deo,* Dómino de fóntibus Iſraël.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ; * confirma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúſalem,* tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argénto.

Diſſipa gentes quæ bella volunt. * Vénient legáti ex Ægypto, Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantáte Deo, * psállite Dómino, psállite Deo.

Qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem, * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * ſuper Iſraël magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ: * benedíctus Deus.

Ant. Date glóriam Deo; ſuper Iſraël magnificéntia ejus.

v. 35.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Quærite Deum.

Pſalmus. 68.

SAlvum me fac Deus,* quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

Infixus ſum in limo profúndi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris,* & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè; * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus tu ſcis inſipiéntiam meam, * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me * qui quærunt te, Deus Iſraël.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meum cilícium, * & factus ſum illis in parábolam.

Advérſum me loquebántur qui ſedébant in porta, * & in

me

me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te Dómine: * tempus beneplàciti Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaúdi me Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel, * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant, * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deſérta, * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium, * & cum juſtis non ſcribántur.

Altera diviſio Pſalmi 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novéllum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ànima veſtra:

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hereditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Quærite Deum, & vivet ánima veſtra. *v.* 33.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Dómine.

Pſalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde, * Dómine ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum; * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu; * Dómine ne moréris.

Pſalmus 70.

IN te Dómine ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea Dómine, * Dómine ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero, de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tanquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui cuſtodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus ne elongéris à me; * Deus meus in auxílium meum réſpice.

Confundántur & defíciant detrahéntes ánimæ meæ; * operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo; * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit juſtí-

ſtiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine memorábor juſtítiæ tuæ ſolius.

Deus docuíſti me à juventúte mea; * & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et uſque in ſenéctam & ſénium, * Deus ne derelínquas me.

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus quis ſímilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas, * & convérſus vivificáſti me, & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me.

Multiplicáſti magnificéntiam tuam,* & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus;* pſallam tibi in cíthara; ſanctus Iſraël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuam; * cùm confúſi & revériti fuerint qui quærunt mala mihi.

Pſalmus 71.

DEus judícium tuum regi da, * & juſtítiam tuam filio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum,* & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus,* & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare, * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis, & ínſulæ múnera ófferent; * reges Arabum, & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes ſérvient ei;

Quia liberábit paúperem à potente, * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt

de ipſo ſemper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſécula, * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ; * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum; & replébitur majeſtáte ejus omnis terra. * Fiat, fiat.

Ant. Dómine memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus. *Pſ.* 70. 17.

℣. Bonum eſt confitéri Dómino, & psállere nómini tuo Altíſſime; ℟. Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, & veritátem tuam per noctem. *Pſ.* 91. 1. 2.

AD LAUDES. MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Laudábo nomen Dei cum cántico, ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſ.* 68. 35.

Ant. 1. *a.* Quàm bonus.

Pſalmus 72.

QUàm bonus Iſraël Deus, * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei:

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum:

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideo ténuit eos ſupérbia; * opérti ſunt iniquitáte, & impietáte ſuâ:

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum; * tranſiérunt in affféctum cordis:

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam, * iniquitátem in excélſo locúti ſunt:

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum tranſívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic, * & dies pleni inveniéntur in eis.

Ant. Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde! *v.* 1.

Ant. 2. D. Labor eſt ante me.

Diviſio Pſalmi 72.

ET dixérunt: Quómodo ſcit Deus, * & ſi eſt ſciéntia in Excélſo?

Ecce ipſi peccatóres, & abundántes in ſéculo * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas:

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúntamen propter dolos poſuíſti eis; * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem! * ſúbitò defecérunt, periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, * Dómine in civitáte tua imáginem ipſórum ad nihilum rédiges.

Ant. Labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuárium Dei. *v.* 16. 17.

Ant. 6. F. Deus.

Altera diviſio Pſalmi 72.

QUia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad níhilum redáctus ſum, & neſcívi.

Ut juméntum factus ſum apud te; * & ego ſemper tecum.

Tenuíſti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant ſe à te, peribunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Ant. Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. *v.* 26.

Ant. 5. a. Quis ſímilis tuî.

Canticum Moyſi.

Exod. 15. 2. *ad* 20.

CAntémus Dómino, glorióſè enim magnificátus eſt, * equum & aſcenſórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus; * currus Pharaónis, & exércitum ejus projécit in mare:

Electi príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro, abyſſi operuérunt eos; * deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta eſt in fortitúdine, déxtera tua Dómine percúſſit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adverſários tuos.

Miſíſti iram tuam quæ devorávit eos ſicut ſtípulam; * & in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérſequar & comprehéndam, * dívidam ſpólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare; * ſubmérſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis ſímilis tuî in fórtibus Dómine? * quis ſímilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendíſti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuíſti in miſericórdia tua * pópulo quem redemíſti;

Et portáſti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom, robúſtos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat ſuper eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui;

Fiant immóbiles quaſi lapis, donec pertránſeat pópulus tuus Dómine, * donec pertránſeat pópulus tuus iſte, quem poſſedíſti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíſſimo habitáculo tuo, quod operátus es Dómine:

Sanctuárium tuum Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in ætérnum & ultrà.

Ingréſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare; * & redúxit ſuper eos Dóminus aquas maris:

Fílii autem Iſraël ambulavérunt per ſiccum * in médio ejus.

Ant. Quis ſímilis tuî in fórtibus Dómine? quis ſímilis tuî? *v.* 11.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici, dicitur ſequens Canticum.*

1. *Par.* 29. 10 *ad* 13.

Benedíctus es, Dómine Deus Iſraël patris noſtri, * ab ætérno in ætérnum.

Tua eſt Dómine magnificéntia, * & poténtia, & glória, atque victória; & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cælo ſunt, * & in terra, tua ſunt:

Tuum Dómine regnum, * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua eſt glória: * tu domináris ómnium,

In manu tua virtus & poténtia: * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noſter, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum.]

Ant. 4. *irreg.* c. Exaltátum eſt.

Pſalmus Laudum 148.

LAudáte Dóminum de cœlis; * laudáte eum in excélſis:

Laudáte eum omnes Angeli ejus; * laudáte eum omnes virtútes ejus:

Laudáte eum ſol & luna; * laudáte eum omnes ſtellæ & lumen:

Laudáte eum cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Dómini,

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * præcéptum póſuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, & omnes abyſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ & univérſa pécora, * ſerpéntes & vólucres pennátæ;

Reges terræ & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ,

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſraël, pópulo appropinquánti ſibi.

Ant. Exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram. *v.* 13. 14.

Capitulum. 1. *Cor.* 16. 13. 14.

VIgiláte, ſtate in fide, viríliter ágite, & confortámini: ómnia veſtra in caritáte fiant.

Hymnus.

SURGENS novum mundo diem
Auróra jam prænúntiat:
Chriſtus ſuo verum jubar
Splendóre nos illúminet.

SIC tota decúrrat dies,
Ne lingua peccet, nec manus;
Incaúta nil mens cógitet,
Quod ipſe non probet Deus.

SPECTATOR è cœlis adeſt,
Quem nil latet, qui déſuper
Scrutátur ima péctoris,
Et cuncta præſens áſpicit.

SPERARET incáſſum reus
Celáre poſſe crímina:
Hic teſtis, hic eſt árbiter,
Hunc nemo fallit júdicem.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. In matutínis meditábor in te; ℟. Quia fuiſti adjútor meus. *Pſ.* 62. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Sine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti ſerviámus illi. *Luc.* 1. 74.

Preces, quando dicuntur, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Quóniam.

Pſalmus 73.

UT quid Deus repuliſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ,* quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hereditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te,* in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſilva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idipſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul: * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognóſcet ámpliùs.

Diviſio Pſalmi 73.

USquequo, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, & déxteram tuam, * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem rex noſter ante ſǽcula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Tu confirmáſti in virtúte tua mare; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confregíſti cápita dracónis,* dedíſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes & torréntes; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu feciſti omnes términos terræ; * æſtátem & ver tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem.

Réſpice in teſtaméntum tuum; * quia repléti ſunt, qui obſcuráti ſunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus:* pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge Deus, júdica cauſam tuam; * memor eſto improperiórum tuórum, eórum quæ ab inſipiénte ſunt totâ die.

Ne oblivifcáris voces inimicórum tuórum : * ſupérbia eórum qui te odérunt aſcéndit ſemper.

Pſalmus 74.

CONfitébimur tibi Deus ; * confitébimur , & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua ;* cùm accépero tempus , ego juſtítias judicábo.

Liquefácta eſt terra , & omnes qui hábitant in ea ; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis ; Nolíte iníquè ágere ; * & delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum , * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte , neque ab Occidénte , * neque à deſértis móntibus.

Quóniam Deus judex eſt,* hunc humíliat , & hunc exáltat :

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto ;* & inclinávit ex hoc in hoc ;

Verúntamen fæx ejus non eſt exinaníta ; * bibent omnes peccatóres terræ,

Ego autem annuntiábo in ſéculum ; * cantábo Deo Jacob :

Et ómnia córnua peccatórum confríngam ; * & exaltabúntur córnua juſti.

Ant. Quóniam Deus judex eſt , hunc humíliat , & hunc exáltat. ℣. 7.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Cogitávi.

Pſalmus 75.

NOtus in Judæa Deus;* in Iſraël magnum nomen ejus :

Et factus eſt in pace locus ejus,* & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum , * ſcutum , gládium , & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis : * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnum ſuum,* & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob , * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es , & quis reſíſtet tibi ? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium ; * terra trémuit , & quiévit ,

Cum exúrgeret in judícium Deus , * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi ; * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte , & réddite Dómino Deo veſtro , * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera ,

Terríbili , & ei qui aufert ſpíritum príncipum , * terríbili apud reges terræ.

Pſalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi , * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non ſum decéptus.

Rénuit conſolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum.

Nunquid in ætérnum projíciet Deus, * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Diviſio Pſalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecíſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum; fílios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt, * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota;

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis, * & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti, ſicut oves, pópulum tuum * in manu Móyſi & Aáron.

Ant. Cogitávi dies antíquos, & annos ætérnos in mente hábui. *v.* 5.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Ipſe eſt.

Pſalmus 77.

ATténdite pópule meus legem meam, * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum, * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera,

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in

Jacob, * & legem póſuit in Iſraël.

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea filiis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera.

Filii qui naſcéntur, & exſúrgent, * & narrábunt filiis ſuis,

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans;

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Prima diviſio Pſalmi 77.

Filii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, * convérſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre:

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tanquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei, * in iram excitavérunt Excélſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt; Nunquid póterit Deus paráre menſam in deſérto?

Quóniam percuſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Nunquid & panem póterit dare, * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideo audívit Dóminus, & diſtulit; * & ignis accénſus eſt in Jacob, & ira aſcéndit in Iſraël:

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis:

Panem Angelórum manducávit homo; * cibária miſit eis in abundántia.

Secunda diviſio Pſalmi 77.

Tránſtulit Auſtrum de cœlo, * & indúxit in virtúte ſua Africum:

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta;

Et cecidérunt in médio ca-

ſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum:

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis; * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipſórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos:

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Iſraël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum, & revertebántur, * & dilúculò veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eórum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo, * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei:

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miſéricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram ſuam, * & non accéndit omnem iram ſuam:

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens; & non rédiens.

Ant. Ipſe eſt miſéricors, & propítius fiet peccátis, *v.* 38.

AD NONAM.

Ant. 3. c. Dedúxit.

Tertia diviſio Pſalmi 77.

QUóties exacerbavérunt eum in deſérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóſo?

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & ſanctum Iſraël exacerbavérunt.

Non ſunt recordáti manûs ejus * die quâ redémit eos de manu tribulántis.

Sicut póſuit in Ægypto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convértit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum ne bíberent.

Miſit in eos cœnomyïam, & comédit eos; * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem; * immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit ſémitæ iræ ſuæ, & non pepércit à morte animábus eórum; * & juménta eórum in morte conclúſit.

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægypti, * pri-

mítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Quarta diviſio Pſalmi 77.

ET ábſtulit ſicut oves pópulum ſuum, * & perdúxit eos tanquam gregem in deſérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificatiónis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes, * & ſorte divíſit eis terram in funiculo diſtributiónis;

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſraël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélſum, * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum quemádmodum patres eórum: * convérſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprevit; * & ad níhilum redégit valde Iſraël.

Et répulit tabernáculum Silo; * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulcritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hereditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

Ultima diviſio Pſalmi 77.

ET excitátus eſt tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino:

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra, * oppróbrium ſempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſéph, * & tribum Ephraïm non elégit:

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctificium ſuum in terra, * quam fundávit in ſécula.

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſúſtulit eum de grégibus óvium:

De poſt fœtántes accépit eum * páſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſraël hereditátem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, * & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos.

Ant. Deduxit eos in ſpe, & non timuérunt. *Pſ.* 77. 53.

AD VESPERAS.

Ant. 1. f. Sacerdótes tui.

Pſalmus 131.

MEménto Dómine David, * & omnis manſuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ; * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & palpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, * donec invéniam locum Dómino tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta, * invénimus eam in campis ſilvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus, * adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam, * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur juſtítiam; * & ſancti tui exúltent.

Propter David ſervum tuum * non avértas fáciem Chriſti tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam; * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum, * & teſtimónia mea hæc quæ docébo eos;

Et filii eórum uſque in ſéculum * ſedébunt ſuper ſedem tuam;

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſéculum ſéculi; * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam; * páuperes ejus ſaturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam ſalutári; * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne; * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

Ant. Sacerdotes tui induántur juſtítiam. *v.* 9.

Ant. 1. *a.* Quàm bonum.

Pſalmus 132.

Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite; quod deſcéndit in barbam, barbam Aáron; * quod deſcéndit in oram veſtiménti ejus;

Sicut ros Hermon, * qui deſcéndit in montem Sion:

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam uſque in ſéculum.

Ant. Quàm bonum, & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum! *v.* 1.

Ant. 3. *g.* Omnia.

Pſalmus 134.

Laudáte nomen Dómini, * laudáte ſervi Dóminum,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * pſállite nómini ejus, quóniam ſuáve:

Quóniam Jacob elégit ſibi

Dóminus, * Iſraël in poſſeſſiónem ſibi:

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis.

Omnia quæcúnque vóluit, Dóminus fecit * in cœlo, & in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de theſaúris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus;

Et miſit ſigna & prodígia in médio tui, Ægypte; * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus.

Qui percúſſit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Iſraël pópulo ſuo.

Dómine nomen tuum in ætérnum; * Dómine memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipſórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël benedícite Dómino; * domus Aáron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jeruſalem.

Ant. Omnia quæcúnque vóluit, Dóminus fecit. *v.* 6.

Ant. 2. D. In humilitáte noſtra.

Pſalmus 135.

Confitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * confitémini Dómino dominórum;

Qui facit mirabília magna ſolus; * qui fecit cœlos in intelléctu;

Qui firmávit terram ſuper aquas; * qui fecit luminária magna,

Solem in poteſtátem diéi, * lunam & ſtellas in poteſtátem noctis.

Qui percúſſit Ægyptum * cum primogénitis eórum:

Qui edúxit Iſraël de médio eórum, * in manu poténti, & bráchio excélſo:

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes, * & edúxit Iſraël per médium ejus:

Et excúſſit Pharaónem, & virtútem ejus * in mari rubro:

Qui tradúxit pópulum ſuum per deſértum; * qui percúſſit reges magnos:

Et occídit reges fortes, * Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan:

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Iſraël ſervo ſuo:

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, * & redémit nos ab inimícis noſtris.

Qui dat eſcam omni carni,* confitémini Deo cœli.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Ant. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrì. *v.* 13.

Ant. 2. *D.* Sédimus.

Pſalmus 136.

SUper flúmina Babylónis illic ſédimus, * & flévimus cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus, in médio ejus,* ſuſpéndimus órgana noſtra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos; * hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non memínero tuî,

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætítiæ meæ:

Memor eſto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beátus qui tenébit, * & allídet parvulos tuos ad petram.

Ant. Sédimus, & flévimus cùm recordarémur Sion. *v.* 1.

Capitulum. 1. *Cor.* 10. 31.

SIve manducâtis, ſive bibítis, ſive áliud quid fácitis; ómnia in glóriam Dei fácite.

Hymnus.

SANCTUS poténter íncubans
Fecúndat undas Spíritus:
Ut Conditóris vox jubet,
Piſces natant, volant aves.

CUM non metant, hos próvido
Nutrit fovétque númine,
Omnéſque, quà poſſunt, Deo
Laudes repéndunt débitas.

NOS ſemper ingrátum genus,
Patris tacémus múnera;
Hæret fides, ſpes flúctuat,
Nec ſe polo fert cáritas.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Ad te clamávi totâ die;
℟. Lætífica ánimam ſervi tui.
Pſ. 85. 3. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Depóſuit poténtes de ſede, & exaltávit húmiles. *Luc.* 1. 52.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

FERIA SEXTA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, adorémus, * Et procidámus ante Deum. *Pſ.* 94. 6.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

TU Trinitátis únitas,
Orbem poténter qui regis,
Atténde laudis cánticum
Quod excubántes pſállimus.

QUOT nos, Deus, premant mala,
Quæ méntibus nox íncubet,
Altis vides è ſédibus;
Medére, tu ſolus potes.

SI fraude luſi dæmonum
In nocte quid delíquimus,
Tuâ poténti grátiâ
Dies renáſcens déleat.

DEO Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 7. a. In generatiónem.

Pſalmus 78.

DEus venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum, tánquam aquam, in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequo Dómine iraſcéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia paúperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, * & propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus, * Ubi eſt Deus eórum?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris * últio ſánguinis ſervórum tuórum, qui effúſus eſt.

Intróeat in conſpéctu tuo gémitus compeditórum: * ſecúndùm magnitúdinem brá-

chii tui póſſide filios mortificatórum.

Et redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum ; * impropérium ipſórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſéculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Pſalmus 79.

QUi regis Iſraël inténde,* qui dedúcis velut ovem Joſeph :

Qui ſedes ſuper Chérubim,* manifeſtáre coram Ephraïm, Bénjamin, & Manáſſe.

Excita poténtiam tuam, & veni, * ut ſalvos fácias nos.

Deus convérte nos ; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum,* quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum,* & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra ?

Poſuíſti nos in contradictiónem vicínis noſtris, * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos ; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Diviſio Pſalmi 79.

VIneam de Ægypto tranſtulíſti : * ejecíſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus ; * plantáſti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus,* & arbúſta ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites ſuos uſque ad mare, * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxíſti macériam ejus,* & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam ?

Exterminávit eam aper de ſilva, * & ſinguláris ferus depáſtus eſt eam.

Deus virtútum convértere;* réſpice de cœlo, & vide, & viſita víneam iſtam,

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua : * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi :

Incénſa igni, & ſuffóſſa ; * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ, * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi.

Et non diſcédimus à te : * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos ; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Ant. In generatiónem & generatiónem annuntiábimus laudem tuam. *Pſ.* 78. 13.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Exultáte.

Pſalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri noſtro,* jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date

tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſraël eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

Diviſio Pſalmi 80.

IN tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, & conteſtábor te: * Iſraël ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſraël non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſraël ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimici Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Pſalmus 81.

DEus ſtetit in ſynagóga deórum; * in médio autem Deos dijúdicat.

Uſquequo judicátis iniquitátem; * & fácies peccatórum ſúmitis?

Judicáte egéno, & pupíllo; * húmilem, & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & fílii Excélſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram; * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

Ant. Exultáte Deo adjutóri noſtro. *Pſ.* 80. 2.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Dómine.

Pſalmus 82.

DEus quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris Deus:

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consilium, * & cogitavérunt advérsùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter ſimul, * advérsùm te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum, & Iſmaëlítæ,

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Aſſur venit cum illis; * facti ſunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis ſicut Mádian, & Síſaræ; * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum, ſicut Oreb, * & Zeb, & Zebée, & Sálmana.

Omnes príncipes eórum, qui dixérunt: * Hereditáte poſſideámus ſanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſilvam, * & ſicut flamma combúrens montes,

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum Dómine.

Erubéſcant, & conturbéntur in ſéculum ſéculi, * & confundántur, & péreant.

Et cognóſcant quia nomen tibi Dóminus, * tu ſolus altíſſimus in omni terra.

Pſalmus 83.

QUàm diléćta tabernácula tua Dómine virtútum! * concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua Dómine, * in ſécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te; * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exaúdi oratiónem meam, * aúribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noſter áſpice Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui:

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus, * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

Pſalmus 84.

BEnedixíſti Dómine terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam; * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Nunquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérſus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam, * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúntamen prope timéntes eum ſalutáre ipſius, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi, * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Dómine virtútum beátus homo qui ſperat in te. *Pſ.* 83. 13.

℣. In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam,

℟. Et nocte cánticum ejus. *Pſ.* 41. 9.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Cognóſcant quia nomen tibi Dóminus,

℟. Tu ſolus altíſſimus in omni terra. *Pſ.* 82. 19.

Ant. 6. P. Tu Dómine.

Pſalmus 85.

INclína Dómine aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam: quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum Deus meus ſperántem in te.

Miſerére meî Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi:

Quóniam tu Dómine ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe Dómine oratiónem meam, * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudíſti me.

Non eſt símilis tuî in diis Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcúnque feciſti vénient, & adorábunt coram te Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Ant. Tu Dómine ſuávis & mitis, & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te. *v.* 5.

Ant. 7. c. Glorificábo.

Diviſio Pſalmi 85.

DEduc me Dómine in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu Dómine Deus miſerátor & miſéricórs, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére mei; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur, * quóniam tu Dómine adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Ant. Glorificábo nomen tuum in ætérnum. *v.* 12.

Ant. 4. E. Meditátus ſum.

Pſalmus 142.

DOmine exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua, * exaúdi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo, * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam;

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſéculi, * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus, in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis, * & in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me Dómine, * defécit ſpíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos;

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis. *v.* 5.

Ant. 7. a. Opéruit cœlos.

Canticum Habacuc.

c. 3. 1. *ad fin.*

DOmine audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab Auſtro véniet, * & ſanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus; * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus,

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus: * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpéxit, & diſſólvit gentes: * & contríti ſunt montes ſǽculi.

Incurváti ſunt colles mundi, * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Nunquid in flumínibus irátus es Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui aſcéndes ſuper equos tuos, * & quadrígæ tuæ ſalvatio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios ſcindes terræ, vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuam, * altitúdo manus ſuas levávit.

Sol & luna ſtetérunt in habitáculo ſuo, * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulgurántis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obſtupefácies gentes.

Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum chriſto tuo.

Percuſsíſti caput de domo ímpii; * denudáſti fundaméntum ejus uſque ad collum.

Maledixíſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * r

niéntibus ut turbo ad diſpergéndum me.

Exultátio eórum, * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam fecíſti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcáteat;

Ut requiéſcam in die tribulatiónis; * ut aſcéndam ad pópulum accínctum noſtrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus, * & non erit arméntum in præſépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quaſi cervórum;

Et ſuper excélſa mea dedúcet me victor * in pſalmis canéntem.

Ant. Opéruit cœlos glória ejus; & laudis ejus plena eſt terra. *v.* 3.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici, dicitur ſequens*

Canticum Iſaiæ. c. 26. 1. *ad* 9.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion ſalvátor, * ponétur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Speráſtis in Dómino in ſéculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * détrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in ſémita judiciórum tuórum Dómine; ſuſtinúimus te: * nomen tuum & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte; * ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine exaltétur manus tua, * & non vídeant;

Vídeant, & confundántur zelántes pópuli: * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine dabis pacem nobis: * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.]

Ant. 5. a. Laudent nomen ejus.

Pſalmus Laudum 149.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum, * & filii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano, & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória, * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis,

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Laudent nomen ejus in choro, in tympano, & pſaltério pſallant ei. *v.* 3.

Capitulum. Rom. 14. 19.

QUæ pacis ſunt, ſectémur; & quæ ædificatiónis ſunt, in ínvicem cuſtodiámus.

Hymnus.

CElsi Tonántis Unice,
Caſtæque proles Vírginis,
Quo ſtat ſalus mortálium,
Purus dies illábere.

Fac manè primo débitas
Grates tibi repéndere,
Fac ſemper inténtos tuis
Nos eſſe, Chriſte, laúdibus.

Sincera radíces agat
In corde símplici fides,
Immóta ſpes congaúdeat,
His major adſit cáritas.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *D.* Serviámus in ſanctitáte, & juſtítia coram Dómino, ómnibus diébus noſtris. *Luc.* 1. 74. 75.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

AD PRIMAM.

Ant. 4. *E.* Inclina.

Pſalmus 86.

FUndaménta ejus in montibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum; * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum;* horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio eſt in te.

Pſalmus 87.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea, * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta eſt malis ánima mea, * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum, * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlcris, quorum non es memor ámpliùs; * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me, * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Diviſio Pſalmi 87.

CLamávi ad te Dómine totâ die; * expándi ad te manus meas.

Nunquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Nunquid narrábit áliquis in ſepúlcro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Nunquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi, * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam, * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem humiliátus ſum, & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me:

Circundedérunt me ſicut aqua totâ die, * circundedérunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum, & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Inclína aurem tuam ad precem meam. *Pſ.* 87. 3.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Miſericórdias Dómini.

Pſalmus 88.

MIſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixíſti: In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis:

Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis ; * jurávi David ſervo meo, Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum ;

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * ſedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua Dómine ; * étenim veritátem tuam in ecclésia ſanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino, * ſimilis erit Deo in fíliis Dei ?

Deus qui glorificátur in consílio ſanctórum, * magnus & terríbilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi ? * potens es Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris, * motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum ; * in bráchio virtútis tuæ diſperſiſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra ; orbem terræ, & plenitúdinem ejus tu fundáſti ; * aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua ; * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam :

Beátus pópulus qui ſcit jubilatiónem ; * Dómine in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die ; * & in juſtítia tua exaltabúntur :

Quóniam glória virtútis eórum tu es ; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum :

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra, * & ſancti Iſraël, regis noſtri.

Diviſio Pſalmi 88.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixiſti : * Póſui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David ſervum meum, * óleo ſancto meo unxi eum :

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum :

Nihil proficiet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concîdam à fácie ipſíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo ; * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me : Pater meus es tu, * Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ :

Et ego primogénitum ponam illum, * excélſum præ régibus terræ,

In æternum ſervábo illi miſericórdiam meam, * & teſtaméntum meum fidéle ipſi,

Et ponam in ſéculum ſéculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si juſtítias meas profanáverint, * & mandáta mea non cuſtodíerint;

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in vérberibus peccáta eorum:

Miſericórdiam autem meam non diſpérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo teſtaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar, * ſemen ejus in ætérnum manébit:

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpéctu meo, & ſicut luna perfécta in ætérnum: * & teſtis in cœlo fidélis.

Altera diviſio Pſalmi 88.

TU verò repuliſti, & deſpexíſti, * diſtulíſti chriſtum tuum.

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui, * profanáſti in terra ſanctuárium ejus:

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus, * poſuíſti firmaméntum ejus formídinem:

Diripuérunt eum omnes tranſeúntes viam; * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis;

Exaltáſti déxteram depriméntium eum, * lætificáſti omnes inimícos ejus:

Avertíſti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Deſtruxíſti eum ab emundatióne, * & ſedem ejus in terram colliſíſti:

Minoráſti dies témporis ejus, * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequo Dómine avértis in finem, * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * nunquid enim vanè conſtituíſti omnes filios hóminum?

Quis eſt homo qui vivet, & non vidébit mortem; * éruet ánimam ſuam de manu ínferi?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto Dómine oppróbrii ſervórum tuórum, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in æternum. * Fiat, fiat.

Ant. Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo. *v.* 2.

AD SEXTAM.

Ant. 7. *d.* Quàm magnificáta ſunt.

Pſalmus 89.

DOmine refúgium factus es nobis * à generatióne in generatiónem.

Priúſquam montes fierent, aut formarétur terra & orbis,* à ſéculo & uſque in ſéculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem;* & dixíſti: Convertímini fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies heſtérna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte.

Quæ pro níhilo habéntur,* eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat, manè flóreat, & tránſeat;* véſperè décidat, indúret, & aréſcat.

Quia defécimus in ira tua,* & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * ſéculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri ſicut aránea meditabúntur : * dies annórum noſtrórum, in ipſis ſeptuagínta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni;* & ámpliùs eórum, labor & dolor:

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Diviſio Pſalmi 89.

DExteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntia.

Convértere Dómine, úſquequo? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua;* & dírige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige.

Pſalmus 91.

BOnum eſt confitéri Dómino,* & pſállere nómini tuo Altíſſime;

Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam,* & veritátem tuam per noctem,

In decachórdo, pſaltério,* cum cántico in cíthara:

Quia delectáſti me Dómine in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ:

Vir inſípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fuérint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem, ut intéreant in ſéculum ſéculi:

Tu autem Altiſſimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi: * & bene patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

Ant. Quàm magnificáta ſunt ópera tuà Dómine! nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ. *v.* 6.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Factus eſt.

Pſalmus 93.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre qui júdicas terram, * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequo peccatóres Dómine, * uſquequo peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt, * & hereditátem tuam vexavérunt:

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intelligite inſipiéntes in pópulo, * & ſtulti aliquándo ſapite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non conſíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt.

Beátus homo quem tu erudíeris Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diebus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hereditátem ſuam non derelínquet,

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; & qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Niſi quia Dóminus adjúvit

me,* paulò minùs habitáſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus eſt pes meus ; * miſericórdia tua Dómine adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo,* conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitátis,* qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam juſti,* & ſánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium,* & Deus meus in adjutórium ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipſórum, & in malítia eórum diſpérdet eos ; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter.

Pſalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum,* cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus ;* annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus :

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * terríbilis eſt ſuper omnes deos :

Quóniam omnes dii géntium, dæmónia ; * Dóminus autem cœlos fecit.

Confeſſio & pulcritúdo in conſpéctu ejus ; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem ; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra : * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur ;* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra ; commoveátur mare, & plenitúdo ejus ; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſilvárum à fácie Dómini, quia venit ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte,* & pópulos in veritáte ſua.

Pſalmus 96.

DOminus regnávit, exultet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus ;* juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet,* & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini ; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus ; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília , * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit , & lætáta eſt Sion ;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram ; * nimis exaltátus es ſuper omnes Deos.

Qui dilígitis Dóminum , odíte malum : * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum , de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto , * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Factus eſt mihi Dóminus in refúgium , & Deus meus in adjutórium ſpei meæ. *Pſ.* 93, 22.

AD VESPERAS.

Ant. 5. a. In conſpéctu.

Pſalmus 137.

CONfitébor tibi Dómine in toto corde meo ; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi ; * adorábo ad templum ſanctum tuum ;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua , & veritáte tua ; * quóniam magnificáſti ſuper omne , nomen ſanctum tuum.

In quacúnque die invocávero te , exaúdi me ; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui ;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini ;

Quóniam excélſus Dóminus , & humília réſpicit , * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis , vivificábis me ; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam , & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : Dómine miſericórdia tua in ſéculum ; * ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

Ant. In conſpéctu Angelórum pſallam tibi. *v.* 2.

Ant. 3. *a.* Suſcepíſti me.

Pſalmus 138.

DOmine probáſti me , & cognovíſti me ; * tu cognovíſti ſeſſiónem meam , & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longè , * ſémitam meam , & funículum meum inveſtigáſti ;

Et omnes vias meas prævidíſti ; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovíſti ómnia noviſſima, & antíqua : * tu

tu formáſti me, & poſuíſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illic es; * ſi deſcéndero in inférnum, ades:

Si ſúmpſero pennas meas dilúculò, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabúntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepíſti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod fecíſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honoriſicáti ſunt amíci tui Deus, * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur; * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres; * viri ſánguinum declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine, óderam; * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide, ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

Ant. Suſcepíſti me de útero matris meæ. *v.* 13.

Ant. 4. E. Deus meus es tu.

Pſalmus 139.

ERipe me Dómine ab hómine malo, * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die conſtituébant prælia:

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis, * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me Dómine de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me,

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi,

Et funes extendérunt in lá-

queum ; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu ; * exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me Dómine à deſidério meo, peccatóri ; * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitûs eórum, * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes, in ignem dejícies eos ; * in miſériis non ſubsíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra ; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúntamen juſti confitebúntur nómini tuo ; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Deus meus es tu ; exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ. *v.* 7.

Ant. 8. c. Ad te Dómine.

Pſalmus 140.

DOmine clamávi ad te, exaúdi me ; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo : * elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone Dómine cuſtódiam ori meo, * & óſtium circunſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excuſándas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem ; * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me ; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum ;

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Abſórpti ſunt juncti petræ júdices eórum, * aúdient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram, * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecus inférnum.

Quia ad te Dómine, Dómine óculi mei ; * in te ſperávi, non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi ; * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. Ad te Dómine, Dómine óculi mei ; in te ſperávi. *v.* 8.

Ant. 8. c. Tu es ſpes mea.

Pſalmus 141.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum ;

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam, * & tribu-

latiónem meam ante ipſum pronúntio,

In deficiéndo ex me ſpíritum meum; * & tu cognovíſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam,* abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam, * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine; * dixi: Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me: * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo; * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium. *v.* 6.

Capitulum. 1. *Petr.* 1. 22.

ANimas veſtras caſtificántes in obediéntia caritátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde invicem diligite atténtiùs.

Hymnus.

VIdes, Deus, terræ ſinu
Juménta quæ prodúxeras:
Videns probas; nunc grándius
Opus, quod his præſit, moves.

Lutum péritus ártifex
Imáginem formas tuî:
Ipſam Creatóris manum
Homo creándus éxigit.

Imago nos Dei ſumus,
Sumus Dei nos hálitus:
Sit cura ſemper íntegris
Deum reférre móribus.

Quidquid creat, totum tibi
Velut duci, ſubdit Deus;
Ne dégener ſias, homo,
Tui nec ortûs ímmemor.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Clamávi ad te Dómine totâ die; ℟. Expándi ad te manus meas. *Pſ.* 87. 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. ä. Eſuriéntes implévit bonis; & dívites dimíſit inánes. *Luc.* 1. 53.

Preces, ſi dicendæ ſint, & Suffragia, ut infrà poſt Veſperas Sabbati.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Dóminum Deum noſtrum: * Veníte, adorémus. *Pſ.* 94. 7.

Pſalmus. Veníte, 2.

Hymnus.

UNius ô ſubſtántiæ,
Trinúſque perſónis Deus,
Noſtras pius cum cánticis
Preces benígnè ſúſcipe.

Te prædicat ſuo dies
Splendóre, Rector témporum;
Nec prædicat minùs ſuo
Diſérta nox ſiléntio.

Noctis quiéto témpore
Ad confiténdum ſúrgimus:
Uni tibi fac mens vacet,
Sis unus in votis, Deus

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Exaltáte Dóminum.

Pſalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum, * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo omnis terra; * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini; * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram:

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Pſalmus 98.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt: * & honor Regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes, * judícium & juſtítiam in Jacob tu feciſti.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum; * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aáron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos; * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos; * Deus tu propítius fuíſti eis, & ulcíſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Pſalmus 100.

MIſericórdiam & judícium * cantábo tibi Dómine.

Pſallam & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injúſtam, * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum, * declinántem à me malígnum non cognoſcébam.

Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo * hunc perſequébar.

Supérbo óculo & inſatiábili corde,* cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut ſédeant mecum;* ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ qui fácit ſupérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conſpéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus. *Pſ.* 98. 9.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. In quacúnque die.

Pſalmus 101.

DOmine exaúdi oratiónem meam, * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me;* in quacúnque die tribulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúnque die invocávero te, * velóciter exaúdi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum, * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nicticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant.

Quia cínerem tanquàm panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam.

A fácie iræ, & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt,* & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 101.

TU exúrgens miſeréberis Sion;* quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt ſervis

tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória ſua:

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit,

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut ſólveret fílios interemptórum,

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jeruſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſérviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ; * Paucitátem diérum meórum núntia mihi;

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera diviſio Pſalmi 101.

INítio tu Dómine terram fundáſti, * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem pérmanes; * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent:

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur; * tu autem idem ipſe es; & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſéculum dirigétur.

Ant. In quacúnque die invocávero te, velóciter exaúdi me. *v.* 3.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Quómodo miſerétur.

Pſalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino, * & ómnia quæ intrà me ſunt nómini ſancto ejus.

Benedic ánima mea Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * fíliis Iſraël voluntátes ſuas.

Diviſio Pſalmi 102.

MIſerátor & miſéricors Dóminus, * longánimis & multùm miſéricors;

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur:

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis: * neque ſecún-

dùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis:

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiam ſuam ſuper timéntes ſe.

Quantùm diſtat ortus ab occidénte,* longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Quómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus; * homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorébit.

Quóniam ſpíritus pertranſibit in illo, & non ſubsíſtet;* & non cognóſcet ámpliùs locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno,* & uſque in ætérnum ſuper timéntes eum.

Et juſtítia illíus in fílios filiórum, * his qui ſervant teſtaméntum ejus,

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Altera diviſio Pſalmi 102.

DOminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus,* poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino ómnes virtútes ejus, * miniſtri ejus qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic ánima mea Dómino.

Ant. Quómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe. *v.* 13.

℣. Confitébor tibi in pópulis Dómine, ℟. Et pſallam tibi in natiónibus. *Pſ.* 107. 4.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Confiteántur nómini tuo magno, ℟. Quóniam terríbile & ſanctum eſt. *Pſ.* 98. 3.

Ant. 6. F. Bénedic.

Pſalmus 103.

BEnedic ánima mea Dómino; * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confeſſiónem & decórem induíſti,* amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Extséndens cœlum ſicut pellem; * qui tegis aquis ſuperióra ejus;

Qui ponis nubem aſcénſum tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis ángelos tuos ſpíritus; * & miniſtros tuos ignem uréntem.

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam, * non inclinábitur in ſéculum ſéculi.

Abyſſus, ſicut veſtiméntum, amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fú-

gient;* à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur;* neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus,* inter médium móntium pertranſíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri; * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt,* de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis,* de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra,* & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo,* & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi,* & cedri Líbani quas plantávit;

Illic páſſeres nidificábunt;* heródii domus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora:* ſol cognovit occáſum ſuum.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertranſíbunt omnes béſtiæ ſilvæ;

Cátuli leónum rugíentes ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt,* & in cubílibus ſuis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus ſuum,* & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperam.

Ant. Bénedic ánima mea Dómino; Dómine Deus meus magnificátus es veheménter. *v.* 1.

Ant. 3. *a.* Quàm magnificáta ſunt.

Diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti: * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum & ſpatióſum mánibus; * illic reptília quorum non eſt númerus, animália pusílla cum magnis:

Illic naves pertranſíbunt;* draco iſte quem formáſti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant * ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis cólligent;* aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte:

Averténte autem te fáciem, turbabúntur; * aúferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum reverténtur.

Emíttes ſpíritum tuum, & creabúntur; * & renovábis fáciem terræ.

Ant. Quàm magnificáta ſunt ópera tua Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti. *v.* 24.

Ant. 7. c. Cantabo Dómino.

Altera diviſio Pſalmi 103.

SIt glória Dómini in ſéculum, * lætábitur Dóminus in opéribus ſuis;

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * pſallam Deo meo quándiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non ſint: * bénedic ánima mea Dómino.

Ant. Cantábo Dómino in vita mea, pſallam Deo meo quándiu ſum. *v.* 33.

Ant. 1. *a.* Date magnificéntiam.

Canticum Moyſi.

Deut. 32. 1. *ad* 43.

AUdíte cœli quæ loquor; * aúdiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum;

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina; * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * Dei perfécta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, juſtus & rectus; * peccavérunt ei, & non filii ejus in ſórdibus.

Generátio prava atque perverſa, * hæccine reddis Dómino, pópule ſtulte, & insípiens?

Nunquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſſédit te; & fecit, & creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes ſíngulas:

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi:

Quando dividèbat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat filios Adam,

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Iſraël.

Pars autem Dómini, pópulus ejus; * Jacob funículus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra deſérta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis.

Circundúxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit, * & non erat cum eo deus aliénus.

Conſtítuit eum ſuper excélſam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut ſúgeret mel de petra, * oleúmque de ſaxo duríſſimo,

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan;

Et hircos cum medúlla trítici, * & ſánguinem uvæ bíberet meracíſſimum.

Incraſſátus eſt diléctus & recalcitrávit; * incraſſátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & recéſſit à Deo ſalutári ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt:

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant:

Novi, recentéſque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit dereliquíſti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; * quia provocavérunt eum filii ſui, & filiæ:

Et ait: Abſcóndam fáciem meam ab eis, * & conſiderábo noviſſima eórum;

Generátio enim pervérſa eſt, * & infidéles filii;

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus ſuis;

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccénſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſque ad inférni noviſſima:

Devorabítque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo ſuper eos mala, * & ſagíttas meas complébo in eis.

Conſuméntur fame, * & devorábunt eos aves morſu amaríſſimo.

Dentes beſtiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem ſimul ac vírginem, lacténtem cum hómine ſene.

Dixi: Ubinam ſunt? * ceſſáre fáciam ex homínibus memóriam eórum:

Sed propter iram inimicórum dìſtuli; * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent, Manus noſtra excélſa, * & non Dóminus fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia: * útinam ſáperent & intellígerent, ac noviſſima providérent.

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo, quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dóminus conclúſit illos?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum: * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum vínea

eórum, * & de ſuburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum uva fellis, * & botri amariſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſaúris meis?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis, * & adéſſe feſtínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerébitur.

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecèrunt, reſiduíque conſúmpti ſunt.

Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum:

Surgant, & opituléntur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me:

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam; * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur, gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis, * & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagittas meas ſánguine, * & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occiſórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte gentes pópulum ejus, * quia ſánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Ant. Date magnificéntiam Deo noſtro. *v.* 4.

[*In Feſtis, locò ſuperioris Cantici, dicitur ſequens Canticum. Judith.* 16. 2. *ad* 8.

INcípite Dómino in tympanis, * cantáte Dómino in cymbalis.

Moduláмini illi pſalmum novum; * exaltáte, & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella, * Dóminus nomen eſt illi.

Qui póſuit caſtra ſua in médio pópuli ſui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum noſtrórum.

Venit Aſſur ex móntibus ab Aquilóne * in multitúdine fortitúdinis ſuæ:

Cujus multitúdo obturávit torréntes, * & equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit ſe incenſúrum fines meos, * & júvenes meos occiſúrum gládio,

Infántes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus féminæ, * & confódit eum.]

Ant. 7. c. Laudáte eum.

Pſalmus Laudum 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus. *v.* 2.

Capitulum. Philipp. 4. 8.

QUæcúnque ſunt vera, quæcúnque pudíca, quæcúnque juſta, quæcúnque ſancta, quæcúnque amabília, quæcúnque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte.

Hymnus.

PRoles Parénti par tuo,
Verúſque de Dèo Deus,
Exúrge, da mundo diem,
Mentis tenébras díſcute.

Te quærimus dilúculò;
Nos ſanctus ardor éxcitat:
Quæ corde puro fúndimus,
O Chriſte, vota ſúſcipe.

Exurge, de cœlo tuis
Intus fove cor ígnibus;
Ut unde flagrat, huc amans
Toto ferátur ímpetu.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſáncte Spíritus,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; ℟. Exultávimus, & delectáti ſumus. *Pſ.* 89. 14.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Viſitávit nos, óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *Luc.* 1. 78. 79.

Preces quando dicuntur, & Suffragia, infrà poſt Veſperas.

AD PRIMAM.

Ant. 4. *irreg.* A. Quærite Dóminum.

Pſalmus 104.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & pſállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, ſervi ejus; * filii Jacob, elécti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in ſéculum teſtaménti ſui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham, * & juraménti ſui ad Iſaac:

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſraël in teſtaméntum ætérnum,

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funiculum hereditátis veſtræ;

Cùm eſſent número brevi, paucíſſimi, * & íncolæ ejus:

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere chriſtos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári:

Diviſio Pſalmi 104.

ET vocávit famem ſuper terram, * & omne firmaméntum panis contrívit:

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúndatus eſt Joſeph:

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus:

Elóquium Dómini inflammávit eum; * miſit rex, & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſionis ſuæ,

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſraël in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum veheménter; * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Altera diviſio Pſalmi 104.

MIſit Móyſen ſervum ſuum, * Aáron quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit tenebras & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinem: * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipſórum.

Dixit; & venit cœnomyïa, & cínifes, * in ómnibus finibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipſórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit; & venit locúſta, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta eſt Ægyptus in profectióne eórum, * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix; * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in ſicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum:

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne, * & electos ſuos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium, * & labóres populórum poſſedérunt,

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Quærite Dóminum, & confirmámini; quærite fáciem ejus ſemper. *v.* 4.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Beáti.

Pſalmus 105.

Confitémini Dómino; quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam * in omni témpore.

Meménto noſtri Dómine in beneplácito pópuli tui; * viſita nos in ſalutári tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ, * ut laudéris cum hereditáte tua.

Diviſio Pſalmi 105.

Peccávimus cum pátribus noſtris, * injúſtè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt aſcendéntes in mare, * mare rubrum:

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum, * ut notam fáceret poténtiam ſuam:

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & dedúxit eos in abyſſis ſicut in deſérto:

Et ſalvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánſit.

Et credidérunt verbis ejus,* & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti ſunt óperum ejus, * & non ſuſtinuérunt consílium ejus:

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo:

Et dedit eis petitiónem ipſórum, * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aáron ſanctum Dómini.

Apérta eſt terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit ſuper congregatiónem Abíron:

Et exárſit ignis in ſynagóga eórum, * flamma combúſſit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt ſcúlptile;

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos; * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos,* ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetíſſet in confractióne in conſpéctu ejus,

Ut avérteret iram ejus, * ne diſpérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem; * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis ſuis; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto,

Et ut dejíceret ſémen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor; * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis: * & multiplicáta eſt in eis ruína.

Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſſávit quaſſátio:

Et reputátum eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus eſt Móyſes propter eos;

Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus, * & diſtínxit in lábiis ſuis.

Altera diviſio Pſalmi 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & ſerviérunt ſculptílibus eórum; * & factum eſt illis in ſcándalum.

Et immolavérunt fílios ſuos, * & fílias ſuas dæmóniis;

Et effudérunt ſánguinem innocéntem; * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárum ſuárum quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféҁta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum, * & abominátus eſt hereditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum: * ſæpe liberávit eos.

Ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo, * & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit teſtaménti ſui, * & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem misericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias * in conſpéҁtu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac Dómine Deus noſter, * & cóngrega nos de natiónibus,

Ut confiteámur nómini ſanҁto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíҁtus Dóminus Deus Iſraël à ſéculo, & uſque in ſéculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam in omni témpore. *v.* 3.

AD SEXTAM.

Ant. 1. â. Confiteántur Dómino.

Pſalmus 106.

Confitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos,

A ſolis ortu & occáſu, * ab Aquilóne & mari.

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo, * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſuriéntes & ſitiéntes, * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam reҁtam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia ſatiávit ánimam inánem, * & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis.

Sedéntes in ténebris & umbra mortis, * vínҁtos in mendicitáte & ferro,

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum

num cùm tribularéntur, * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; * & víncula eórum diſrúpit.

Diviſio Pſalmi 106.

CONfiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Suſcépit eos de via iniquitátis eórum, * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum, * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis:

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos, * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et ſacríficent ſacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis,

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit; & ſtetit ſpíritus procéllæ, * & exaltáti ſunt fluctus ejus:

Aſcéndunt uſque ad cœlos; & deſcéndunt uſque ad abyſſos; * ánima eórum in malis tabeſcébat:

Turbáti ſunt, & moti ſunt ſicut ébrius; * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt:

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum edúxit eos:

Et ſtátuit procéllam ejus in auram; * & ſiluérunt fluctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Altera diviſio Pſalmi 106.

CONfiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exáltent eum in eccléſia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

Póſuit flúmina in deſértum; * & éxitus aquárum in ſitim;

Terram fructíferam in ſalſúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Póſuit deſértum in ſtagna aquárum, * & terram ſine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illic eſuriéntes; * & conſtituérunt civitátem habitatiónis;

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes, * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? * & intélliget miſericórdias Dómini?

Ant. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum. *v.* 31.

AD NONAM.

Ant. 4. *irreg.* A. Dómine, Dómine.

Pſalmus 107.

PArátum cor meum Deus, parátum cor meum; * cantábo, & pſallam in glória mea.

Exúrge glória mea, exúrge pſaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculò.

Confitébor tibi in pópulis Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram glória tua; * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac dexterâ tuâ, * & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * exultábo, & dívidam Sichimam; & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraïm ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam extendam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu Deus qui repulíſti nos? * & non exíbis Deus in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

Pſalmus 108.

DEus laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolóſâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Conſtítue ſuper eum peccatórem, * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat con-

demnátus ; * & orátio ejus fiat in peccátum :

Fiant dies ejus pauci, * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum, * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini, * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper ; * & diſpéreat de terra memória eórum ;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam, * & perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei ; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum, * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala adverſùs ánimam meam.

Diviſio Pſalmi 108.

ET tu Dómine, Dómine fac mecum propter nomen tuum ; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum, * & cor meum conturbátum eſt intrà me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus ſum ; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis ; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me Dómine Deus meus, * ſalvum me fac ſecúndùm miſericórdiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc, * & tu Dómine feciſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces ; * qui inſúrgunt in me, confundántur ; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre ; * & operiántur ſicut diplóide, confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum ;

Quia aſtitit à dextris páuperis, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

Ant. Dómine, Dómine fac mecum propter nomen tuum; quia ſuávis eſt miſericórdia tua. *v.* 21.

AD VESPERAS.

Ant. 6. F. Beátus.

Pſalmus 143.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus;

Protéctor meus, & in ipſo ſperávi; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine quid eſt homo, quia innotuíſti ei? * aut filius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti ſímilis factus eſt; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine inclína cœlos tuos, & deſcénde; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos; * emítte ſagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallam tibi,

Qui das ſalútem régibus, * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno.

Eripe me, & érue de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum déxtera iniquitátis:

Quorum filii ſicut novéllæ plantatiónes * in juventúte ſua:

Filiæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi:

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtóſæ, abundántes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ:

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in platéis eórum,

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus. *v.* 18.

Ant. 8. c. Benedícat.

Pſalmus 144.

EXaltábo te Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt;

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt:

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus; * pátiens, & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miseratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſeculórum; * & dominátio tua in omni generatióne, & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elíſos.

Oculi ómnium in te ſperant Dómine; * & tu das eſcam illórum in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatóres diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Ant. Benedícat omnis caro nómini ſancto ejus. *v.* 21.

Ant. 5. a. Dóminus.

Pſalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum; * laudábo Dóminum in vita mea, pſallam Deo meo quándiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam; * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſius, * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſéculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſólvit compedítos; * Dóminus illúminat cæcos:

Dóminus érigit eliſos; * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas, pupíllum, & viduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſǽcula, Deus tuus Sion * in generatiónem & generatiónem.

Ant. Dóminus érigit eliſos: Dóminus díligit juſtos. *v.* 8.

Ant. 1. a. Magnus.

Pſalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus; * Deo noſtro ſit jucúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Jeruſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit:

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne; * pſállite Deo noſtro in cithara,

Qui óperit cælum núbibus, * & parat terræ plúviam:

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum:

Qui dat juméntis eſcam ipſórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ant. Magnus Dóminus Deus noſter, & magna virtus ejus. *v.* 5.

Ant. 4. E. Lauda.

Pſalmus 147.

LAuda Jeruſalem Dóminum, * lauda Deum tuum Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit filiis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti ſátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit;

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non. fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non maniſeſtávit eis.

Ant. Lauda Jeruſalem Dóminum, lauda Deum tuum Sion. ℣. 1.

Capitulum. Rom. 11. 33.

O Altitúdo divitiárum ſapiéntiæ, & ſciéntiæ Dei: quàm incomprehenſibília ſunt judícia ejus, & inveſtigábiles viæ ejus!

Hymnus.

O Sempitérna Trínitas,
Mundum creas poténtiâ;
Jugi tuéris cónditum,
Regíſque providéntiâ.

Tuo treméntes Angeli
Circumvolútum lúmine
Ardent vidére te Pater,
Te Nate, teque Spíritus.

Pavore ſancto térriti
En opprimúntur glóriâ,
Proníque coram prócidunt,
Penníſque velant ſe ſuis.

Et nos tui quos nóminis
Signat renátos dignitas,
Jam te fide capéſſimus
Adoptiónis filii.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Tibíque ſancte-Spíritus,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Sépties in die laudem dixi tibi, ℟. Super judícia juſtítiæ tuæ. *Pſ.* 118. 164.

Ad Magníficat, *Antiphona in Proprio de Tempore.*

Oratio Dominica ſequentis.

IN FERIIS PER ANNUM.

Ad Laudes Matutinas et. Vesperas.

In Vigiliis & Feriis Quatuor Temporum, poſt Antiphonam ad Benedíctus, *&* Magníficat, *dicuntur flexis genibus, & demiſſâ voce ſequentes*

PRECES.

Kyrie eléïſon, *ter.* Chriſte eléïſon, *ter.* Kyrie eléïſon, *ter.*

Secretò, Pater, *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Peccávimus cum pátribus noſtris, ℟. Injúſtè égimus, iniquitátem fécimus. *Pſ.* 105. 6.

℣. Dómine ne memíneris iniquitátum [illegible]rárum antiquárum, ℟. [illegible]tò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos. ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam, ℟. Et ſalutáre tuum da nobis. *Pſ.* 84. 8.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, ℟. Et bénedic hereditáti tuæ. *Pſ.* 27. 9.

℣. Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem: ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 6. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abſéntibus: ℟. Rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis: ℟. Líbera Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis: ℟. Convertere Dómine, úſquequo? & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

Deinde dicitur Pſalmus, De profúndis; *ut ſuprà* 77. *& in fine*, Glória Patri. [*In Veſperis loco Pſalmi* De profúndis, *dicitur Pſalmus*, Miſerére, *ut ſuprà* 65.]

Finito Pſalmo, Hebdomadarius dicit, ℣. Deus tu convérſus vivificábis nos, ℟. Et plebs tua lætábitur in te. *Pſ.* 84. 7.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Deinde altâ voce,

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

Si facienda ſit Commemoratio alicujus Feſti occurrentis, fit hoc loco.

Deinde fiunt

SUFFRAGIA, ſeu Commemorationes Communes, ut ſequitur.

AD LAUDES.

De Cruce,

in Officio feriali tantùm.

Ant. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Gal.* 6. 14.

℣. Benedíctum eſt lignum, ℟. Per quod fit juſtitia. *Sap.* 14. 7.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui unigéniti Fílii tui pretióſo ſánguine vivíficæ Crucis vexíllum ſanctificáre voluíſti; concéde quæſumus, eos qui ejúſdem ſanctæ Crucis gaudent honóre, tuâ quoque ubíque protectióne gaudére; Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

AD VESPERAS.

Ant. Currámus ad propóſitum nobis certámen, aſpiciéntes in autórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio ſuſtínuit crucem. *Hebr.* 12. 1. 2.

℣. Ego ad Dóminum aſpíciam, ℟. Expectábo Deum ſalvatórem meum. *Mich.* 7. 7.

Oratio. Deus, qui unigéniti, *ut ſuprà.*

AD LAUDES.

De omnibus Sanctis,

in Feſtis Simplicibus, & Feriis.

Ant. Hi ſunt ante thronum Dei, & ſérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7. 15.

℣. Juſti confitebúntur nó-

mini tuo; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Orémus. *Oratio.*

A Cunctis nos, quæſumus Dómine, mentis & córporis defénde periculis; & intercedéntibus beátâ & glorióſâ ſemper vírgine Dei genitríce Maríâ, beátis apóſtolis tuis Petro & Paulo, atque beát N. & ómnibus Sanctis, ſalútem nobis tríbue benígnus & pacem; ut deſtrúctis adverſitátibus & erróribus univérſis, Ecclésſia tua ſecúrâ tibi ſérviat libertáte; Per eúndem Dóminum noſtrum, &c.

℟. Amen.

[*Nomen Patroni additur ante vel poſt nomina SS. Apoſtolorum, pro dignitate illius.*]

℣. Dóminus vobiſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Si aliud non ſequatur Officium, dicitur ſecretò, Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter.

Et ſic poſt quamlibet horam.

AD VESPERAS.

Ant. Juſti epuléntur & exúltent in conſpéctu Dei, & delecténtur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

℣. Exultáte juſti in Dómino; ℟. Rectos decet collaudátio. *Pſ.* 32. 1.

Oratio. A cunctis nos, *ut ſuprà.*

AD PRIMAM,

Hymnus.

JAm lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos ſervet à nocéntibus.

Linguam refrænans témperet,
Ne litis horror ínſonet:
Viſum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes haúriat.

Sint pura cordis íntima,
Abſiſtat & vecórdia;
Carnis terat ſupérbiam
Potûs cibíque párcitas.

Ut cùm dies abſcéſſerit,
Noctémque ſors redúxerit,
Mundi per abſtinéntiam
Ipſi canámus glóriam.

Præsta, Pater piiſſime,
Patríque compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

[*In Dominicis & Feſtis, Antiphona ut habetur proprio loco: Pſalmi ſecundùm Feriam.*

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 17.

REgi ſeculórum immortáli, inviſíbili, ſoli Deo honor, & glória in ſécula ſeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. *breve*, Chriſte Jeſu fili Dei vivi, *ut infrà.*]

In Feriis, Antiphona, & Pſalmi ſecundùm Feriam.

Capitulum. *Iſai.* 33. 2.

DOmine miſerére noſtrî; te enim expectávimus: eſto bráchium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis.

℟. *breve*, Chriſte Jeſu fili Dei vivi, * Miſerére nobis. *Repetitur*, Chriſte Jeſu fili Dei vivi, miſerére nobis. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris, * Miſerére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui-ſancto. *Repetitur*, Chriſte Jeſu fili Dei vivi, miſerére nobis. *Matt.* 16.16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

℣. Exúrge Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 27.

Reſponſorio brevi Chriſte Jeſu, *nunquam additur* Allelúia; *nequidem in Feſtis Annualibus.*

PRECES

Sequentes dicuntur in Dominicis & Feſtis quibuſcunque, ac in Feriali Officio. (Dicuntur genibus flexis, & voce demiſſâ, quando Preces dictæ ſunt ad Laudes.)

Kyrie eléïſon, *ter*. Chriſte eléïſon, *ter*. Kyrie eléïſon, *ter*.

Secretò, Pater, *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Vivet ánima mea, & laudábit te; ℟. Et judícia tua adjuvábunt me. *Pſ.* 118. 175.

Secretò, Credo in Deum, *uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem; ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te Dómine clamávi, ℟. Et manè oratio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude, ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Os meum annuntiábit juſtítiam tuam, ℟. Totâ die ſalutáre tuum. *Pſ.* 70. 15.

In omnibus Dominicis, Duplicibus-majoribus ac ſuprà, & intrà Octavas, hìc dicitur ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, &c. ℣. Dóminus vobíſcum, &c. *Deinde Oratio*, Dómine ſancte, *infrà.*

In Semiſolemnibus & ſuprà, ac intrà Octavas Feſtorum Domini, (niſi occurrat Feſtum Semiſolemne aut ſuprà) Oratio Feſti præmittitur Orationi, Dómine ſancte: *& duæ illæ Orationes dicuntur ſub eâdem concluſione.*

Intrà Octavas Sanctorum non dicitur Oratio Octavæ, niſi quando fit de Octavâ.

Intrà Octavas Semiſolemnium, etiam ſi fiat de Octavâ, unica dicitur Oratio, Dómine ſancte, *ut infrà.*

In Duplicibus-minoribus & infrà, ac in Feriali Officio, adduntur ſequentes ℣℣.

℣. Avérte fáciem tuam à peccátis meis, ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me Deus, ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et ſpíritum ſan-

ctum tuum ne aúferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætitiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confirma me. *Pſ.* 50. 14.

Quando Preces non dicuntur flexis genibus, hìc fit Confeſſio: quando verò dicuntur, iterum adduntur ſequentes ℣℣. *ante Confeſſionem.*

℣. Vias tuas Dómine demónſtra mihi; ℟. Et ſémitas tuas édoce me. *Pſ.* 24. 4.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Reminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine, ℟. Et miſericordiárum tuárum, quæ à ſæculo ſunt. *Pſ.* 24. 6.

℣. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris. ℟. Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu. *Pſ.* 24. 7. 8.

℣. Eripe me Dómine ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus, ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem, ℟. Et de viris ſánguinum ſalva me. *Pſ.* 58. 3.

℣. Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Pſ.* 60. 9.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Bénedic ánima mea Dómino, ℟. Et ómnia quæ intrà me ſunt nómini ſancto ejus. *Pſ.* 102. 1.

℣. Bénedic ánima mea Dómino, ℟. Et noli oblivíſci omnes retributiónes ejus; *Pſ.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui ſanat omnes infirmitátes tuas; *Pſ.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus; *Pſ.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis deſidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Pſ.* 102. 5.

Tunc Hebdomadarius facit Confeſſionem, mediocri voce dicens,

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper vírgini, beáto Michaéli archángelo, beáto Joánni-Baptiſtæ, ſanctis apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis fratres;) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere; meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideo precor beátam Maríam ſemper vírginem, beátum Michaélem archángelum, beátum Joánnem-Baptiſtam, ſanctos apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet,

MIſereátur tuî omnípotens Deus, & dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius dicit*, Amen.

Deinde Chorus repetit Confeſſionem; & ubi dictum eſt, vobis fratres, *&* vos fratres; *dicit*, tibi pater, *&* te pater.

[*Qui ſolus recitat, ſemel dicit* Confiteor, *ut ſuprà, omiſſis vocibus quæ clauduntur parentheſi. Deinde*, Miſereátur, *ad quod dicit* noſtrî, noſtris, nos. *Poſtea* Indulgéntiam, *cum reliquis.*]

Factâ Confeſſione à Choro; Hebdomadarius dicit,

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tribuat nobis omnípotens Pater, pius & miſéricors Dóminus; & grátia ſancti-Spíritûs mundet nos à delíctis ómnibus. *Chorus reſpondet ſub tono Verſiculorum*, Amen.

Hebdomadarius proſequitur ſub eodem tono,

℣. Exaúdi nos Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Pſ. 64. 6.*

℣. Miſerére noſtrî Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ. 122. 3.*

℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ. 32. 22.*

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ. 79. 20.*

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ. 101. 2.*

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

DOmine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui nos ad princípium hujus diéi perveníre feciſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte & miſericórdiâ; & concéde ut ad nullum declinémus peccátum, nec áliquod incurrámus perículum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur corda, cogitatiónes, ſenſus & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs-ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Ad Officium Capituli.

Primò Lector petit benedictionem, dicens, Jube Dómine bene dícere.

Hebdomadarius benedicit: Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ. 118. 66. Reſpondet Chorus*, Amen. *Tum fit lectio Canonis, qui quâlibet die varius legitur, & habetur in Proprio de Tempore, vel de San-*

ctis, poſt Lectiones Officii Nocturni, vel poſt Laudes. In fine Canonis dicitur, Tu autem Dómine miſerére noſtrî. *Chorus reſpondet*, Deo grátias.

[*A privatim recitantibus poſt lectionem Canonis, omiſſo Martyrologio, quod extra Chorum ad libitum legitur, dicitur* ℣. Pretióſa, *&* Sancta María, *ut infrà.*]

Deinde fit lectio Martyrologii, in cujus fine Hebdomadarius dicit,

℣. Pretióſa in conſpectu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 5.

Et abſolutè ſine, Dóminus vobíſcum, *& ſine*, Orémus,

Sancta María & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & ſalvári, qui vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

[*Denique, ubi legitur Necrologium, poſt ejus lectionem, Hebdomadarius dicit,*

℣. Requiéſc$^{a}_{an}$t in pace.

℟. Amen.]

Sequentes ℣℣. *cum Oratione,* Actiones, *ante laborem quotidianum dicendi, omittuntur diebus Dominicis & Feſtis à populo feriatis; & immediatè poſtquam dictum eſt*, Sancta María, *Hebdomadarius dicit*, Adjutórium, *infrà.*

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui-ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſécula ſeculórum. Amen. Allelúia.

℣. Réſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17.

Orémus. *Oratio.*

Actiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Hebdomadarius dicit ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum; ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſéculum. *Pſ.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Hymnus.

Nunc ſancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Noſtro refúſus péctori.

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſiónem pérſonent;
Flamméſcat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíſſime,
Patríque compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Antiphona, & Pſalmi ſecundùm Feriam.

Capitulum. *Jer.* 17. 14.

SAna me Dómine, & ſanábor; ſalvum me fac, & ſalvus ero; quóniam laus mea tu es.

℟. *breve*, Ego dixi; * Dómine miſerére meî; ℟. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Dómine. Glória. ℟. Ego. *Pſ.* 40. 4. 5.

℣. Miſerére meî Dómine, ℟. Quóniam infírmus ſum. *Pſ.* 6. 3.

Quando ad Laudes dicta ſunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam, & Nonam dicuntur flexis genibus, & ſubmiſſâ voce ſequentes

PRECES.

KYrie eléiſon, *ter.* Chriſte eléiſon, *ter.* Kyrie eléiſon, *ter.*

Secretò, Pater, *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 1.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Hymnus.

REctor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices;
Splendóre manè illúminas,
Et ígnibus merídiem.

Extingue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer ſalútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíſſime,
Patríque compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Antiphona, & Pſalmi ſecundùm Feriam.

Capitulum. *Coloſſ.* 3. 17.

OMne quodcúnque fácitis in verbo, aut in ópere; ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

℟. *breve*, Benedícam Dóminum * In omni témpore, ℟. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. * In omni témpore. Glória. ℟. Benedícam. *Pſ.* 33. 2.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea, ℟. Pſallam Deo meo quándiu fúero. *Pſ.* 145. 1.

Preces, ſi dicendæ ſint, habentur ſuprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéſſibus detérminans:

Largire clarum véſpere,
Quo vita nuſquam décidat,
Sed præmium mortis ſacræ
Perénnis inſtet glória.

Præsta, Pater piiſſime,
Patrique compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Antiphona, & Pſalmi ſecundùm Feriam.

Capitulum. *Gal.* 6. 2.

ALter altérius ónera portáte, & ſic adimplébitis legem Chriſti.

℟. *breve*, Ab occúltis meis * Munda me Dómine, ℟. Ab occúltis. ℣. Et ab aliénis parce ſervo tuo. * Munda. Glória. ℟. Ab occúltis. *Pſ.* 18. 13. 14.

℣. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, ℟. Ut non moveántur veſtígia mea. *Pſ.* 16. 5.

Preces, ſi dicendæ ſint, habentur ſuprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD COMPLETORIUM.

COnvérte nos Deus ſalutáris noſter, ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 4.

Deus in adjutórium meum inténde, ℟. Dómine, &c.

Ant. 8. G. Miſerére mei.

Pſalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilatáſti mihi.

Miſerére meî, * & exaúdi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úſquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus ſanctum ſuum; * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino. * Multi dicunt: Quis oſténdit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Dómine: * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui, * multiplicáti ſunt.

In pace in idípſum * dórmiam, & requiéſcam;

Quóniam tu Dómine * ſinguláriter in ſpe conſtituíſti me.

Pſalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altiſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suſcéptor meus es tu, & refúgium meum; * Deus meus, ſperábo in eum.

Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi, * & ſub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúndabit te véritas ejus, * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagítta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrſu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúntamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine ſpes mea: * Altíſſimum poſuíſti refúgium tuum,

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniam Angelis ſuis mandávit de te, * ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis:

In mánibus portábunt te, * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áſpidem & baſilíſcum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberábo eum; * protégam eum, quóniam cognovit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum; * cum ipſo ſum in tribulatióne, erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſténdam illi ſalutáre meum.

Pſalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum * omnes ſervi Dómini,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri;

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Miſerére meî, & exaúdi oratiónem meam. *Pſ.* 4. 2.

Hymnus.

DEus creátor ómnium,
Grates perácto jam die,
Et noctis exórtu preces
Proni tibi perſólvimus.

Quod longa peccávit dies
Noctúrnus éxpiet dolor,
Nec per ſopórem nos ſinas
Hoſtis patére fraúdibus.

Infestus uſque círcuit
Quærens leo quem dévoret,
Umbrántibus tu nos Pater
Natos ſub alis prótege.

O quando lucéſcet tuus
Qui neſcit occáſum dies!
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus!

Præsta, Pater piíſſime,
Patríque compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Capitulum.

Capitulum. *Jer.* 14. 9.

TU in nobis es Dómine, & nomen tuum invocátum eſt ſuper nos; ne derelínquas nos.

℣. Cuſtódi me Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16. 8.

Ant. 7. a. Non dormitábit.

Canticum Simeonis.

Luc. 2. 29. *ad* 33.

NUnc dimíttis ſervum tuum Dómine, * ſecúndùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,

Quod paráſti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Ant. Non dormitábit, neque dórmiet qui cuſtódit Iſraël. *Pſ.* 120. 4.

P R E C E S

Sequentes dicuntur integrè in Duplicibus-minoribus & infrà. (*In Feriis dicuntur demiſsâ voce, & genibus flexis, quando dicta ſunt Preces in Veſperis.*)

KYrie eléïſon, *ter.* Chriſte eléïſon, *ter.* Kyrie eléïſon, *ter.*

Secretò, Pater, *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In pace in idípſum dórmiam, & requiéſcam; ℟. Quóniam tu Dómine ſinguláriter in ſpe conſtituíſti me. *Pſ.* 4. 9. 10.

Secretò, Credo in Deum, *uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Dirige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me, ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die. *Pſ.* 24. 5.

℣. Tu illúminas lucérnam meam, Dómine; ℟. Deus meus illúmina ténebras meas. *Pſ.* 17. 29.

℣. In manus tuas Dómine comméndo ſpíritum meum; ℟. Redemíſti me Dómine Deus veritátis. *Pſ.* 30. 6.

In omnibus Dominicis, & Duplicibus-majoribus ac ſuprà, & intrà Octavas, omiſſis ſequentibus ℣℣. *continuò dicitur* ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, &c. ℣. Dóminus vobíſcum, &c. *deinde Oratio*, Véritas, *infrà.*

In Semiſolemnibus & ſuprà, ac intrà Octavas Feſtorum Domini, (niſi occurrat Feſtum Semiſolemne aut ſuprà,) Oratio Feſti præmittitur Orationi Véritas, *& duæ illæ Orationes dicuntur ſub eadem concluſione.*

Intra Octavas Sanctorum, non dicitur Oratio Octavæ, niſi quando fit de Octava.

Intrà Octavas Semiſolemnium, etiamſi fiat de Octava, unica dicitur Oratio Véritas, *infrà.*

℣. Benedícat nos Deus Deus noſter, ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66. 7. 8.

Deinde fit Confeſſio, ut ſuprà ad Primam, 139. *Poſtea dicitur*,

℣. Exaúdi nos Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Pſ. 64. 6.*

℣. Miſerére noſtrî Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 8.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quæſumus Dómine, ſemper máneat & lúceat in córdibus noſtris; & per grátiam ſancti-Spíritûs omnis fálſitas inimíci deſtruátur: ſalva nos omnípotens Deus, & lucem nobis concéde perpétuam Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúſdem Spíritûs-ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

ANTIPHONA DE B. MARIA VIRGINE,

Ad devotionem.

AVe Regína cœlórum:
Avè Dómina Angelórum:
Salve radix, ſalve porta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude virgo glorióſa,
Super omnes ſpecióſa:
Vale ô valde decóra,
Et pro nobis Chriſtum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

COncéde miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium; ut qui ſanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum,

℟. Amen.

BENEDICTIONES
dicendæ ante Lectiones.

DOMINICA, *& in Officiis novem Lectionum, quæ non ſunt de Sanctis.*

IN I. NOCTURNO.

1. DEus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det nobis ſpíritum ſapiéntiæ. ℟. Amen. *Epheſ.* 1. 17.

2. Fílius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. 20.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13.

IN II. NOCTURNO.

4. Illucéſcat Deus in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei. 2. *Cor.* 4. 6.

5. Sciámus ſupereminéntem ſciéntiæ caritátem Chriſti, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Epheſ.* 3. 19.

6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO.

7. Evangélium non ſit in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte; & in Spíritu-ſancto, & in plenitúdine multa. 1. *Theſſ.* 1. 5.

8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Epheſ.* 4. 13. 14.

9. Deus ſpei répleat nos omni gaúdio & pace in credéndo; ut abundémus in ſpe, & virtúte Spíritûs-ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit,

9. Permaneámus in fide fundáti, & immóbiles à ſpe Evangélii. *Coloſſ.* 1. 23.

¶ *Quando D. Epiſcopus ultimam Lectionem lecturus eſt, dicto ab eo ex more* Jube Dómine bene dícere, *qui legit præcedentem Lectionem reſpondet illi:* Ora pro nobis, Pater. *Tuncque D. Epiſcopus dicit:*

Oro ut cáritas veſtra magìs ac magìs abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu; ut ſitis ſincéri, & ſine offénſa in diem Chriſti. *Philipp.* 1. 9. 10.

IN FESTIS SANCTORUM, *quæ ſunt novem Lectionum.*

Benedictiones dicuntur in primo & tertio Nocturno, ut ſuprà; in ſecundo autem Nocturno, ut ſequuntur.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Epheſ.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lúcem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM,

quæ ſunt trium Lectionum tantùm.

Dicuntur tres Benedictiones,

1. Deus det nobis, &c.

2. Dignos fáciat nos, &c.

3. Aperiántur óculi, &c. *ut ſuprà.*

Si pro tertia Lectione legendum ſit Evangelium cum Homilia, tunc tertia Benedictio erit,

3. Non erubeſcámus Evangélium; virtus enim Dei eſt in ſalútem omni credénti. *Rom.* 1. 16.

IN FERIALI OFFICIO.

Benedictiones ſumuntur ſecundùm Feriam, hoc ordine,

Feriâ 2. *&* 5. *ex I. Nocturno.*

Feriâ 3. *&* 6. *ex II. Nocturno.*

Feriâ 4. *& Sabbato, ut ſequitur.*

1. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Epheſ.* 3. 14. 16. 17.

2. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, ut non circunferámur omni vento doctrínæ. *Epheſ.* 4. 13. 14.

3. Deus ſpei répleat nos omni gaúdio & pace in credéndo; ut abundémus in ſpe, & virtúte Spíritûs-ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si tertia Lectio ſit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit,

Non erubeſcámus, *ſuprà.*

PROPRIUM DE TEMPORE.

Pars Autumnalis.

FERIA QUARTA *intrà Hebdomadam Dom. XI. poſt Pentecoſten.*

Incipit liber Eſther.

Lectio j. *cap.* 1. *v.* 1. *ad* 4.

IN diébus Aſſuéri, qui regnávit ab india uſque Æthiópiam, ſuper centum vigínti ſeptem províncias, quando ſedit in ſólio regni ſui, Suſan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii ſui fecit grande convívium cunctis princípibus, & púeris ſuis, fortíſſimis Perſárum, & Medórum ínclytis, & præféctis provinciárum coram ſe, ut oſténderet divítias glóriæ regni ſui, ac magnitúdinem atque jactántiam poténtiæ ſuæ, multo témpore, centum vidélicet & octogínta diébus.

℟. Inſtábat dies quo Eſther debéret intráre ad regem; quæ * Non quæsívit mulíebrem cultum; habuítque grátiam coram eo, & póſuit diadéma in cápite ejus. *Eſther* 2. 15. 17. ℣. Mulíerum non ſit extrínſecùs capillatúra, aut circundátio auri, aut induménti veſtimentórum cultus. 1. *Petr.* 3. 3. * Non quæsívit.

Lectio ij *v.* 9. *ad* 13.

VAſthi quoque regína fecit convívium feminárum in palátio, ubi rex Aſſuérus manére conſuéverat. Itaque die ſeptimo, cùm rex eſſet hilárior, & poſt nímiam potatiónem incaluíſſet mero, præcépit ſeptem eunúchis qui in conſpéctu ejus miniſtrábant, ut introdúcerent regínam Vaſthi coram rege, póſito ſuper caput ejus diadémate, ut oſténderet cunctis pópulis, & princípibus pulcritúdinem illíus: erat enim pulcra valde. Quæ rénuit, & ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contémpſit.

℟. Dómine rex omnípotens, in ditióne tua cuncta ſunt póſita, * Non eſt qui poſſit tuæ resíſtere voluntáti, ſi decréveris ſalváre Iſraël, & nunc miſerére pópuli tui. *Eſther* 13. 9. 15. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31. * Non eſt.

Lectio iij. *c.* 2. 5. *ad* 9.

ERat vir Judæus in Suſan civitáte, vocábulo Mardochæus, fílius Jaïr, filii Séméï, filii Cis, de ſtirpe Jémini, qui tranſlátus fúerat de

Jerúſalem eo témpore quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónoſor rex Babylónis tranſtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris ſui Edíſſæ, quæ áltero nómine vocabátur Eſther, & utrúmque paréntem amíſerat; pulcra nimis & decóra fácie. Mortuíſque patre ejus ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptávit in fíliam. Cúmque percrebuíſſet regis impérium, & juxta mandáta illíus multæ pulcræ vírgines adduceréntur Suſan, & Egéo traderéntur eunúcho; Eſther quoque inter céteras puéllas ei trádita eſt, ut ſervarétur in número feminárum. Quæ plácuit ei, & invénit grátiam in conſpéctu illíus.

℟. Iſraël clamávit ad Dóminum, & * Salvum fecit Dóminus pópulum ſuum; † Liberavítque nos ob ómnibus malis. *Eſther* 10. 9. ℣. Suſcépit Iſraël púerum ſuum, recordátus miſericórdiæ ſuæ. *Luc.* 1. 54. * Salvum. Glória, † Liberavítque.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 131.

CAnónici laudes Deo in commúne perſolvéntes, pro ſuis populorúmque, quorum oblatiónibus vivunt, delíctis Dóminum exórent. Debent quoque, juxta Apóſtolum, primò ómnium ab his fieri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus; pro régibus, & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt conſtitúti.

FERIA QUINTA.

De libro Eſther.

Lectio j. *c.* 2. 15. *ad* 17.

EVolúto témpore per órdinem, inſtábat dies quo Eſther fília Abíhail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quæ non quæsívit mulíebrem cultum, ſed quæcúnque vóluit Egéus eunúchus cuſtos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formóſa valde, & incredíbili pulcritúdine, ómnium óculis gratióſa & amábilis videbátur. Ducta eſt ítaque ad cubículum regis Aſſuéri menſe décimo, qui vocátur Tebeth, ſéptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex pluſquam omnes mulíeres; habuítque grátiam & miſericórdiam coram eo ſuper omnes mulíeres: & póſuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vaſthi.

℟. Inſtábat, 149.

Lectio ij. *c.* 3. 1. *ad* 2.

POſt hæc rex Aſſuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi, qui erat de ſtirpe Agag; & póſuit ſólium ejus ſuper omnes príncipes quos habébat. Cunctíque ſervi regis, qui in fóribus palátii verſabántur, flectébant génua, & adorábant Aman; ſic enim præcéperat eis imperátor; ſolus

Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum.

℟. Dómine, 149.

Lectio iij. *c.* 3. 3. *ad* 6.

MArdochæo dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præſidébant: Cur præter céteros non obſérvas mandátum regis? Cúmque hoc crébriùs dícerent, & ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, ſcíre cupiéntes utrùm perſeveráret in ſenténtia: díxerat enim eis ſe eſſe Judæum. Quod cùm audíſſet Aman, & experiménto probáſſet quòd Mardochæus non flécteret ſibi genu, nec ſe adoráret; irátus eſt valde, & pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus ſuas: audíerat enim quòd eſſet gentis Judææ: magíſque vóluit omnem Judæórum, qui erant in regno Aſſuéri, pérdere natiónem.

℟. Iſraël, 150.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 145.

CAnónici jejúnium ament, hóſpites cólligant, paúperes récreent, nudos véſtiant, infirmos víſitent, mórtuos ſepéliant, in tribulatióne pósitis opem ferant; doléntes conſoléntur.

FERIA SEXTA.

De libro Eſther.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 5.

DIe autem tértio indúta eſt Eſther regálibus veſtiméntis, & ſtetit in átrio domûs régiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis. At ille ſedébat ſuper ſólium ſuum in conſiſtório palátii contra óſtium domûs. Cúmque vidíſſet Eſther regínam ſtantem, plácuit óculis ejus, & exténdit contra eam virgam áuream, quam tenébat manu. Quæ accédens, oſculáta eſt ſummitátem virgæ ejus. Dixítque ad eam rex: Quid vis Eſther regína? Quæ eſt petítio tua? etiámſi dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa reſpóndit: Si regi placet, óbſecro ut vénias ad me hódie, & Aman tecum, ad convívium quod parávi. Statímque rex: Vocáte, inquit, citò Aman, ut Eſther obédiat voluntáti.

℟. Inſtábat, 149.

Lectio ij. *c.* 6. 6. *ad* 10.

CUm eſſet ingréſſus Aman, ait illi rex: Quid debet fieri viro, quem rex honoráre desíderat? Cógitans autem in corde ſuo Aman, & réputans quòd nullum álium rex, niſi ſe, vellet honoráre, reſpóndit: Homo, quem rex honoráre cupit, debet índui véſtibus régiis, & impóni ſuper equum qui de ſella regis eſt, & accípere régium diadéma ſuper caput ſuum; & primus de régiis princípibus ac tyránnis téneat equum ejus, & per platéam civitátis incédens, clamet & dicat: Sic honorábitur cúnque volúerit rex

Dixítque ei rex: Feſtína; & ſumptâ ſtolâ & equo, fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo, qui ſedet ante fores palátii: cave ne quidquam de his quæ locútus es, prætermíttas.

℟. Dómine, 149.

Lectio iij. *c. 6. 11. ad 13.*

TUlit ítaque Aman ſtolam & equum, indutúmque Mardochæum in platéa civitátis, & impóſitum equo præcedébat, atque clamábat: Hoc honóre condígnus eſt, quemcúnque rex volúerit honoráre. Reverſúſque eſt Mardochæus ad jánuam palátii: & Aman feſtinávit ire in domum ſuam, lugens & opérto cápite: Narravítque Zares uxóri ſuæ, & amícis, ómnia quæ eveniſſent ſibi. Cui reſpondérunt ſapiéntes, quos habébat in consílio, & uxor ejus: Si de ſémine Judæórum eſt Mardochæus, ante quem cádere cœpiſti, non póteris ei resíſtere, ſed cades in conſpéctu ejus.

℟. Iſraël, 150.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 145.

CAnónici amóri Chriſti nihil præpónant, caritátem non derelínquant; pacem, ſi fieri poteſt, cum ómnibus homínibus hábeant; diem judícii tímeant; vitam ætérnam ſpirituáliter concupíſcant, ſpem ſuam Deo commíttant; próprio Epíſcopo in ómnibus ſecúndùm canónicam inſtitutiónem obtémperent.

SABBATO.

De libro Eſther.

Lectio j. *c. 7. 1. ad 6.*

INtrávit ítaque rex & Aman, ut bíberent cum regína. Dixítque ei rex étiam ſecúndâ die, poſtquam vino incalúerat: Quæ eſt petítio tua, Eſther, ut detur tibi? & quid vis fieri? etiámſi dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa reſpóndit: Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, & pópulum meum pro quo óbſecro: tráditi enim ſumus ego & pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, & pereámus: atque útinam in ſervos & fámulas venderémur; eſſet tolerábile malum, & gemens tacérem: nunc autem hoſtis noſter eſt, cujus crudélitas redúndat in regem. Reſpondénſque rex Aſſuérus, ait: Quis eſt iſte, & cujus poténtiæ, ut hæc aúdeat fácere? Dixítque Eſther: Hoſtis & inimícus noſter péſſimus iſte eſt Aman. Quod ille aúdiens, íllico obſtúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non ſúſtinens.

Lectio ij.

c. 7. 9. ad fin. & 8. 1. ad 2.

DIxítque Harbóna unus de eunúchis qui ſtabant in miniſtério regis: En lignum, quod paráverat Mar-

dochæo qui locútus eſt pro rege, ſtat in domo Aman, habens altitúdinis quinquagínta cúbitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suſpénſus eſt ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo; & regis ira quiévit. Die illo dedit rex Aſſuérus Eſther regínæ domum Aman adverſárii Judæórum, & Mardochæus ingréſſus eſt ante fáciem regis. Conféſſa eſt enim ei Eſther, quòd eſſet pátruus ſuus. Tulítque rex ánnulum, quem ab Aman récipi júſſerat, & trádidit Mardochæo. Eſther autem conſtítuit Mardochæum ſuper domum ſuam.

Lectio iij. *c.* 9. 1. *ad* 2.

IGitur duodécimi menſis, quem Adar vocári antè jam díximus, tértiâ-décimâ die, quando cunctis Judæis interféctio parabátur, & hoſtes eórum inhiábant ſánguini, versâ vice Judæi. ſuperióres eſſe cœpérunt, & ſe de adverſáriis vindicáre. Congregatíque ſunt per ſíngulas civitátes, óppida, & loca, ut exténderent manum contra inimícos & perſecutóres ſuos. Nullúſque auſus eſt reſíſtere, eò quòd omnes pópulos magnitúdinis eórum formído penetrárat.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 145.

CAnónici ſenióres ſpiritáliter junióres díligant; junióres ſenióribus obſéquium dignum exhíbeant. Doctióres, minùs doctis nequáquam ſe præferant, ſed magìs eos cum caritáte ædíficent; neque hi qui nobilitáte géneris, aut virtútum donis pollent, céteris ſe túmidè ſuperextóllant.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Oránte Eſdrâ, & flente, & jacénte ante templum Dei, colléctus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis, & flevit pópulus fletu multo. 1. *Eſdr.* 10. 1.

Oratio, Omnípotens & miſéricors Deus, *infrà ad Laudes.*

DOMINICA DUODECIMA *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber primus Eſdræ.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

IN anno primo Cyri regis Perſárum, ut compleretúr verbum Dómini ex ore Jeremíæ, ſuſcitávit Dóminus ſpíritum Cyri regis Perſárum: & tradúxit vocem in omni regno ſuo, etiam per ſcriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Perſárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipſe præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univérſo pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipſo. Aſcéndat in Jerúſalem, quæ eſt in Judæa, & ædíficet domum Dómini Dei Iſraël; ipſe eſt Deus qui eſt in Jerúſalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicúnque hábita

ádjuvent eum viri de loco ſuo, argénto & auro, & ſubſtántia, & pecóribus, excépto quod voluntáriè ófferunt templo Dei, quod eſt in Jerúſalem.

℟. Eſdras ſcriba velox in lege Móyſi, venit in Jerúſalem, juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe: * Parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini, & fáceret & docéret in Iſraël. 1. *Eſdr.* 7. 6. 9. 10. ℣. Qui fecérit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19. * Parávit.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 7.

ET ſurrexérunt príncipes patrum de Juda, & Bénjamin, & Sacerdótes, & Levítæ, & omnis cujus Deus ſuſcitávit ſpíritum, ut aſcénderent ad ædificándum templum Dómini, quod erat in Jerúſalem. Univerſíque qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vaſis argénteis & aúreis, in ſubſtántia & juméntis, in ſupelléctili, excéptis his quæ ſponte obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vaſa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónoſor de Jerúſalem, & poſúerat in templo Dei ſui.

℟. Deus meus, delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum: * Peccávimus gráviter, & in iniquitátibus noſtris tráditi ſumus in captivitátem, & in confuſiónem. 1. *Eſdr.* 9. 6. 7. ℣. Tribulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum. *Rom.* 2. 9. * Peccávimus.

Lectio iij. *c.* 3. 1. *ad* 5.

JAmque vénerat menſis ſéptimus, & erant filii Iſraël in civitátibus ſuis: congregátus eſt ergo pópulus quaſi vir unus in Jerúſalem. Et ſurréxit Jóſue fílius Jóſedec, & fratres ejus ſacerdótes, & Zoróbabel fílius Saláthiel, & fratres ejus; & ædificavérunt altáre Dei Iſraël, ut offérrent in eo holocautómata, ſicut ſcriptum eſt in lege Móyſi viri Dei. Collocavérunt autem altáre Dei ſuper baſes ſuas, deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum; & obtulérunt ſuper illud holocaúſtum Dómino manè & véſperè. Fecerúntque ſolemnitátem tabernaculórum, ſicut ſcriptum eſt; & holocaúſtum diébus ſíngulis per órdinem ſecúndùm præcéptum, opus diéi in die ſuo. Et poſt hæc holocaúſtum juge, tam in Caléndis, quam in univérſis ſolemnitátibus Dómini, quæ erant conſecrátæ; & in ómnibus in quibus ultro offerebátur munus Dómino.

℟. Dómine Deus cœli fortis, qui cuſtódis pactum & miſericórdiam cum his qui te díligunt, óbſecro * Sit auris tua atténdens ad oratiónem ſervórum tuórum, qui volunt timére nomen tuum. 2. *Eſdr.* 1. 5. 11. ℣. Oculi Dómini ſuper juſtos, & aures ejus in preces

eórum. 1. *Petr*. 3. 12. * Sit auris. Glória. * Sit auris.

IN II. NOCTURNO.

Ex enarratióne ſancti Auguſtini epíſcopi ſuper Pſalmos.

Enarr. in Pſ. 64. §. 1.

Lectio iv.

CAptivátus pópulus Iſraël, ex civitáte Jerúſalem ductus eſt in ſérvitútem Babylóniæ. Prophetávit autem Jeremías ſanctus, poſt ſeptuagínta annos reditúrum pópulum de captivitáte, & inſtauratúrum civitátem ipſam Jerúſalem, quam devíctam ab hóſtibus plánxerat. Illo autem témpore fuérunt prophétæ in illa captivitáte pópuli conſtitúti in Babylónia, inter quos erat & Ezéchiel prophéta. Expectábat autem ille pópulus donec impleréntur témpora ſeptuagínta annórum, ſecúndùm prophetíam Jeremíæ. Factum eſt complétis ſeptuagínta annis, reſtitútum eſt templum quod dejéctum erat; & regréſſa eſt de captivitáte magna pars illíus pópuli. Sed quóniam dicit Apóſtolus: [Hæc in figúra contingébant in illis; ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſeculórum obvénit;] debémus & nos noſſe priùs captivitátem noſtram, deínde liberatiónem noſtram; debémus noſſe Babylóniam, in qua captívi ſumus; & Jerúſalem, ad cujus réditum ſuſpirámus.

℟. Congregátus eſt omnis pópulus, & dixérunt Eſdræ ſcribæ ut afférret librum legis; & legit in eo apértè, * Et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. 2. *Eſdr*. 8. 1. 3. ℣. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, unanímiter audiéntes. *Act*. 8. 6. * Et aures.

Lectio v.

IStæ quippe duæ civitátes, ſecúndùm lítteram revéra duæ civitátes. Et illa quidem Jerúſalem modò à Judæis non incólitur. Poſt crucifíxum enim Dóminum vindicátum eſt in illos flagéllo magno; & eradicáti ab eo loco, ubi ímpiâ libertáte furióſi advérsùs médicum inſaníerant, diſpérſi ſunt per omnes gentes, & data eſt illa terra Chriſtiánis: impletúmque eſt quod eis díxerat Dóminus: [Proptérea auferétur à vobis regnum, & dábitur genti faciénti juſtítiam.] Cùm autem vidérent tunc multas turbas ire poſt Dóminum prædicántem regnum cœlórum, & mirabília faciéntem, dixérunt príncipes illíus civitátis: [Si dimiſérimus eum, omnes ibunt poſt illum, & vénient Románi, & tollent nobis & locum & gentem.] Ne locum pérderent, Dóminum occidérunt; & ídeo perdidérunt, quia occidérunt.

℟. Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes qui quærunt eum in bonitáte; & * Impérium

ejus, & fortitúdo ejus, & furor ſupér omnes qui derelínquunt eum. 1. *Eſdr.* 8. 22. ℣. Reddet iis qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam; iis autem qui non acquiéſcunt veritáti, ira & indignátio. *Rom.* 2. 7. 8.* Impérium.

Lectio vj. §. 1. 2.

CIvitas ergo quædam illa terréna, cujúſdam civitátis ætérnæ in cœlis umbram gerébat: at ubi cœpit illa quæ ſignificabátur, evidéntiùs prædicári, umbra quâ ſignificabátur, dejécta eſt: proptérea ibi modò templum non eſt, quod fabricátum fúerat in imáginem futúri córporis Dómini. Tenémus lucem, umbra tranſívit: tamen adhuc in quadam captivitáte ſumus: [Quándiu ſumus, inquit, in córpore, peregrinámur à Dómino.] Et vidéte nómina duárum iſtárum civitátum, Babylónis & Jerúſalem. Bábylon, confúſio interpretátur; Jerúſalem, víſio pacis. Inténdite nunc civitátem confuſiónis, ut intelligátis viſiónem pacis: iſtam tolerétis, ad illam ſuſpirétis.

℟. Vos tranſgréſſi eſtis ut adderétis ſuper delíctum Iſraël, & nunc * Date confeſſiónem Deo; † Fácite plácitum ejus. 1. *Eſdr.* 10. 10. 11. ℣. Reformámini in novitáte ſenſûs veſtri, ut probétis quæ ſit volúntas Dei bona, & beneplacens, & perfécta. *Rom.* 12. 2. * Date. Glória. † Fácite.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 10. 23. *ad* 37.

IN illo témpore; Convérſus Jeſus ad diſcípulos ſuos, dixit; Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 171. *de Verbis Apoſtoli*, §. 2. *Aliàs Serm.* 37. *de Verbis Domini.*

QUendam quæréntem quæ ſint óptima præcépta & ſumma in lege, admónuit duo eſſe, [Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua; & díliges próximum tuum tanquam teípſum.] Ille autem: [Et quis eſt mihi próximus?] Et narrávit Dóminus: [Homo quidam deſcendébat ab Jerúſalem in Jéricho.] Oſténdit illum quodámmodo Iſraëlítam. [Et íncidit in latrónes.] Cùm expoliáſſent, & plagas graves irrogáſſent, dimiſérunt eum in via ſemivívum. Tránſiit Sacérdos, útique génere próximus, prætériit jacéntem. Tránſiit Levítes, & hic génere próximus, jacéntem étiam ipſe contémpſit. Tránſiit Samaritá-

nus, génere longínquus, miſericórdiâ próximus, fecítque quod noſtis. In quo Samaritáno ſe vóluit intélligi Dóminus Jeſus Chriſtus.

℟. Latrónes deſpoliavérunt hóminem, & plagis impóſitis abiérunt, ſemivívo relícto: * Sacérdos viſo illo prætérivit, ſimíliter & Levíta: Samaritánus autem videns eum, miſericórdiâ motus eſt. *Luc.* 10. 30. 31. 32. 33. ℣. Fácere miſericórdiam & judícium magis placent Dómino quàm víctimæ. *Prov.* 21. 3. * Sacérdos.

Lectio viij. §. 3.

CUm ergo longè à nobis eſſet immortális & juſtus, tanquam à mortálibus & peccatóribus, deſcéndit ad nos, ut fieret nobis próximus ille longínquus. Et quid fecit? Cùm habéret ipſe duo bona, & nos duo mala; ille duo bona, juſtítiam & immortalitátem; nos duo mala, iniquitátem & mortalitátem: ſi utrúmque malum noſtrum ſuſcepíſſet, par noſter factus eſſet, & liberatóre nobíſcum opus habéret.

℟. Alligávit Samaritánus vúlnera ejus, infúndens óleum & vinum, & * Impónens illum in juméntum ſuum, duxit in ſtábulum, & curam ejus egit. *Luc.* 10. 34. ℣. Qui ſéquitur juſtítiam & miſericórdiam, invéniet vitam, juſtítiam, & glóriam. *Prov.* 21. 21. * Impónens.

Lectio ix.

QUid ergo fecit, ut eſſet próximus nobis? Próximus non hoc quod nos, ſed prope nos. Duo atténde: Juſtus eſt, immortális eſt. In duóbus tuis malis, una eſt culpa, áltera eſt pœna: culpa eſt quòd injúſtus es, pœna eſt quia mortális es. Ille ut eſſet próximus, ſuſcépit pœnam tuam, non ſuſcépit culpam tuam: & ſi ſuſcépit, deléndam ſuſcépit, non faciéndam. Juſtus & immortális longè ab injúſtis & mortálibus. Peccátor mortális, longè eras à juſto immortáli. Non eſt factus ille peccátor, quod tu; ſed factus eſt mortális, quod tu. Manens juſtus, factus eſt mortális. Suſcipiéndo pœnam, & non ſuſcipiéndo culpam, & culpam delévit & pœnam.

℟. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuiſſe illi, qui íncidit in latrónes? Legiſperítus dixit: Qui fecit miſericórdiam in illum. Ait Jeſus: * Vade, & tu † Fac ſimíliter. *Luc.* 10. 36. 37. ℣. Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te; útique fácere judícium, & dilígere miſericórdiam. *Mich.* 6. 8. * Vade. Glória. † Fac.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. * Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. *Luc.* 10. 23. 24.

Oratio.

OMnípotens, & miſéricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter ſerviátur; tríbue, quæſumus, nobis, ut ad promiſſiónes tuas ſine offenſióne currámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

An. 1549. cap. 61.

SAnctórum celebritátes in diem Domínicam incidéntes, cenſémus ſubmovéndas, & in Fériam áliquam præcedéntem vel ſequéntem transferéndas; quò Sanctórum ómnium Dómino ſua conſervétur ſolémnitas: excéptis ſummis feſtivitátibus.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. â. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tua; & próximum tuum ſicut teípſum. *Luc.* 10. 27.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Eſdræ.

Lectio j. *c.* 3. 6. *ad* 8.

A Primo die menſis ſéptimi cœpérunt offérre holocauſtum Dómino: Porrò templum Dei nondum fundátum erat. Dedérunt autem pecúnias látomis & cæmentáriis; cibum quoque, & potum, & óleum Sidóniis, Tyriíſque, ut deferrent ligna cédrina de Líbano ad mare Joppe, juxta quod præcéperat Cyrus rex Perſarum eis. Anno autem ſecúndo advéntûs eórum ad templum Dei in Jerúſalem, menſe ſecúndo, cœpérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jóſue fílius Jóſedec, & réliqui de frátribus eórum Sacerdótes, & Levítæ, & omnes qui vénerant de captivitáte in Jerúſalem, & conſtituérunt Levítas à vigínti annis & ſuprà, ut urgérent opus Dómini.

℟. Eſdras, 154.

Lectio ij. *v.* 10. *ad fin.*

FUndáto ígitur à cæmentáriis templo Dómini, ſtetérunt Sacerdótes in ornátu ſuo cum tubis; & Levítæ fílii Aſaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Iſraël. Et concinébant in hymnis, & confeſſióne Dómino; Quóniam bonus, quóniam in ætérnum miſericórdia ejus ſuper Iſraël. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno in laudándo Dóminum, eò quòd fundátum eſſet templum Dómini. Plúrimi étiam de Sacerdótibus & Levítis, & príncipes patrum, & ſenióres qui víderant templum priùs cùm fundátum eſſet, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: & multi vociferántes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quiſquam agnóſcere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli; commíxtim enim pópulus vocife-

rabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. Deus meus, 154.

Lectio iij. *c.* 4. 1. *ad* 5.

AUdiérunt autem hoſtes Judæ, & Bénjamin, quia fílii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Iſraël; & accedéntes ad Zoróbabel, & ad príncipes patrum, dixérunt eis: Ædificémus vobíſcum, quia ita ut vos, quærimus Deum veſtrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Aſor Haddan regis Aſſur, qui addúxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, & Jóſue, & réliqui príncipes patrum Iſraël: Non eſt vobis & nobis ut ædificémus domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificábimus Dómino Deo noſtro, ſicut præcépit nobis Cyrus rex Perſárum. Factum eſt ígitur, ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificándo. Conduxérunt autem advérsùs eos conſiliatóres, ut deſtrúerent consílium eórum ómnibus diébus Cyri regis Perſárum, & uſque ad regnum Dárii regis Perſárum.

℟. Dómine, 154.

CANON.

Ex Concílio Narbonénſi.

An. 589. *can.* 2.

HOc definítum eſt, ut in pſallèndi ordínibus per quémlibet Pſalmum Glória dicátur omnipoténti Deo; per majóres verò Pſalmos, prout fúerint prolíxiùs, pauſatiónes fiant; & per quamque pauſatiónem Glória Trinitátis, Dómino decantétur.

FERIA TERTIA.

De libro primo Eſdræ.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 5.

PRophetavéruntAggæus prophéta, & Zacharías fílius Addo, prophetántes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerúſalem, in nómine Dei Iſraël. Tunc ſurrexérunt Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jóſue fílius Jóſedec, & cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúſalem, & cum eis prophétæ Dei adjuvántes eos. In ipſo autem témpore venit ad eos Thathánaï, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzánaï, & conſiliárii eórum, ſicque dixérunt eis: Quis dedit vobis consílium ut domum hanc ædificarétis, & muros ejus inſtaurarétis? Ad quod reſpóndimus eis, quæ eſſent nómina hóminum autórum ædificatiónis illíus. Oculus autem Dei eórum factus eſt ſuper ſenes Judæórum, & non potuérunt inhibére eos. Placuítque ut res ad Dárium referrétur, & tunc ſatisfácerent advérsùs accuſatiónem illam.

℟. Congregátus eſt, 155.

Lectio ij. *c.* 6. 1. *ad* 5.

TUnc Dárius rex præcépit: & recenſuérunt in bibliothéca librórum, qui erant repóſiti in Babylóne, & invéntum eſt in Ecbátanis,

quod eſt caſtrum in Medéna província, volúmen unum; taliſque ſcriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis; Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ eſt in Jerúſalem; in loco ubi ímmolent hóſtias, & ut ponant fundaménta ſupportántia altitúdinem cubitórum ſexagínta, & latitúdinem cubitórum ſexagínta; órdines de lapídibus impolítis tres, & ſic órdines de lignis novis: ſumptus autem de domo regis dabúntur: ſed & vaſa templi Dei aúrea & argéntea, quæ Nabuchodónoſor túlerat de templo Jerúſalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddántur, & referántur in templum in Jerúſalem in locum ſuum; quæ & póſita ſunt in templo Dei.

℟. Manus, 155.

Lectio iij. *v. 6. ad* 10.

NUnc ergo Thathánaï dux regiónis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzánaï, & conſiliárii veſtri Apharſachæi qui eſtis trans flumen, procul recédite ab illis; & dimíttite fieri templum Dei illud à duce Judæórum, & à ſenióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco ſuo. Sed & à me præcéptum eſt quid opórteat fieri à preſbyteris Judæórum illis, ut ædificétur domus Dei; ſcílicet ut de arca regis, id eſt, de tribútis quæ dantur de regióne trans flumen, ſtudióſè ſumptus dentur viris illis, ne impediátur opus. Quòd ſi neceſſe fúerit, & vítulos, & agnos, & hœdos in holocauſtum Deo cœli; fruméntum, ſal, vinum, & óleum, ſecúndùm ritum Sacerdótum qui ſunt in Jerúſalem, detur eis per ſíngulos dies, ne ſit in áliquo querimónia; & ófferant oblatiónes Deo cœli, oréntque pro vita regis, & filiórum ejus.

℟. Vos tranſgréſſi eſtis, 156.

CANON.

Ex Concilio Senonénſi.

An. 1528. *in decretis morum, cap.* 21.

DIœceſáni diligénter víſitent Breviária, Miſſália, Antiphonária, ac Sanctórum Legéndas. Et quæ deprehénderint ſupérflua, aut non ſatis pro Eccléſiæ dignitáte conveniéntia, ipſi contínuò tollent, & reſecábunt; & quæ víderint eſſe neceſſária, adjícient.

FERIA QUARTA.

De libro primo Eſdræ.

Lectio j. *c.* 9. 1. *ad* 5.

POſtquam hæc compléta ſunt, acceſſérunt ad me (Eſdram) príncipes, dicéntes: Non eſt ſeparátus pópulus Iſraël, Sacerdótes & Levítæ à pópulis terrárum, & abominatiónibus eórum, Chananæi vidélicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Jebuſæi, & Ammonitárum, & Moabitárum, & Ægyptiórum, & Amorrhæórum

thæórum : tulérunt enim de filiábus eórum ſibi & filiis ſuis, & commiſcuérunt ſemen ſanctum cum pópulis terrárum : manus étiam príncipum & magiſtrátuum fuit in tranſgreſſióne hac prima. Cúmque audiſſem ſermónem iſtum, ſcidi pállium meum & túnicam, & evélli capillos cápitis mei & barbæ ; & ſedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Iſraël, pro tranſgreſſióne eórum qui de captivitáte vénerant, & ego ſedébam triſtis uſque ad ſacrifícium veſpertínum ; & in ſacrificio veſpertíno ſurréxi de afflictióne mea, & ſciſſo pállio & túnicâ, curvávi génua mea, & expándi manus meas ad Dóminum Deum meum.

℟. Eſdras, 154.

Lectio ij. *c.* 10. 1. *ad* 4.

SIc ergo oránte Eſdrâ, & imploránte eo, & flente, & jacénte ante templum Dei, colléctus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis virórum, & mulíerum, & puerórum ; & flevit pópulus fletu multo. Et reſpóndit Sechénias filius Jéhiel de filiis Ælam, & dixit Eſdræ : Nos prævaricáti ſumus in Deum noſtrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ ; & nunc, ſi eſt pœniténtia in Iſraël ſuper hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo noſtro, ut projiciámus univérſas uxóres, & eos qui de his nati ſunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præcéptum Dómini Dei noſtri : ſecúndum legem fiat. Surge, tuum eſt decérnere ; noſque érimus tecum : confortáre, & fac.

℟. Deus meus, 154.

Lectio iij. *v.* 10. *ad* 12.

ET ſurréxit Eſdras ſacérdos, & dixit ad eos : Vos tranſgréſſi eſtis, & duxíſtis uxóres alienígenas, ut adderétis ſuper delictum Iſraël : & nunc date confeſſiónem Dómino Deo patrum veſtrórum, & fácite plácitum ejus : & ſeparámini à pópulis terræ, & ab uxóribus alienígenis. Et reſpóndit univérſa multitúdo, dixítque voce magnâ : Juxta verbum tuum ad nos, ſic fiat.

℟. Dómine, 154.

C A N O N.

Ex Concílio Colonienſi.

An. 1536. *parte* 1. *cap.* 6.

MUlto jam ex témpore, pio (ut ſpes eſt) ánimo deſiderávimus repurgári Breviária. Nam cùm olim à ſanctiſſimis Pátribus inſtitútum ſit, ut ſolæ Scriptúræ ſacræ in Ecclésia recitaréntur ; neſcímus quâ incúriâ accíderit, ut in eárum locum ſuccéſſerint ália cum his neútiquam comparánda, atque ínterim hiſtóriæ Sanctórum tam incúltæ, ac tam negligénti judício conſcriptæ, ut nec autoritátem habére videántur, nec gravitátem.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Nehémiæ, qui & Eſdræ ſecúndus dícitur.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

VErba Nehémiæ filii Hélchiæ: Et factum eſt in menſe Caſleu, anno vigéſimo; & ego eram in Suſis caſtro: & venit Hánani unus de frátribus meis, ipſe & viri ex Juda: & interrogávi eos de Judæis qui remánſerant & ſupérerant de captivitáte, & Jerúſalem. Et dixérunt mihi: Qui remanſérunt, & relícti ſunt de captivitáte ibi in província, in afflictióne magna ſunt, & in oppróbrio: & murus Jerúſalem diſſipátus eſt, & portæ ejus combúſtæ ſunt igni. Cúmque audiſſem verba hujuſcémodi, ſedi, & flevi, & luxi diébus multis; jejunábam, & orábam ante fáciem Dei cœli.

℟. Congregátus eſt, 155.

Lectio ij. *c.* 2. 1. *ad* 6.

EGo eram pincérna regis. Factum eſt autem in menſe Niſan, anno vigéſimo Artaxérxis regis: & vinum erat ante eum, & levávi vinum, & dedi regi; & eram quaſi lánguidus ante fáciem ejus. Dixítque mihi rex: Quare vultus tuus triſtis eſt, cùm te ægrótum non vídeam? non eſt hoc fruſtrà, ſed malum néſcio quod in corde tuo eſt. Et tímui valde, ac nimis; & dixi regi: Rex, in ætérnum vive, quare non mœreat vultus meus, quia cívitas domûs ſepulcrórum patris mei deſérta eſt, & portæ ejus combúſtæ ſunt igni? Et ait mihi rex: Pro qua re póſtulas? & orávi Deum cœli, & dixi ad regem: Si vidétur regi bonum, & ſi placet ſervus tuus ante fáciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitátem ſepúlcri patris mei, & ædificábo eam. Dixítque mihi rex, & regína quæ ſedébat juxta eum: Uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando revertéris? Et plácuit ante vultum regis, & miſit me; & conſtítui ei tempus.

℟. Manus, 155.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 18.

ET veni Jerúſalem, & eram ibi tribus diébus; & ſurréxi nocte ego, & viri pauci mecum; & non indicávi cuíquam quid Deus dediſſet in corde meo ut fácerem in Jerúſalem; & juméntum non erat mecum, niſi ánimal cui ſedébam. Et egréſſus ſum per portam Vallis nocte, & ante fontem Dracónis, & ad portam Stércoris; & conſiderábam murum Jerúſalem diſſipátum, & portas ejus conſúmptas igni. Et transívi ad portam Fontis, & ad aquædúctum regis, & non erat locus juménto cui ſedébam, ut tranſíret. Et aſcéndi per torréntem nocte, & conſiderábam murum; & revérſus, veni ad portam Vallis, & rédii. Magiſtrátus autem neſciébant quò abiiſſem,

aut quid ego fácerem : ſed & Judæis, & ſacerdótibus, & optimátibus, & magiſtrátibus, & réliquis qui faciébant opus, uſque ad id loci, nihil indicáveram. Et dixi eis : Vos noſtis afflictiónem in qua ſumus, quia Jerúſalem deſérta eſt, & portæ ejus conſúmptæ ſunt igni : veníte, & ædificémus muros Jerúſalem ; & non ſimus ultrà oppróbrium. Et indicávi eis manum Dei mei, quòd eſſet bona mecum, & verba regis quæ locútus eſſet mihi.

℟. Vos tranſgréſſi eſtis, 156.

C A N O N.

Ex Concílio Reménſi.

An. 1564. *congreg.* 5.

A Primæva Breviárii inſtitutióne, id antíqui Patres voluíſſe videntur, ut ſíngulis hebdómadis totum Pſaltérium recitarétur.

FERIA SEXTA.

De libro Nehémiæ.

Lectio j. *c.* 4. 1. *ad* 5.

FActum eſt autem, cùm audíſſet Sanabállat quòd ædificarémus murum, irátus eſt valde ; & motus nimis ſubſannávit Judæos ; & dixit coram frátribus ſuis, & frequéntia Samaritanórum : Quid Judæi fáciunt imbecílles ? Num dimíttent eos gentes ? Num ſacrificábunt, & complébunt in una die ? Numquid ædificáre póterunt lápides de acérvis púlveris, qui combúſti ſunt ? Sed & Tobías Ammanítes próximus ejus, ait : Ædíficent : ſi aſcénderit vulpes, tranſíliet murum eórum lapídeum. Audi Deus noſter, quia facti ſumus deſpéctui : convérte oppróbrium ſuper caput eórum, & da eos in deſpectiónem in terra captivitátis : ne opérias iniquitátem eórum, & peccátum eórum coram fácie tua non deleátur, quia irriſérunt ædificántes.

℟. Eſdras, 154.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 11.

FActum eſt autem, cùm audíſſet Sanabállat, & Tobías, & Arabes, & Ammanítæ, & Azótii, quòd obdúcta eſſet cicátrix muri Jerúſalem, & quòd cœpíſſent interrúpta conclúdi, iráti ſunt nimis ; & congregáti ſunt omnes páriter, ut veníren, & pugnárent contra Jerúſalem, & moliréntur inſídias. Et orávimus Deum noſtrum, & poſúimus cuſtódes ſuper murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas : Debilitáta eſt fortitúdo portántis, & humus nímia eſt, & nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hoſtes noſtri : Néſciant, & ignórent donec veniámus in médium eórum, & interficiámus eos, & ceſſáre faciámus opus.

℟. Deus meus, 154.

Lectio iij. *v.* 15. *ad* 18.

FActum eſt autem, cùm audíſſent inimíci noſtri nuntiátum eſſe nobis, diſſipávit Deus consílium eórum. Et re-

verſi ſumus omnes ad muros, unuſquíſque ad opus ſuum. Et factum eſt à die illa, média pars júvenum eórum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum; & lánceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & príncipes poſt eos in omni domo Juda. Ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntium, unâ manu ſuâ faciébat opus, & álterâ tenébat gládium; ædificántium enim unuſquíſque gládio erat accínctus renes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me.

℟. Dómine, 154.

CANON.

Ex Concílio Dertuſáno.

An. 1429. *Conſtit.* 4.

BEneficiáti, & in ſacris ordínibus conſtitúti, ad habéndum própria Breviária coërcitióne diſtríctâ cogántur.

SABBATO.

De libro Nehémiæ.

Lectio j.

c. 5. *v.* 1. *ad* 2. *&* *v.* 9. *ad* 12.

FActus eſt clamor pópuli, & uxórum ejus magnus advérsùs fratres ſuos Judæos. Et erant qui dícerent: Fílii noſtri, & fíliæ noſtræ multæ ſunt nimis, accipiámus pro prétio eórum fruméntum, & comedámus, & vivámus ... Dixíque ad eos: Non eſt bona res quam fácitis; quare non in timóre Dei noſtri ambulátis, ne exprobrétur nobis à géntibus inimícis noſtris? Et ego, & fratres mei, & púeri mei commodávimus plúrimis pecúniam & fruméntum; non repetámus in commúne iſtud, æs aliénum concedámus, quod debétur nobis. Rédditе eis hódie agros ſuos, & víneas ſuas, & olivéta ſua, & domos ſuas; quin pótiùs centéſimum pecúniæ, fruménti, vini, & ólei, quam exígere ſolétis ab eis, date pro illis. Et dixérunt: Reddémus; & ab eis nihil quærémus; ſicque faciémus ut lóqueris.

Lectio ij.

c. 8. *v.* 1. *ad* 3. *&* *v.* 6.

ET vénerat menſis ſéptimus, filii autem Iſraël erant in civitátibus ſuis. Congregatúſque eſt omnis pópulus quaſi vir unus ad platéam; quæ eſt ante portam Aquárum; & dixérunt Eſdræ ſcribæ ut afférret librum legis Móyſi, quam præcéperat Dóminus Iſraéli. Attulit ergo Eſdras ſacérdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctíſque qui póterant intellígere, in die prima menſis ſéptimi. Et legit in eo apértè in platéa quæ erat ante portam Aquárum, de manè uſque ad médiam diem, in conſpéctu virórum & mulíerum & ſapiéntium: & aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum... Et benedíxit Eſdras Dómino Deo magno: & reſpóndit omnis pópulus: Amen, amen, élevans manus ſuas; & in-

curváti ſunt, & adoravérunt Deum proni in terram.

Lectio iij. *c.* 13. 19. *ad* 25.

FActum eſt autem, cùm quievíſſent portæ Jerúſalem, in die ſabbati, dixi: & clauſérunt jánuas, & præcépi ut non aperírent eas uſque poſt ſábbatum: & de púeris meis conſtitui ſuper portas ut nullus inférret onus in die ſábbati. Et manſérunt negotiatóres, & vendéntes univérſa venália foris Jerúſalem ſemel & bis. Et conteſtátus ſum eos, & dixi eis: Quare manétis ex advérſo muri? Si ſecúndò hoc fecéritis, manum mittam in vos. Itaque ex témpore illo non venérunt in ſábbato. Dixi quoque Levítis ut mundaréntur, & venírent ad cuſtodiéndas portas, & ſanctificándam diem ſábbati: & pro hoc ergo meménto meî, Deus meus, & parce mihi ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum. Sed & in diébus illis vidi Judæos ducéntes uxóres Azótidas, Ammonítidas, & Moabitidas. Et filii eórum ex média parte loquebántur Azóticè, & neſciébant loqui Judáïcè; & loquebántur juxta linguam pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledíxi. Et cecídi ex eis viros, & decalvávi eos, & adjurávi in Deo ut non darent filias ſuas filiis eórum, & non accíperent de filiábus eórum filiis ſuis, & ſibimetípſis.

C A N O N.

Ex Concílio Mechliniénſi.

An. 1607. *tit.* 12. *cap.* 7.

GRavis tantùm, & quæ ad pios affectus móveat múſica, officio divíno adhibeátur, non étiam laſcíva vel ſeculáris. Similiter & órgana, & quæcúnque inſtruménta múſica, modulatióne ſuâ laſcívas cantiónes non imiténtur.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Scripſit rex Antíochus omni regno ſuo, ut eſſet omnis pópulus, unus; & relínqueret unuſquíſque legem ſuam: multi de pópulo Iſraël noluérunt infríngere legem Dei ſanctam, & trucidáti ſunt. 1. *Mach.* 1. 43. 65. 66.

Oratio, Omnípotens ſempitérne Deus, *infrà ad Laudes*.

DOMINICA XIII. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt libri Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 1. *c.* 1. 1. *ad* 5.

FActum eſt, poſtquam percúſſit Alexánder Philíppi Mácedo (qui primus regnávit in Græcia, egréſſus de terra Cethim,) Dárium regem Perſárum & Medórum; conſtítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ, & pertránſiit uſque ad fines terræ, & accépit ſpólia multitúdinis géntium: [illegible] terra in conſpéctu [illegible] congregávit virtútem [illegible] citum fortem nimis;

tátum eſt, & elevátum cor ejus; & obtínuit regiónes géntium, & tyránnos, & facti ſunt illi in tribútum.

℟. Poſtquam percúſſit Alexánder Dárium regem Perſárum, * Pertránſiit uſque ad fines terræ: síluit terra in conſpéctu ejus, & poſt hæc décidit in lectum, & cognóvit quia moreretur. 1. *Mach.* 1. 1. 3. 6. ℣. Quid prodeſt hómini ſi mundum univérſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detriméntum patiátur. *Matt.* 16. 26.* Pertránſiit.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 10.

ET poſt hæc décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros ſuos nóbiles, qui ſecum erant nutríti à juventúte; & divíſit illis regnum ſuum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexánder annis duódecim, & mórtuus eſt. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unuſquíſque in loco ſuo: & impoſuérunt omnes ſibi diadémata poſt mortem ejus, & filii eórum poſt eos annis multis, & multiplicáta ſunt mala in terra.

℟. Cóntigit ſeptem fratres cum matre compélli à rege Antíocho contra fas édere carnes porcínas, flagris & taúreis cruciátos. Primus ſic ait: * Paráti ſumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7. 1. 2. ℣. Neque mors, neque vita, neque principátus, neque inſtántia, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à caritáte Dei. *Rom.* 8. 38. 39. * Paráti.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 16.

ET exiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illúſtris, filius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obſes; & regnávit in anno centéſimo trigéſimo ſéptimo regni Græcórum: In diébus illis exiérunt ex Iſraël filii iníqui, & ſuaſérunt multis, dicéntes: Eámus, & diſponámus teſtaméntum cum géntibus quæ circa nos ſunt; quia ex quo recéſſimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus viſus eſt ſermo in óculis eórum. Et deſtinavérunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad regem: & dedit illis poteſtátem ut fácerent juſtítiam géntium. Et ædificavérunt gymnáſium in Jeroſólymis ſecúndùm leges natiónum: & fecérunt ſibi præpútia, & receſſérunt à teſtaménto ſancto, & juncti ſunt natiónibus, & venúndati ſunt ut fácerent malum.

℟. In ſartágine cùm primus diu cruciarétur, céteri fratres unà cum matre ínvicem ſe hortabántur mori fórtiter, dicéntes: * Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & † Conſolábitur in nobis. 2. *Mach.* 7. 5. 6. ℣. Per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen. *Hebr.* 12. 1. * Dóminus. Glória. † Conſolábitur in nobis.

IN II. NOCTURNO.
Ex libro ſancti Auguſtini epíſcopi, de Civitáte Dei.

Lectio iv. *Lib.* 18. *cap.* 36.

APud Judæos reſtitúto templo, non reges ſed príncipes fuérunt uſque ad Ariſtóbulum: quórum ſupputátio témporum non in Scriptúris ſanctis, quæ canónicæ appellántur, ſed in áliis invenítur, in quibus ſunt & Machabæórum libri, quos non Judæi, ſed Eccléſia pro canónicis habet, propter quorúndam Mártyrum paſſiónes veheméntes atque mirábiles, qui ántequam Chriſtus veníſſet in carnem, uſque ad mortem pro Dei lege certavérunt, & mala graviſſima atque horribília pertulérunt.

℟. Supra modum mater mirábilis ſíngulos hortabátur voce pátriâ, * Mundi Creátor ſpíritum vobis íterum cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetípſos deſpícitis propter leges ejus. 2. *Mach.* 7. 20. 21. 23. ℣. Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere. *Matt.* 10. 28. * Mundi Creátor.

Lectio v. *cap.* 45. §. 1.

POſtéaquam gens Judæa cœpit non habére Prophétas, procul dúbio detérior facta eſt, eo ſcílicet témpore, quo ſe ſperábat inſtauráto templo poſt captivitátem quæ fuit in Babylónia, futúram eſſe meliórem. Sic quippe intelligébat pópulus ille carnális, quod prænuntiátum eſt per Aggæum prophétam, dicéntem: [Magna erit glória domûs iſtíus noviſſimæ, pluſquam primæ.] Quod de novo Teſtaménto dictum eſſe, paulò ſupériùs demonſtrávit, ubi ait apértè Chriſtum promíttens: [Et movébo omnes gentes, & véniet deſiderátus cunctis géntibus.]

℟. Fratres mei, módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt; * Tu verò judício Dei juſtas ſupérbiæ tuæ pœnas exólves. 2. *Mach.* 7. 36. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. 2. *Cor.* 4. 17. * Tu verò.

Lectio vj. §. 2.

HOſtias ſanè Alexánder immolávit in Dei templo, non ad ejus cultum verâ pietáte convérſus, ſed ímpiâ vanitáte cum diis eum falſis coléndum putans. Deínde Ptolemæus Lagi filius, poſt Alexándri mortem captívos inde in Ægyptum tránſtulit, quos ejus ſuccéſſor Ptolemæus Philadélphus benevolentíſſimè indedimíſit: per quem factum eſt, ut Septuagínta intérpretum Scriptúras haberémus. Deínde contríti ſunt bellis, quæ in Machabæórum libris explicántur. Poſt hæc capti à rege Alexándriæ Ptolemæo,

qui eſt appellátus Epíphanes; inde ab Antíocho rege Syriæ multis & graviſſimis malis ad idóla colénda compúlſi, templúmque ipſum replétum ſacrílegis ſuperſtitiónibus géntium, quod tamen dux eórum ſtrenuiſſimus Judas, qui étiam Machabæus dictus eſt, Antíochi dúcibus pulſis, ab omni illa idololatríæ contaminatióne mundávit.

℟. Rex accénſus irâ, in adoleſcentiórem ſuper omnes crudéliùs deſævit, indígnè ferens ſe deríſum: * Noviſſimè autem poſt fílios & mater conſúmpta eſt. 2. *Mach.* 7. 39. 41. ℣. Diſténti ſunt, non ſuſcipiéntes redemptiónem, ut melióre m invenírent reſurrectiónem. *Hebr.* 11. 35. * Noviſſimè. Glória. * Noviſſimè.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 17. 11. *ad* 19.

IN illo témpore: Dum iret Jeſus in Jerúſalem, tranſíbat per médiam Samaríam & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtéllum, occurrérunt ei decem viri lepróſi. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Quæſt. Evang. lib. 2. *quæſt.* 40. §. 1. 2.

IN decem lepróſis quos Dóminus ita mundávit; cùm ait: [Ite, oſténdite vos ſacerdótibus,] multa quæri poſſunt quæ méritò quæréntes movent. Non ſolùm de número quid ſibi velint quòd decem ſunt, & quòd unus ex illis ſolus grátias agit: hæc enim líberè quærúntur; ut étiam non inveſtigáta, vel nihil vel non multùm impédiant intentiónem legéntis: ſed illa pótiùs, cur eos ad ſacerdótes míſerit, ut cùm irent mundaréntur. Nullum enim eórum quibus hæc corporália benefícia præſtitit, invenítur miſiſſe ad ſacerdótes, niſi lepróſos. Nam & illum à lepra mundáverat cui dixit: [Vade, oſténde te ſacerdótibus, & offer pro te ſacrifícium, quod præcépit Móyſes, in teſtimónium illis.]

℟. Cùm ingrederétur Jeſus quoddam caſtéllum, occurrérunt ei decem viri lepróſi, qui ſtetérunt à longè, dicéntes; * Jeſu præcéptor, miſerére noſtrî. *Luc.* 17. 12. 13. ℣. Tu es, Dómine, qui líberas ab omni malo. *Sap.* 16. 8. * Jeſu.

Lectio viij.

QUæréndum ígitur eſt, quid ipſa lepra ſígníficet: non enim ſanáti, ſed mundáti dicúntur qui eâ caruérunt. Colóris quippe vítium eſt, non valetúdinis aut integritátis ſénſuum atque membrórum. Lepróſi ergo non abſúrdè intélligi poſſunt, qui ſciéntiam veræ fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erró-

ris. Non enim vel abſcóndunt imperítiam ſuam, ſed pro ſumma perítia próferunt in lucem, & jactántiâ ſermónis oſténtant.

℟. Leprόſos ut vidit Jeſus, dixit: * Ite, oſténdite vos ſacerdótibus. *Luc.* 17. 14. ℣. Sacerdótes pópulum docébunt quid ſit inter ſanctum & pollútum, & inter mundum & immúndum oſténdent eis. *Ezech.* 44. 23. * Ite.

Lectio ix.

NUlla porrò falſa doctrína eſt, quæ non áliqua vera intermíſceat. Vera ergo falſis inordinátè permíxta, in una diſputatióne vel narratióne hóminis, tanquam in uníus córporis colóre apparéntia, ſignificant lepram, tanquam veris falsíſque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem. Hi autem tam vitándi ſunt Eccléſiæ, ut ſi fieri poteſt, lóngiùs remóti magno clamóre Chriſtum interpéllent; ſicut iſti [decem ſtetérunt à longè, & levavérunt vocem, dicéntes: Jeſu præcéptor, miſerére noſtri.] Nam & quòd præceptórem vocant: quo nómine néſcio utrùm quiſquam Dóminum interpelláverit pro medicína corporáli, ſatis puto ſignificáre, lepram falſam eſſe doctrínam, quam bonus præcéptor abſtérgit.

℟. Dum irent lepróſi, mundáti ſunt; * Unus autem regréſſus eſt, cum magna voce magníficans Deum, & † Cécidit in fáciem ante pedes Jeſu, grátias agens; & hic erat Samaritánus. *Luc.* 17. 14 15. 16. ℣. Oblíti ſunt benefactórum Dei, & mirabílium ejus. *Pſ.* 77. 11. * Unus. Glória. † Cécidit.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. * Dixit Jeſus: Nonne decem mundáti ſunt? Et novem ubi ſunt? Non eſt invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo, niſi hic alienígena. *Luc.* 17. 18.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, da nobis fídei, ſpei, & caritátis augméntum: & ut mereámur aſſequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583. *tit. de Euchariſtia, cap.* 14.

DIébus Domínicis ac pópulo feſtívis, dum majus ſacrum, cóncio, vel ſupplicatiónes fiunt, in álio áliquo altári Eccléſiæ miſſam celebrári omníno prohibémus.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. * Ait Samaritáno Jeſus: Surge, vade, quia fides tua te ſalvum fecit. *Luc.* 17. 19.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 2. *c.* 3. 1. *ad* 4.

CUm ſancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè cuſtodiréntur, propter

Oníæ pontíficis pietátem, & ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut & ipſi reges & príncipes locum ſummo honóre dignum dúcerent, & templum máximis munéribus illuſtrárent; ita ut Seleúcus Aſiæ rex de reddítibus ſuis præſtáret omnes ſumptus ad miniſtérium ſacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin præpóſitus témpli conſtitútus, contendébat, obſiſténte ſibi príncipe ſacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri.

℟. Poſtquam, 166.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 8.

SEd cùm víncere Oníam non poſſet, venit ad Apollónium Tharſææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœleſyriæ, & Phœnícis; & nunciávit ei, pecúniis innumerabílibus plenum eſſe ærárium Jeroſólymis, & commúnes cópias imménſas eſſe, quæ non pértinent ad ratiónem ſacrificiórum; eſſe autem poſſíbile ſub poteſtáte regis cádere univérſa. Cúmque retuliſſet ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum qui erat ſuper negótia ejus, miſit cum mandátis, ut prædíctam pecúniam tranſportáret. Statímque Heliodórus iter eſt aggréſſus, ſpécie quidem quaſi per Cœleſyriam & Phœnícen civitátes eſſet peragratúrus, revéra autem regis propóſitum perfectúrus.

℟. Cóntigit, 166.

Lectio iij. *v.* 9. *ad* 12.

SEd cùm veniſſet Jeroſólymam, & benígnè à ſummo ſacerdóte in civitáte eſſet excéptus, narrávit de dato indício pecuniárum, & cujus rei grátiâ adéſſet, apéruit: interrogábat autem, ſi verè hæc ita eſſent. Tunc ſummus ſacérdos oſténdit depóſita eſſe hæc, & victuália viduárum, & pupillórum; quædam verò eſſe Hircáni Tobíæ viri valde eminéntis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: univérſa autem argénti talénta eſſe, quadringénta, & auri ducénta: décipi verò eos, qui credidíſſent loco & templo quod per univérſum mundum honorátur pro ſuî veneratióne & ſanctitáte, omnino impoſſíbile eſſe.

℟. In ſartágine, 166.

C A N O N.

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *in decretis morum*, *cap.* 17.

ORganórum uſum Ecclésia à Pátribus ad cultum ſervitiúmque divínum recépit. Nólumus ítaque quòd orgánicis inſtruméntis réſonet in Ecclésia impudíca aut laſcíva melódia; ſed ſonus omníno dulcis, qui nihil præter hymnos divínos & cántica ſpirituália repræſéntet.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j.

Lib. 2. *c.* 3, 23. *ad* 26.

HEliodórus autem quod decréverat, perficiébat eódem loco ipſe cum ſatellítibus circa ærárium præſens. Sed ſpíritus omnipoténtis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſiónis evidéntiam, ita ut omnes qui auſi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in diſſolutiónem & formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens ſeſſórem, óptimis operiméntis adornátus: iſque cum ímpetu Heliodóro prióres calces eliſit; qui autem ei ſedébat, videbátur arma habére aúrea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, ſpecioſíque amíctu; qui circunſtetérunt eum, & ex utráque parte flagellábant, ſine intermiſſióne multis plagis verberántes.

℟. Supra modum, 167.

Lectio ij. *v.* 27. *ad* 31.

SUbitò autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multâ calígine circunfúſum rapuérunt, atque in ſella geſtatória póſitum ejecérunt. Et is qui cum multis curſóribus, & ſatellítibus prædíctum ingréſſus eſt ærárium, portabátur nullo ſibi auxílium feréente, maniféſtâ Dei cógnitâ virtúte; & ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni ſpe & ſalúte privátus. Hi autem Dóminum benedicébant; quia magnificábat locum ſuum: & templum, quod paulò antè timóre ac tumúltu erat plenum, apparénte omnipoténte Dómino, gaúdio & lætítiâ implétum eſt. Tunc verò ex amícis Heliodóri quidam rogábant conféſtim Oníam, ut invocáret Altíſſimum, ut vitam donáret ei, qui in ſuprémo ſpíritu erat conſtitútus.

℟. Fratres mei, 167.

Lectio iij. *v.* 32. *ad fin.*

COnsíderans autem ſummus ſacérdos, ne fortè rex ſuſpicarétur malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum conſummátam, óbtulit pro ſalúte viri hóſtiam ſalutárem. Cúmque ſummus ſacérdos exoráret, iidem júvenes eíſdem véſtibus amícti, aſtántes Heliodóro, dixérunt: Oníæ ſacerdóti grátias age; nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit: tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei, & poteſtátem. Et his dictis non comparuérunt. Heliodórus autem, hóſtiâ Deo oblâtâ, & votis magnis promíſſis ei qui vívere illi concéſſit, & Oníæ grátias agens, recépto exércitu, repedábat ad regem. Teſtabátur autem ómnibus ea quæ ſub óculis ſuis víderat ópera magni Dei. Cùm autem rex

interrogáſſet Heliodórum quis eſſet aptus adhuc ſemel Jeroſólymam mitti, ait: Si quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatórem, mitte illuc; & flagellátum eum recípies, ſi tamen eváſerit; eò quòd in loco ſit verè Dei quædam virtus: nam ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor, & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malèfaciéndum pércutit, ac perdit. Igitur de Heliodóro, & ærárii cuſtódia, ita ſe res habet.

℟. Rex accénſus irâ, 168.

CANON.

Ex Concílio Cameracénſi.

An. 1565. *tit.* 6. *cap.* 15.

QUi tintinnábula, & campánulas ad harmóniam quandam pulſáre ſolent, cáveant omníno ne hujúſmodi pulſatióne cantiónes turpes, inhonéſtas, & vulgò jactátas imiténtur; ſed pótiùs hymnórum & canticórum Eccléſiæ modulatiónes.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 1. *c.* 1. 17. *ad* 23.

PArátum eſt regnum in conſpéctu Antíochi, & cœpit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret ſuper duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, & elephántis, & equítibus, & copióſa návium multitúdine: & conſtítuit bellum advérsùs Ptolemæum regem Ægypti; & véritus eſt Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in terra Ægypti, & accépit ſpólia terræ Ægypti. Et convértit Antíochus, poſtquam percúſſit Ægyptum in centéſimo & quadragéſimo tértio anno; & aſcéndit ad Iſraël, & aſcéndit Jeroſólymam in multitúdine gravi, & intrávit in ſanctificatiónem cum ſupérbia.

℟. Poſtquam percúſſit, 166.

Lectio ij. *v.* 23. *ad* 26.

ET accépit altáre aúreum, & candelábrum lúminis, & univérſa vaſa ejus, & menſam propoſitiónis, & libatória, & phíalas, & mortaríola aúrea, & velum, & corónas, & ornaméntum aúreum quod in fácie templi erat; & comminuit ómnia. Et accépit argéntum & aurum, & vaſa concupiſcibília; & accépit theſaúros occúltos quos invénit; & ſublátis ómnibus, ábiit in terram ſuam. Et fecit cædem hóminum, & locútus eſt in ſupérbia magna. Et factus eſt planctus magnus in Iſraël, & in omni loco eórum.

℟. Cóntigit, 166.

Lectio iij. *v.* 46. *ad* 52.

ET miſit rex libros per manus nuntiórum in Jerúſalem, & in omnes civitátes Juda; ut ſequeréntur leges géntium terræ, & prohibérent holocaúſta, & ſacrifícia, & placatiónes fieri in templo Dei;

& prohibérent celebrári ſábbatum, & dies ſolémnes: & juſſit coinquinári ſancta, & ſanctum pópulum Iſraël. Et juſſit ædificári aras, & templa, & idóla, & immolári carnes ſuillas, & pécora commúnia, & relínquere fílios ſuos incircumcíſos, & coinquinári ánimas eórum in ómnibus immúndis & abominatiónibus, ita ut oblivíſceréntur legem, & immutárent omnes juſtificatiónes Dei. Et quicúnque non fecíſſent ſecúndùm verbum regis Antíochi, moreréntur.

℟. In ſartágine, *166.*

CANON.

Ex Concílio Turonénſi ſecúndo.

An. 567. can. 4.

LAïci ſecus altáre quo ſancta myſtéria celebrántur, inter cléricos, tam ad Vigílias quàm ad Miſſas, ſtare pénitùs non præſúmant; ſed pars illa, quæ à cancéllis versùs altáre divíditur, choris tantùm pſalléntium páteat clericórum.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. c. 6. 18. ad 22.

ELeázarus unus de primóribus ſcribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíſſimam mortem magìs quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad ſupplícium. Intuens autem quemádmodum oportéret accédere, patiénter ſúſtinens, deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui aſtábant, iníquâ miseratióne commóti propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum ſecrétò rogábant afférri carnes quibus veſci ei licébat, ut ſimularétur manducáſſe, ſicut rex imperáverat, de ſacrifícii cárnibus; ut hoc facto à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Supra modum, *167.*

Lectio ij. v. 23. ad 28.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac ſenectútis ſuæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ converſatiónis actus: & ſecúndùm ſanctæ & à Deo cónditæ legis conſtitúta, reſpóndit citò, dicens, præmítti ſe velle in inférnum. Non enim ætáti noſtræ dignum eſt, inquit, fíngere: ut multi adoleſcéntium arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum tranſíſſe ad vitam alienigenárum, & ipſi propter meam ſimulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur, & per hoc máculam atque execratiónem meæ ſenectúti conquíram. Nam etſi in præſénti témpore ſupplíciis hóminum erípiar, ſed manum Omnipoténtis nec vivus nec defúnctus

effúgiam : quamóbrem fórtiter vitâ excedéndo, ſenectúte quidem dignus apparébo; adoleſcéntibus autem exémplum forte relínquam, ſi prompto ánimo, ac fórtiter pro graviſſimis ac ſanctiſſimis légibus honéſtâ morte perfúngar. His dictis, conféſtim ad ſupplícium trahebátur.

℟. Fratres mei, 167.

Lectio iij. *v. 29. ad fin.*

HI autem qui eum ducébant, & paulò antè fúerant mitióres, in iram convérſi ſunt propter ſermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabántur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit, & dixit: Dómine qui habes ſanctam ſciéntiam, maniféſtè tu ſcis quia, cùm à morte poſſem liberári, duros corpóris ſuſtíneo dolóres: ſecúndùm ánimam verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. Et iſte quidem hoc modo vitâ decéſſit, non ſolùm juvénibus, ſed & univérſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens.

℟. Rex accénſus irâ, 168.

CANON.

Ex Concílio Rothomagénſi.

An. 1581. *cap.* 3. *num.* 9.

CEſſent in Eccléſiis fraternitátum & ſocietátum quarúmlibet concília & negótia; ceſſent confabulatiónes quælibet; ceſſent vana, & multò pótiùs fœda & profána collóquia. Eò nec libri, niſi oratiónis & pietátis, nec ália niſi ſancta inferántur.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 2. *c.* 7. 1. *ad* 9.

COntigit autem & ſeptem fratres unà cum matre ſua apprehénſos, compélli à rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & taúreis cruciátos. Unus autem ex illis qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis díſcere à nobis? paráti ſumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, juſſit ſartágines & ollas æneas ſuccéndi; quibus ſtatim ſuccénſis, juſſit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam; & cute cápitis abſtráctâ, ſummas quoque manus & pedes ei præſcíndi, céteris ejus frátribus & matre inſpiciéntibus. Et cum jam per ómnia inútilis factus eſſet, juſſit ignem admovéri, & adhuc ſpirántem torréri in ſartágine, in qua cùm diu cruciarétur, céteri unà cum matre ínvicem ſe hortabántur mori fórtiter, dicéntes: Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & conſolábitur in nobis; quemádmodum in proteſtatióne cántici declarávit Móyſes: Et in ſervis ſuis conſolábitur. Mórtuo ítaque illo primo, hoc modo, ſequéntem deducébant ad illudéndum; & cute cápitis ejus cum capíllis ab-

ſtráctâ, interrogábant ſi manducáret priúſquam toto córpore per membra ſíngula punirétur. At ille reſpóndens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quod & iſte, ſequénti loco, primi torménta ſuſcépit; & in último ſpíritu conſtitútus, ſic ait: Tu quidem ſceleſtíſſime in præſénti vita nos perdis; ſed Rex mundi defúnctos nos pro ſuis légibus in ætérnæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit.

℞. Poſtquam percúſſit, 166.

Lectio ij. *v.* 10. *ad* 19.

POſt hunc tértius illúditur, & linguam poſtulátus citò prótulit, & manus conſtánter exténdit, & cum fidúcia ait: E cœlo iſta poſsídeo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me ea receptúrum ſpero; ita ut rex & qui cum ipſo erant, miraréntur adoleſcéntis ánimum, quòd tanquam nihilum dúceret cruciátus. Et hoc ita defúncto, quartum vexábant ſimíliter torquéntes; & cùm jam eſſet ad mortem, ſic ait: Pótius eſt ab homínibus morti datos ſpem expectáre à Deo, íterum ab ipſo reſuſcitándos; tibi enim reſurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovíſſent quintum, vexábant eum: at ille reſpíciens in eum, dixit: Poteſtátem inter hómines habens, cùm ſis corruptíbilis, facis quod vis; noli autem putáre genus noſtrum à Deo eſſe derelíctum: tu autem patiénter ſúſtine, & vidébis magnam poteſtátem ipsíus, quáliter te, & ſemen tuum torquébit. Poſt hunc ducébant ſextum, & is mori incípiens, ſic ait: Noli fruſtrà erráre, nos enim propter noſmetípſos hæc pátimur, peccántes in Deum noſtrum, & digna admiratióne facta ſunt in nobis; tu autem ne exíſtimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℞. Contígit, 166.

Lectio iij. *v.* 20. *ad* 23.

SUpra modum autem mater mirábilis, & bonórum memóriâ digna, quæ pereúntes ſeptem fílios ſub uníus diéi témpore conſpíciens, bono ánimo ferébat propter ſpem quam in Deum habébat; ſíngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta ſapiéntiâ, & femíneæ cogitatióni maſculínum ánimum ínferens, dixit ad eos: Néſcio quáliter in útero meo apparuíſtis; neque enim ego ſpíritum & ánimam donávi vobis & vitam, & ſingulórum membra non ego ipſa compégi; ſed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orígínem, & ſpíritum vobis íterum cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetípſos deſpícitis propter leges ejus.

℞. In ſartágine, 166.

CANON.

Ex Concílio Turonénſi.

An. 1583. *tit.* 15.

STátuit hæc Synodus, ne qui collóquia ſua in átrio alicújus Eccléſiæ conſtítuant habénda, mercéſve in cœmetério venáles expónant: inde enim fit, ut in ipſa Eccléſia ſua exérceant negótia, ubi oratiónes & divína tantùm fíeri æquum eſt offícia.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 2. *c.* 7. 24. *ad* 26.

ANtíochus autem contémni ſe arbitrátus, ſimul & exprobrántis voce deſpéctâ, cùm adhuc adoleſcéntior ſuperéſſet, non ſolùm verbis hortabátur, ſed & cum juraménto affirmábat, ſe dívitem & beátum factúrum, & tranſlátum à pátriis légibus amícum habitúrum, & res neceſſárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cùm adoléſcens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, & ſuadébat ei ut adoleſcénti fíeret in ſalútem. Cùm autem multis eam verbis eſſet hortátus, promíſit ſuaſúram ſe fílio ſuo.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica præcedentis.*

Lectio ij. *v.* 27. *ad* 29.

ITaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátriâ voce: Fili mi, miſerére mei, quæ te in útero novem ménſibus portávi, & lac triénnio dedi & álui, & in ætátem iſtam perdúxi: peto, nate, ut aſpícias ad cœlum & terram, & ad ómnia quæ in eis ſunt; & intélligas quia ex níhilo fecit illa Deus, & hóminum genus: ita fiet ut non tímeas carnífícem iſtum, ſed dignus frátribus tuis effféctus párticeps, ſúſcipe mortem, ut in illa miſeratióne cum frátribus tuis te recípiam.

Lectio iij. *v.* 30. *ad* 41.

CUm hæc illa adhuc díceret, ait adoléſcens: Quem ſuſtinétis? non obédio præcépto regis, ſed præcépto legis quæ data eſt nobis per Móyſen. Tu verò qui invéntor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis noſtris hæc pátimur; & ſi nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noſter módicùm irátus eſt; ſed íterum reconciliábitur ſervis ſuis. Tu autem, ô ſceléſte, & ómnium hóminum flagitioſíſſime, noli fruſtrà extólli vanis ſpebus in ſervos ejus inflammátus; nondum enim omnipoténtis Dei, & ómnia inſpiciéntis, judícium effugíſti. Nam fratres mei, módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt: tu verò judício Dei juſtas ſupérbiæ tuæ pœnas exólves. Ego autem,

autem, ſicut & fratres mei, ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus, ínvocans Deum matúriùs genti noſtræ propítium fieri, teque cum torméntis & verbéribus confitéri, quòd ipſe eſt Deus ſolus. In me verò & in frátribus meis déſinet Omnipoténtis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum juſtè ſuperdúcta eſt. Tunc rex accénſus irâ, in hunc ſuper omnes crudéliùs deſævit, indígnè ferens ſe deríſum. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. Noviſſimè autem poſt filios & mater conſúmpta eſt.

CANON.

Ex Concílio Conſtantinopolitáno quini-ſexto.

An. 692. can. 76.

NOn opórtet intrà ſanctos ámbitus cauponáriam officínam, vel cibórum ſpécies propónere; vel álias venditiónes fácere, ſuam veneratiónem Eccléſiis ſervántes.... Si quis ergo in prædícto delícto deprehénſus fúerit, ſegregétur.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Simon Mathathíæ fílius, & fratres ejus dedérunt ſe perículo, & reſtitérunt adverſáriis gentis ſuæ, ut ſtarent ſancta ipſórum, & lex: & glóriâ magnâ glorificavérunt gentem ſuam. 1. *Mach.* 14. 29.

Oratio, Cuſtódi, Dómine, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XIV.

poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 1. *c.* 2. 1. *ad* 13.

IN diébus illis ſurréxit Mathathías fílius Joánnis, fílii Simeónis, ſacérdos ex filiis Jóarib ab Jerúſalem, & conſédit in monte Modin; & habébat filios quinque, Joánnem qui cognominabátur Gaddis, & Simónem qui cognominabátur Thaſi, & Judam qui vocabátur Machabæus, & Eleázarum qui cognominabátur Abaron, & Jónathan qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala quæ fiébant in pópulo Juda, & in Jerúſalem. Et dixit Mathathías. Væ mihi, ut quid natus ſum vidére contritiónem pópuli mei, & contritiónem civitátis ſanctæ, & ſedére illic, cùm datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta ſunt; templum ejus ſicut homo ignóbilis; vaſa glóriæ ejus captíva abdúcta ſunt; trucidáti ſunt ſenes ejus in platéis, & júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hereditávit regnum ejus, & non obtínuit ſpólia ejus? Omnis compoſítio ejus abláta eſt. Quæ erat líbera, facta eſt ancílla. Et ecce ſancta noſtra & pulcritúdo noſtra, & cláritas noſtra deſoláta eſt, & coinquinavérunt ea gentes: Quò ergo nobis adhuc vívere?

℟. Intrávit rex Antíochus in ſanctificatiónem cum ſupérbia, accépit altáre aúreum & univérſa vaſa, & comminuit, & fecit cædem hóminum;* Et factus eſt planctus magnus in Iſraël. 1. *Mach.* 1. 23. 25. 26. ℣. Datum eſt illi bellum fácere cum ſanctis, & víncere eos. *Apoc.* 13. 7. * Et factus eſt.

Lectio ij. *v.* 14. *ad* 18.

ET ſcidit veſtiménta ſua Mathathías, & filii ejus; & operuérunt ſe cilíciis, & planxérunt valde. Et venérunt illuc qui miſſi erant à rege Antíocho, ut cógerent eos qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre, & accéndere thura, & à lege Dei diſcédere. Et multi de pópulo Iſraël conſentiéntes acceſſérunt ad eos; ſed Mathathías, & filii ejus conſtánter ſtetérunt. Et reſpondéntes qui miſſi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ: Princeps, & clariſſimus, & magnus es in hac civitáte, & ornátus fíliis & frátribus: ergo accéde prior, & fac juſſum regis, ſicut fecérunt omnes gentes, & viri Juda, & qui remanſérunt in Jerúſalem; & eris tu, & filii tui, inter amícos regis, & amplificátus auro & argénto, & munéribus multis.

℟. Cœpit ex gravi ſupérbia dedúctus Antíochus ad agnitiónem ſuî veníre, & ita ait: Juſtum eſt ſúbditum eſſe Deo, & mortálem non pária Deo ſentíre;* Orábat hic ſceléſtus Dóminum à quo non eſſet miſericórdiam conſecutúrus. 2. *Mach.* 9. 11. 12. 13. ℣. Scitóte quóniam reprobátus eſt; non enim invénit pœniténtiæ locum. *Hebr.* 12. 17.* Orábat.

Lectio iij. *v.* 19. *ad* 25.

ET reſpóndit Mathathías, & dixit magna voce: Et ſi omnes gentes regi Antíocho obédiunt, ut diſcédat unuſquíſque à ſervitúte legis patrum ſuórum, & conſéntiat mandátis ejus; ego & filii mei, & fratres mei obediémus legi patrum noſtrórum. Propítius ſit nobis Deus: non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítias Dei; non audiémus verba regis Antíochi, nec ſacrificábimus tranſgrediéntes legis noſtræ mandáta, ut eámus álterâ viâ. Et ut ceſſávit loqui verba hæc, accéſſit quidam Judæus in ómnium óculis ſacrificáre idólis ſuper aram in civitáte Modin, ſecúndùm juſſum regis: & vidit Mathathías, & dóluit, & contremuérunt renes ejus, & accénſus eſt furor ejus ſecúndùm judícium legis, & insíliens trucidávit eum ſuper aram: ſed & virum, quem rex Antíochus míſerat, qui cogébat immoláre, occídit in ipſo témpore, & aram deſtrúxit.

℟. Surréxit Machabæus, & adjuvábant eum omnes fratres ejus, &* Præliabántur prælium Iſraël cum lætítia, & repúlſi

ſunt inimíci ejus, & † Diréсta eſt ſalus in manu ejus. 1. *Mach.* 3. 1. 2. 6. ℣. Operáti ſunt juſtítiam; fortes facti ſunt in bello, caſtra vertérunt exterórum. *Hebr.* 11. 33. 34. * Præliabántur. Glória. † Diréсta eſt.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Joánnis Chryſóſtomi in Pſalmum quadragéſimum tértium.

Lectio iv.

MAchabæi, cùm invaſíſſet Judæam Antíochus, qui dictus eſt Epíphanes, & ómnia devaſtáſſet, & multos qui tunc erant, à pátriis inſtitútis reſilíre coegíſſet, permanſérunt illæſi ab illis tentatiónibus. Et quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam poſſent fácere quod prodéſſet, ſe abſcondébant: nam hoc quoque fecérunt Apóſtoli. Non enim ſemper apparéntes in média irruébant perícula, ſed nonnúnquam & fugiéntes & laténtes ſecedébant.

℟. Illi quidem armis confídunt ſimul & audáciâ; nos autem * In omnipoténte Dómino, qui poteſt & veniéntes advérsùm nos, & univérſum mundum uno nutu delére, confídimus. 2. *Mach.* 8. 18. ℣. Veſtri capílli cápitis omnes numeráti ſunt: nolíte timére. *Matt.* 10. 30. 31. * In.

Lectio v.

POſtquam autem parum reſpirárunt, tanquam generóſi quidam cátuli ex antris exiliéntes, & è látebris emergéntes ſtatuérunt non ſe ámpliùs ſolos ſerváre, ſed étiam alios quoſcúnque poſſent: & civitátem & omnem regiónem obeúntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc ſanos & íntegros: & multos étiam qui laborábant, & corrúpti erant, in ſtatum príſtinum redegérunt, eis perſuadéntes redíre ad legem pátriam. Deum enim dicébant eſſe benígnum & cleméntem, nec unquam adímere ſalútem, quæ proficíſcitur ex pœniténtia. Hæc autem dicéntes, habuérunt deléсtum fórtium virórum.

℟. In áliis natiónibus Dóminus patiénter expéctat, ut eas in plenitúdine peccatórum púniat; * Corrípiens verò in advérſis pópulum ſuum non derelínquit. 2. *Mach.* 6. 14. 16. ℣. Novit Dóminus iníquos in diem judícii reſerváre cruciándos. 2. *Petr.* 2. 9. * Corrípiens.

Lectio vj.

NOn enim pro uxóribus, líberis, & ancíllis, patriæque everſióne & captivitáte; ſed pro lege & pátriâ repúblicâ pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & ſuas ánimas prodígerent, fundébant adverſários, non armis fidéntes, ſed loco omnis armatúræ, pugnæ cauſam ſufficere ducéntes. Ad bellum autem eúntes, non tragœ-

excitábant, non pæána canébant, ſicut nonnúlli fáciunt: non adſcivérunt tibícines, ut fit in áliis caſtris: ſed Dei ſupérnè auxílium invocábant, ut adéſſet, opem ferret, & manum præbéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. Pro peccátis noſtris pátimur, * Et ſi nobis propter correptiónem Deus noſter módicùm irátus eſt, † Iterum reconciliábitur ſervis ſuis. 2. *Mach.* 7. 32. 33. ℣. Perſecutiónem pátimur, ſed non derelínquimur; dejícimur, ſed non perímus. 2. *Cor.* 4. 9. * Et ſi. Glória. † Iterum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 6. 24. *ad* 33.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre: aut enim unum ódio habébit, & & álterum díliget; aut unum ſuſtinébit, & álterum contémnet. Non poteſtis Deo ſervíre, & mammónæ. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Lib. 2. *de Serm. Domini in monte*, §. 47.

NEmo poteſt duóbus dóminis ſervíre.] Ad hanc ipſam intentiónem referéndum eſt quod conſequénter expónit, dicens: [Aut enim unum odio habébit, & álterum díliget: aut álterum patiétur, & álterum contémnet.] Quæ verba diligénter conſideránda ſunt: nam qui ſint duo dómini, deínceps oſténdit, cùm dicit: [Non potéſtis Deo ſervíre, & mammónæ.] Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Cóngruit & Púnicum nomen: nam lucrum Púnicè, mammon dícitur. Sed qui ſervit mammónæ, illi útique ſervit, qui rebus iſtis terrénis mérito ſuæ perverſitátis præpóſitus, magiſtrátus hujus ſéculi à Dómino dícitur.

℟. Ne ſolíciti ſitis ánimæ veſtræ quid manducétis, neque córpori veſtro quid induámini: * Nonne ánima plus eſt quàm eſca; & corpus pluſquam veſtiméntum? *Matt.* 6. 25. ℣. Quadragínta annis in deſérto nihil pátribus défuit; veſtiménta eórum non inveteravérunt. 2. *Eſdr.* 9. 21. * Nonne.

Lectio viij. §. 53.

NOlíte ergo,] inquit, [ſolíciti eſſe, dicéntes: Quid edémus, aut quid bibémus?] Et réliqua. Hìc maniféſtiſſimè oſténdit, non hæc eſſe appeténda, tanquam tália bona noſtra, ut propter ipſa debeámus bene fácere, ſi quid fácimus, ſed tamen eſſe neceſſária. Quid enim intérſit inter bonum quod appeténdum eſt, & neceſſárium quod ſuméndum eſt, hâc ſenténtiâ declarávit, cùm ait: [Quærite

primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus, & hæc ómnia apponéntur vobis.] Regnum ergo & juſtítia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appeténdum, & ibi finis conſtituéndus, propter quod ómnia faciámus quæcúnque fácimus.

℟. Reſpícite volatília cœli; non ſerunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea; & Pater veſter cœléſtis paſcit illa: * Nonne vos magìs pluris eſtis illis? *Matt.* 6. 26.

℣. Dat juméntis eſcam ipſórum, & pullis corvórum invocántibus eum. *Pſ.* 146. 9. * Nonne vos.

Lectio ix. §. 53. 54.

SEd quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre poſsímus, quæ vita ſine his neceſſáriis agi non poteſt; [Apponéntur vobis hæc,] inquit, ſed vos regnum Dei & juſtítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud Primùm, ſignificávit quia hoc poſtérius quæréndum eſt, non témpore, ſed dignitáte: illud tanquam bonum noſtrum, hoc tanquam neceſſáriumnoſtrum; neceſſárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi grátiâ, ídeo debémus evangelizáre, ut manducémus; ſed ídeo manducáre, ut evangelizémus: nam ſi proptérea evangelizámus, ut manducémus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; & erit jam bonum noſtrum in manducándo, neceſſárium autem in evangelizándo.

℟. Nolíte ergo ſolíciti eſſe, dicéntes: Quid manducábimus, aut quo operiémur? * Hæc ómnia gentes inquírunt: † Scit Pater veſter, quia his indigétis. *Matt.* 6. 31. 32.

℣. Peccatóri dedit Deus curam ſupérfluam, ut addat & cóngreget; & hoc vánitas eſt, & caſſa ſolicitúdo. *Eccle.* 2. 26. * Hæc. Glória. † Scit.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. F. Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre: non potéſtis Deo ſervíre, & mammónæ. *Matt.* 6. 24.

Oratio.

CUſtódi, Dómine, quæſumus, Eccléſiam tuam propitiatióne perpétuâ: & quia ſine te lábitur humána mortálitas; tuis ſemper auxíliis, & abſtrahátur à nóxiis, & ad ſalutária dirigátur. Per Dóminum noſtrum.

CANON.

Ex Concílio Rothomagénſi. *An.* 1581. *tit. de Curat. offic. cap.* 22.

PRohibémus in quibúſdam Eccléſiis, quæ ſimul Collegiátæ ſunt & Parœciáles, eádem horâ cantári Miſſas Canonicórum & Parœcianórum; ſed ſub pœna excommunicatiónis ſtari in his judício Epíſcopi; nec córpora mortuórum Domínicis inférri inter Miſſárum ſolémnia; ſed, ſi fíeri poteſt, poſt Véſperas ſervári.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus; & hæc ómnia adjiciéntur vobis. *Matt.* 6. 33.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 1. *c.* 2. 27. *ad* 37.

EXclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: Omnis qui zelum habet legis, ſtátuens teſtaméntum, éxeat poſt me. Et fugit ipſe, & fílii ejus in montes, & reliquérunt quæcúnque habébant in civitáte. Tunc deſcendérunt multi quæréntes judícium & juſtítiam in deſértum: & ſedérunt ibi ipſi, & fílii eórum, & mulíeres eórum, & pécora eórum; quóniam inundavérunt ſuper eos mala: Et renuntiátum eſt viris regis, & exercítui qui erat in Jerúſalem civitáte David, quóniam diſceſſiſſent viri quidam, qui diſſipavérunt mandáta regis, in loca occúlta in deſérto, & abiiſſent poſt illos multi. Et ſtatím perrexérunt ad eos, & conſtituérunt advérsùs eos prælium in die ſabbatórum, & dixérunt ad eos; Reſíſtitis & nunc adhuc? exíte, & fácite ſecúndùm verbum regis Antíochi, & vivétis. Et dixérunt: Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem ſabbatórum. Et concitavérunt advérsùs eos prælium. Et non reſpondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes: Moriámur omnes in ſimplicitáte noſtra; & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quòd injúſtè pérditis nos.

℟. Intravit, 178.

Lectio ij. *v.* 49. *ad* 54.

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, & dixit fíliis ſuis: Nunc confortáta eſt ſupérbia, & caſtigátio, & tempus everſiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ô fílii, æmulatóres eſtóte legis, & date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum, & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus ſuis; & accipiétis glóriam magnam, & nomen ætérnum. Abraham nonne in tentatióne invéntus eſt fidélis, & reputátum eſt ei ad juſtítiam? Joſeph in témpore anguſtiæ ſuæ cuſtodívit mandátum, & factus eſt dóminus Ægypti. Phínees pater noſter, zelándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni.

℟. Cœpit, 178.

Lectio iij. *v.* 64. *ad fin.*

VOs ergo fílii confortámini, & viríliter ágite in lege; quia in ipſa glorióſi éritis. Et ecce Simon frater veſter, ſcio quòd vir consílii eſt: ipſum audíte ſemper, & ipſe erit vobis parer. Et Judas Machabæus fortis víribus à juventúte ſua, ſit vobis princeps milítiæ, & ipſe aget bellum

pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis: & vindicáte vindíctam pópuli veſtri. Retribúite retributiónem géntibus: & inténdite in præcéptum legis. Et benedíxit eos, & appóſitus eſt ad patres ſuos. Et defúnctus eſt anno centéſimo & quadragéſimo ſexto; & ſepúltus eſt à fíliis ſuis in ſepúlcris patrum ſuórum in Modin: & planxérunt eum omnis Iſraël planctu magno.

℟. Surrexit, 178.

CANON.

Ex Concílio Coloniénſi primo.

An. 1536. part. 7. cap. 29.

CAvénda ſummópere poſt exéquias delicáta convívia, crápulæ, ac comeſſatiónes, ne Deus placándus, magìs irritétur.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 1. *c.* 3. 1. *ad* 12.

SUrréxit Judas, qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo; & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérſi qui ſe conjúnxerant patri ejus; & præliabántur prælium Iſraël cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo ſuo, & índuit ſe lorícam ſicut gigas, & ſuccínxit ſe arma béllica ſua in prælīis, & protegébat caſtra gládio ſuo. Símilis factus eſt leóni in opéribus ſuis, & ſicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et perſecútus eſt iníquos perſcrútans eos; & qui conturbábant pópulum ſuum, eos ſuccéndit flammis; & repúlſi ſunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti ſunt; & dirécta eſt ſalus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos; & lætificábat Jacob in opéribus ſuis, & in ſǽculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda; & perdidit ímpios ex eis, & avértit iram ab Iſraël. Et nominátus eſt uſque ad noviſſimum terræ, & congregávit pereúntes. Et congregávit Apollónius gentes, & à Samaría virtútem multam & magnam, ad bellándum contra Iſraël. Et cognóvit Judas; & exiit óbviam illi, & percúſſit, & occídit illum; & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt; & accépit ſpólia eórum, & gládium Apollónii ábſtulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Illi quidem, 179.

Lectio ij. *v.* 42. *ad* 48.

ET vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicáta ſunt mala, & exércitus applicábant ad fines eórum: & cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum & conſummatiónem; & dixérunt unuſquíſque ad próximum ſuum: Erigámus dejectiónem pópuli noſtri, & pugnémus pro pópulo noſtro,

& ſanctis noſtris. Et congregátus eſt convéntus ut eſſent paráti in prælium; & ut orárent, & péterent miſericórdiam & miſeratiónes. Et Jerúſalem non habitabátur, ſed erat ſicut deſértum: non erat qui ingrederétur & egrederétur de natis ejus; & ſanctum conculcabátur: & fílii alienigenárum erant in arce; ibi erat habitátio géntium; & abláta eſt volúptas à Jacob, & defécit ibi tíbia & cíthara. Et congregáti ſunt, & venérunt in Maſpha contra Jerúſalem, quia locus oratiónis erat in Maſpha antè in Iſraël. Et jejunavérunt in illa die, & induérunt ſe cilíciis, & cínerem impoſuérunt cápiti ſuo, & diſcidérunt veſtiménta ſua: & expandérunt libros legis, de quibus ſcrutabántur gentes ſimilitúdinem ſimulacrórum ſuórum.

℟. In áliis natiónibus, 179.

Lectio iij. *v.* 55. *ad fin.*

Et poſt hæc conſtítuit Judas duces pópuli, tribúnos, & centurióne, & pentacontárchos, & decurióne. Et dixit his qui ædificábant domos, & ſponſábant uxóres, & plantábant víneas, & formidolóſis, ut redírent unuſquíſque in domum ſuam ſecúndùm legem. Et movérunt caſtra, & collocavérunt ad auſtrum Emmaüm. Et ait Judas: Accingímini, & eſtóte fílii poténtes, & eſtóte paráti in mànè, ut pugnétis advérsùs natiónes has quæ convenérunt advérsùs nos, diſpérdere nos & ſancta noſtra; quóniam mélius eſt nos mori in bello, quàm vidére mala gentis noſtræ, & ſanctórum. Sicut autem fúerit volúntas in cœlo, ſic fiat.

℟. Pro peccátis noſtris, 180.

CANON.

Ex Concílio Bracarénſi ſecúndo.

An. 563. *cap.* 18.

Plácuit ut córpora defunctórum nullo modo in Baſílica Sanctórum ſepeliántur; ſed, ſi necéſſe eſt, déforis circa murum Baſílicæ, uſque ádeo non abhórret.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib* 1. *c.* 4. *ỿ.* 34. *ad* 40.

Commiſérunt prælium: & cecidérunt de exércitu Lyſiæ quinque míllia virórum. Videns autem Lyſias fugam ſuórum, & Judæórum audáciam, & quòd paráti ſunt aut vívere, aut mori fórtiter; ábiit Antiochíam, & elégit mílites, ut multiplicáti rurſùs venírent in Judæam. Dixit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contríti ſunt inimíci noſtri; aſcendámus nunc mundáre ſancta, & renováre. Et congregátus eſt omnis exércitus, & aſcendérunt in montem Sion. Et vidérunt ſanctificatiónem deſértam, & altáre profanátum, & portas exúſtas,

& in átriis virgúlta nata ſicut in ſaltu, vel in móntibus, & paſtophória diruta. Et ſcidérunt veſtiménta ſua, & planxérunt planctu magno, & impoſuérunt cínerem ſuper caput ſuum; & cecidérunt in fáciem ſuper terram, & exclamavérunt tubis ſignórum, & clamavérunt in cœlum.

℟. Intrávit, 178.

Lectio ij. *v.* 41. *ad* 48.

TUnc ordinávit Judas viros ut pugnárent advérsùs eos qui erant in arce, donec emundárent ſancta. Et elégit ſacerdótes ſine mácula, voluntátem habéntes in lege Dei: & mundavérunt ſancta, & tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocauſtórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et íncidit illis consílium bonum ut deſtrúerent illud, ne fortè illis eſſet in oppróbrium, quia contaminavérunt illud gentes, & demolíti ſunt illud. Et repoſuérunt lápides in monte domûs in loco apto, quoadúſque veníret prophéta, & reſpondéret de eis. Et accepérunt lápides íntegros ſecúndùm legem; & ædificavérunt altáre novum ſecúndùm illud quod fuit priùs: & ædificavérunt ſancta, & quæ intrà domum erant intrínſecùs: & ædem & átria ædificavérunt.

℟. Cœpit ex gravi, 178.

Lectio iij. *v.* 53. *ad* 59.

ET obtulérunt ſacrifícium ſecúndùm legem, ſuper altáre holocauſtórum novum quod fecérunt. Secúndùm tempus & ſecúndùm diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipſa renovátum eſt in cánticis, & cítharis, & cínyris, & in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt, & benedixérunt in cœlum eum qui proſperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, & obtulérunt holocaúſta cum lætítia, & ſacrifícium ſalutáris & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis aúreis, & ſcútulis; & dedicavérunt portas, & paſtophória, & impoſuérunt eis jánuas. Et facta eſt lætítia in pópulo magna valde, & avérſum eſt oppróbrium géntium. Et ſtátuit Judas & fratres ejus, & univérſa ecclésia Iſraël, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo.

℟. Surrexit Machabæus, 178.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *part.* 2. *cap.* 60. *de funeribus & exequiis.*

ANte ſolis ortum, & poſt occáſum, mórtuum & efférri, & ad ſepultúram récipi prohibémus.

FERIA QUINTA.

ſ De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 2. *c.* 9. 1. *ad* 7.

EOdem témpore Antíochus inhonéſtè revertebátur de Pérſide. Intráverat enim in eam, quæ dícitur Perſépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: ſed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam verſi ſunt; & ita cóntigit ut Antíochus poſt fugam túrpiter redíret. Et cùm veníſſet circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum geſta ſunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur ſe injúriam illórum qui ſe fugáverant, poſſe in Judæos retorquére; ideóque juſſit agitári currum ſuum, ſine intermiſſióne agens iter, cœléſti eum judício perurgénte, eò quòd ita ſupérbè locútus eſt ſe ventúrum Jeroſólymam, & congériem ſepúlcri Judæórum eam factúrum. Sed qui univérſa cónſpicit Dóminus Deus Iſraël, percúſſit eum inſanábili & invisíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipſum ſermónem, apprehéndit eum dolor dirus víſcerum, & amára internórum torménta: & quidem ſatis juſtè; quippe qui multis & novis cruciátibus aliórum tórſerat víſcera, licèt ille nullo modo à ſua malítia ceſſáret. Super hoc autem ſupérbiâ replétus, ignem ſpirans ánimo in Judæos, & præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, & gravi córporis colliſióne membra vexári.

℟. Illi quidem, 179.

Lectio ij.

c. 9. *v.* 8. *ad* 13. & *v.* 28.

ISque, qui ſibi videbátur étiam flúctibus máris imperáre, ſupra humánum modum ſupérbiâ replétus, & móntium altitúdines in ſtatéra appéndere; nunc humiliátus ad terram in geſtatório portabátur, maniféſtam Dei virtútem in ſemetípſo conteſtans: ita ut de córpore ímpii, vermes ſcaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus & fœtóre exércitus gravarétur; & qui paulò antè sídera cœli contíngere ſe arbitrabátur, eum nemo póterat propter intoleràntiam fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi ſupérbia dedúctus ad agnitiónem ſuî veníre, divínâ admónitus plagâ, per momenta ſíngula dolóribus ſuis augménta capiéntibus. Et cùm nec ipſe jam fœtórem ſuum ferre póſſet, ita ait: Juſtum eſt ſúbditum eſſe Deo, & mortálem non pária Deo ſentíre. Orábat autem hic ſceléſtus Dóminum, à quo non eſſet miſericórdiam conſecutúrus.... Igitur homicída & blaſphémus péſſimè percúſſus, & ut ipſe álios tractáverat, peregrè in mónti-

bus miſerábili óbitu vitâ functus eſt.

℟. In áliis natiónibus, 179.

Lectio iij. c. 10. 24. ad 32.

AT Timótheus, qui priùs à Judæis fúerat ſuperátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, & congregáto equitátu Aſiáno, advénit quaſi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, & qui cum ipſo erant, appropinquánte illo, deprecabántur Dóminum, caput terrâ aſpergéntes, lumbóſque cilíciis præcíncti, ad altáris crepídinem provolúti, ut ſibi propítius, inimícis autem eórum eſſet inimícus, & adverſáriis adverſarétur, ſicut lex dicit. Et ita poſt oratiónem, ſumptis ánimis, lóngiùs de civitáte procedéntes, & próximi hóſtibus effécti, reſedérunt. Primo autem ſolis ortu utríque commiſérunt; iſti quidem victóriæ & proſperitátis ſponſórem cum virtúte Dóminum habéntes; illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed, cùm véhemens pugna eſſet, apparuérunt adverſáriis de cœlo viri quinque in equis, frænis aúreis decóri, ducátum Judæis præſtántes: ex quibus duo Machabæum médium habéntes, armis ſuis circunſéptum incólumem conſervábant; in adverſários autem tela & fúlmina jaciébant; ex quo & cæcitáte confúſi, & repléti perturbatióne cadébant. Interfécti ſunt autem vigínti míllia quingénti, & équites ſexcénti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præſídium munítum.

℟. Pro peccátis noſtris, 180.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

An. 1565. part. 2. cap. 60. de funeribus & exequiis.

SI cui locus ſepultúræ deínceps dábitur in Eccléſia, humi tantùm detur; & ſepúlcrum in quo condétur, ópere fornicáto cum rélíquo Eccléſiæ paviménto æquátum fit.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. c. 11. 6. ad 12.

UT Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præſídia, cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba ſimul, ut bonum Angelum mítteret ad ſalútem Iſraël. Et ipſe primus Machabæus, ſumptis armis, céteros adhortátus eſt ſimul ſecum perículum ſubíre, & ferre auxílium frátribus ſuis. Cúmque páriter prompto ánimo procéderent, Jeroſólymis appáruit præcédens eos eques in veſte cándida, armis aúreis haſtam vibrans. Tunc omnes ſimul benedixérunt miſericórdem Dóminum, & convaluérunt ánimis; non ſolùm hómines, ſed & béſtias ferocíſſimas, & muros férreos paráti penetráre. Ibant

ígitur prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miſerántem ſuper eos Dóminum. Leónum autem more ímpetu irruéntes in hoſtes, proſtravérunt ex eis úndecim míllia péditum, & équitum mille ſexcéntos; univérſos autem in fugam vertérunt; plures autem ex eis vulneráti, nudi evaſérunt. Sed & ipſe Lyſias túrpiter fúgiens eváſit.

℞. Intrávit, 178.

Lectio ij. *c.* 15. 6. *ad* 11.

NIcánor quidem cum ſumma ſupérbia eréctus, cogitáverat commúne trophæum ſtatúere de Juda. Machabæus autem ſemper confidébat cum omni ſpe, auxílium ſibi à Deo affutúrum; & hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres conſtítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, ſimul oſtendébat géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem. Síngulos autem illórum armavit, non clypei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus, expóſito digno fide ſómnio, per quod univérſos lætificávit.

℞. Cœpit, 178.

Lectio iij. *v.* 12. *ad* 18.

ERat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fúerat ſummus ſacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum viſu, modéſtum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus ſit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Poſt hoc apparuíſſe & álium virum, ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum; reſpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſraël; hic eſt, qui multùm orat pro pópulo, & univérſa ſancta civitáte, Jeremías prophéta Dei. Extendíſſe autem Jeremíam dextram, & dedíſſe Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adverſários pópuli mei Iſraël. Exhortáti ítaque Judæ ſermónibus bonis valde, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret, eò quòd cívitas ſancta & templum periclitaréntur. Erat enim pro uxóribus, & fíliis, itémque pro frátribus, & cognátis, minor ſolicitúdo; máximus verò & primus pro ſanctitáte timor erat templi.

℞. Surréxit Machabæus, 178.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *part.* 1. *tit* 1.

COemetéria ut muro, vel áliàs tutè úndique ſepiántur; & eórum ingréſſus béſtiis occludátur, curet Epíſcopus diligénter. In eórum médio crux fírmiter eréꝺa ſit.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. *Lib.* 2. *c.* 15. 25. *ad* 35.

NIcánor & qui cum ipſo erant, cum tubis & cánticis admovébant. Judas verò, & qui cum eo erant, invocáto Deo per oratiónes, congréſſi ſunt: manu quidem pugnántes, ſed Dóminum córdibus orántes; proſtravérunt non minùs trigínta quinque míllia, præſéntiâ Dei magnífícè delectáti. Cúmque ceſſâſſent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruíſſe cum armis ſuis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abſcíſſam, Jeroſólymam perférri. Quò cùm perveníſſet, convocátis contribúlibus & ſacerdótibus ad altáre, accérſiit & eos qui in arce erant. Et oſténſo cápite Nicánoris, & manu nefáriâ, quam exténdens contra domum ſánctam omnipoténtis Dei, magnífícè gloriátus eſt; linguam étiam ímpii Nicánoris præcíſam juſſit particulátim ávibus dari; manum autem deméntis contra templum ſuſpéndi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicéntes: Benedíctus, qui locum ſuum incontaminátum ſervávit. Suſpéndit autem Nicánoris caput in ſumma arce, ut évidens eſſet, & maniféſtum ſignum auxílii Dei.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica præcedentis.*

Lectio ij.

Lib. 1. *c.* 9. *v.* 7. *ad* 10. *v.* 17. *ad* 19. & *v.* 28. *ad* 31.

VIdit Judas quòd deflúxit exércitus ſuus, & bellum perurgébat eum, & confráctus eſt corde, quia non habébat tempus congregándi eos; & diſſolútus eſt. Et dixit his qui resídui erant: Surgámus, & eámus ad adverſários noſtros, ſi potérimus pugnáre adversùs eos. Et avertébant eum, dicéntes: Non potérimus, ſed liberémus ánimas noſtras modò, & revertámur ad fratres noſtros, & tunc pugnábimus advérsùs eos: nos autem pauci ſumus. Et ait Judas: Abſit iſtam rem fácere ut fugiámus ab eis: & ſi appropiávit tempus noſtrum, moriamur in virtúte propter fratres noſtros, & non inferámus cri-

men glóriæ noſtræ . . . Et ingravátum eſt prælium, & cecidérunt vulnerati multi ex his, & ex illis. Et Judas cécidit, & céteri fugérunt. Et Jónathas & Simon tulérunt Judam frátrem ſuum, & ſepeliérunt eum in ſepúlcro patrum ſuórum in civitáte Modin. . . Et congregáti ſunt omnes amíci Judæ, & dixérunt Jónathæ: Ex quo frater tuus Judas defúnctus eſt, vir símilis ei non eſt qui èxeat contra inimícos noſtros, Bácchidem, & eos qui inimíci ſunt gentis noſtræ: nunc ítaque te hódie elégimus eſſe pro eo nobis in príncipem, & ducem ad bellándum bellum noſtrum. Et ſuſcépit Jónathas témpore illo principátum, & ſurréxit loco Judæ fratris ſui.

Lectio iij. *c.* 13. 1. *ad* 9.

AUdívit Simon quod congregávit Tryphon exércitum copióſum, ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus eſt & in timóre, aſcéndit Jerúſalem, & congregávit pópulum, & adhórtans dixit: Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fécimus pro légibus, & pro ſanctis prælia; & angúſtias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Iſraël, & relíctus ſum ego ſolus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis; non enim mélior ſum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam, & ſancta; natos quoque noſtros, & uxóres; quia congregátæ ſunt univérſæ gentes contérere nos inimicítiæ grátiâ. Et accénſus eſt ſpíritus pópuli ſimul ut audívit ſermónes iſtos: & reſpondérunt voce magnâ, dicéntes: Tu es dux noſter loco Judæ, & Jónathæ fratris tui; pugna prælium noſtrum, & ómnia quæcúnque díxeris nobis, faciémus.

C A N O N.

Ex Synodo Trecénſi.

An. 1459. *loc.* 2. *fol.* 93.

CEſſent in Eccléſiis & in eárum cœmetériis negotiatiónes mercatórum & judiciórum ſeculárium. Nulla ibídem per láïcos cauſa, máximè criminális, agitétur; ſed eórum loca à cognitiónibus laïcórum ſint pénitùs aliéna.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. ℣.* Sapiéntia inſipiéntibus locúta eſt: Relínquite infántiam, & vívite, & ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov.* 9. 4. 6.

Oratio, Eccléſiam tuam, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XV. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt Parábolæ Salomónis.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad.* 9.

PArábolæ Salomónis, filii David, regis Iſraël. Ad ſciéndam ſapiéntiam & diſciplínam: ad intelligénda verba prudéntiæ, & ſuſci-

piéndam eruditiónem doctrínæ, juſtítiam & judícium, & æquitátem: ut detur párvulis aſtútia, adoleſcénti ſciéntia & intelléctus. Aúdiens ſápiens, ſapiéntior erit; & intélligens, gubernácula poſſidébit. Animadvértet parábolam, & interpretatiónem; verba ſapiéntum, & ænígmata eórum. Timor Dómini, princípium ſapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam ſtulti deſpíciunt. Audi, fili mi, diſciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ; ut addátur grátia cápiti tuo, & torques collo tuo.

℟. Da mihi, Dómine, ſédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, ut mecum ſit, & mecum labóret, ut ſciam quid accéptum ſit apud te; * Illa dedúcet me in opéribus meis ſóbriè. *Sap.* 9. 4. 10. 11. ℣. Quæ deſúrsùm eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, modéſta, non júdicans, ſine ſimulatióne. *Jac.* 3. 17. * Illa.

Lectio ij. *v.* 10. *ad* 16.

FIli mi, ſi te lactáverint peccatóres, ne acquiéſcas eis. Si díxerint: Veni nobíſcum, inſidiémur ſánguini, abſcondámus tendículas contra inſóntem fruſtrà, deglutiámus eum ſicut inférnus vivéntem, & íntegrum quaſi deſcendéntem in lacum. Omnem pretióſam ſubſtántiam reperiémus, implébimus domos noſtras ſpóliis. Sortem mitte nobíſcum, marſúpium unum ſit ómnium noſtrûm. Fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum à ſémitis eórum; pedes enim illórum ad malum currunt, & feſtínant ut effúndant ſánguinem.

℟. Vidi ſub ſole in loco judícii impietátem, & in loco juſtítiæ iniquitátem, & dixi in corde meo: * Juſtum & ímpium judicábit Deus, & tempus omnis rei tunc erit. *Eccle.* 3. 16. 17. ℣. Uniuſcujúſque opus maniféſtum erit; dies enim Dómini declarábit. 1. *Cor.* 3. 13. * Juſtum.

Lectio iij. *v.* 20. *ad* 28.

SApiéntia foris prædicat, in platéis dat vocem ſuam, in cápite turbárum clámitat, in fóribus portárum urbis profert verba ſua, dicens: Uſquequo párvuli dilígitis infántiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt nóxia cúpient, & imprudéntes odíbunt ſciéntiam? Convertímini ad correptiónem meam: En próferam vobis ſpíritum meum, & oſténdam vobis verba mea; Quia vocávi, & renuíſtis; exténdi manum meam, & non fuit qui aſpíceret; deſpexíſtis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexíſtis. Ego quoque in intéritu veſtro ridébo, & ſubſannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit. Cùm irrúerit repentína calámitas, & intéritus quaſi tempéſtas ingrúerit; quando

vénerit ſuper vos tribulátio & angúſtia, tunc invocábunt me, & non exaúdiam; manè conſúrgent, & non invénient me.

℟. Si eſúrierit inimícus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi; * Noli vinci à malo, ſed † Vince in bono malum. *Rom.* 12. 20. 21. ℣. In ruína inimíci tui ne exúltet cor tuum, ne fortè vídeat Dóminus, & diſplíceat ei. *Prov.* 24. 17. 18. * Noli. Glória. † Vince.

In II. Nocturno.

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi, de Civitáte Dei.

Lectio iv. *Lib.* 17 *c.* 20 §. 1.

PRophetáſſe Sálomon repe-ritur in ſuis libris, qui tres recépti ſunt in autoritátem canónicam, Provérbia, Eccleſiáſtes, & Cánticum Canticórum. Alii verò duo, quorum unus Sapiéntia, alter Eccleſiáſticus dícitur, propter elóquii nonnúllam ſimilitúdinem, ut Salomónis dicántur obtínuit conſuetúdo: non autem eſſe ipſius, non dúbitant doctióres; eos tamen in autoritátem, máximè occidentális, antíquitus recépit Eccléſia. Quorum in uno qui appellátur Sapiéntia Salomónis, páſſio Chriſti apertíſſimè prophetátur. Impii quippe interfectóres ejus commemoránur, dicéntes: [Circunveniámus juſtum, quóniam inſuávis eſt nobis, & contrárius eſt opéribus noſtris, & impróperat nobis peccáta legis, & infámat in nos peccáta diſciplínæ noſtræ.] In Eccleſiáſtico autem fides géntium futúra prædícitur iſto modo: [Miſerére noſtri, dominátor Deus ómnium, & immítte timórem tuum ſuper omnes gentes.]

℟. Ne deſpícias hóminem averténtem ſe à peccáto, neque impróperes ei; * Meménto quóniam omnes in correptióne ſumus. *Eccli.* 8. 6. ℣. Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, hujúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitátis, conſíderans teípſum, ne & tu tentéris. *Gal.* 6. 1. * Meménto.

Lectio v. §. 2.

IN tribus verò illis quos Salomónis eſſe conſtat, & Judæi canónicos habent, ut oſtendátur ad Chriſtum & Eccléſiam pertinére quod in eis ejúſmodi reperítur, operóſa diſputátio neceſſária eſt, quæ nos ultrà quàm opórtet, ſi nunc adhibétur, exténdit. Tamen quod in Provérbiis légitur, viros ímpios dícere, [Abſcondámus in terra virum juſtum injúſtè, abſorbeámus verò eum tanquam inférnus vivéntem, & auferámus ejus memóriam de terra, poſſeſſiónem ejus pretióſam apprehendámus;] non ita obſcúrum eſt, ut de Chriſto & poſſeſſióne ejus Eccléſia ſine laborióſa expoſitióne non poſſit intelligi.

intélligi. Tale quippe áliquid étiam Dóminus ipſe Jeſus per Evangélicam parábolam oſténdit dixíſſe malos colónos: [Hic eſt heres, veníte, occidámus eum, & noſtra erit heréditas.]

℟. Diſciplínam Dómini ne abjícias; * Quem enim díligit Dóminus, córripit; & quaſi pater in fílio cómplacet ſibi. *Prov.* 3. 11. 12. ℣. Tanquam fíliis offert ſe Deus; quis enim fílius quem non córripit pater? *Hebr.* 12. 7. * Quem enim.

Lectio vj.

IN álio libro qui vocátur Eccleſiáſtes, ubi ait: [Non eſt bonum hómini, niſi quod manducábit & bibet;] quid credibílius dícere intellígitur, quàm quod ad participatiónem menſæ hujus pértinet, quam ſacérdos ipſe Mediátor Teſtaménti novi éxhibet ſecúndùm órdinem Melchíſedech de córpore & ſánguine ſuo? id enim ſacrifícium ſuccéſſit ómnibus illis ſacrifíciis véteris Teſtaménti, quæ immolabántur in umbra futúri.... Jam verò Cánticum Canticórum ſpirituális quædam ſanctárum eſt volúptas méntium, in conjúgio illíus regis & regínæ civitátis, quod eſt Chriſtus & Eccléſia. Sed hæc volúptas allegóricis tegmínibus involúta eſt, ut deſiderétur ardéntiùs.

℟. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas; * Deum time, & † Mandáta ejus obſérva; hoc eſt omnis homo. *Eccle.* 12. 8. 13. ℣. Qui ſervat verbum Dei, verè in hoc cáritas Dei perfécta eſt. 1. *Joan.* 2. 5. * Deum. Glória. † Mandáta.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 7. 11. *ad* 16.

IN illo témpore; Ibat Jeſus in civitátem quæ vocátur Naïm; & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copióſa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 98. *de Verbis Evang.* §. 4. *aliàs Serm.* 44. *de Verbis Domini.*

ARchiſynagógi puéllam éxcitans Jeſus, réddidit vivam paréntibus. Excitávit & hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti ſumus, ut hinc iſta quæ ipſe largíri dignátur, cum veſtra caritáte loquerémur. Modò audíſtis quòmodo excitátus eſt. Appropinquábat Dóminus civitáti: & ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Miſericórdiâ commótus, quòd flebat mater vídua & deſtitúta único fílio, fecit quod audíſtis, dicens: [Adoléſcens, tibi dico, ſurge.] Surréxit ille mórtuus, cœpit loqui; & réddidit illum matri ſuæ. Excitávit & Lázarum de ſepúlcro.

℟. Defúnctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ, & hæc vídua erat; quam cùm vidíſſet * Dóminus, miſericórdiâ motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. *Luc.* 7. 12. 13. ℣. Non deſpíciet Dóminus víduam, ſi effúndat loquélam gémitûs, *Eccli.* 35. 17. * Dóminus.

Lectio viij. §. 5.

ISta tria génera mortuórum, ſunt tria génera peccatórum, quos hodiéque ſúſcitat Chriſtus. Illa enim mórtua fília Archiſynagógi intus erat in domo, nondum erat de ſecrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intus ſuſcitáta eſt, viva paréntibus rédditа. Iſte autem jam quidem non in domo, ſed tamen nondum in ſepúlcro, pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui ſuſcitávit mórtuam nondum elátam, ſuſcitávit mortuum jam elátum, nondum ſepúltum. Tértium reſtábat, ut & ſepúltum ſuſcitáret; & hoc fecit in Lázaro.

℟. Accéſſit Jeſus, & tétigit lóculum; hi autem qui portábant, ſtetérunt; & * Ait: Adoléſcens, tibi dico, ſurge; & reſédit qui erat mórtuus. *Luc.* 7. 14. 15. ℣. Dedúcit ad ínferos, & redúcit; humíliat, & ſúblevat. 1. *Reg.* 2. 6. 7. * Ait.

Lectio ix. §. 7.

HÆc ergo, cariſſimi, ſic audiámus, ut qui vivunt, vivant; qui mórtui ſunt, reviviſcant. Sive adhuc peccátum in corde concéptum eſt, & non procéſſit in factum; pœníteat, corrigátur cogitátio, ſurgat mórtuus intrà domum conſciéntiæ. Sive jam quod cogitávit admíſit; nec ſic deſperétur. Non ſurréxit mórtuus intus, ſurgat elátus: pœníteat facti, de próximo reviviſcat; non eat in profúndum ſepultúræ; non accípiat déſuper conſuetúdinis molem. Sed fortè jam illi loquor, qui jam duro ſui moris lápide prémitur, qui jam urgétur conſuetúdinis póndere, qui jam quatriduánus putet. Nec ipſe deſpéret: profúndus mórtuus eſt, ſed altus eſt Chriſtus. Novit clamándo terréna ónera rúmpere, novit intrínſecùs per ſeipſum vivificáre, ſolvéndum diſcípulis trádere. Agant étiam tales pœniténtiam; neque enim Lázaro reſſuſcitáto poſt quatríduum ullus putor in vivénte remánſerat. Ergo qui vivunt, vivant; quicúnque autem mórtui ſunt, in quacúnque harum trium morte ſe invénerint, agant ut celériter reſúrgant.

℟. Sicut Pater ſúſcitat mórtuos, & vivíficat; * Sic & † Fílius quos vult, vivíficat. *Joan.* 5. 21. ℣. Non eſt fortis ſicut Deus noſter; Dóminus mortíficat & vivíficat. 1. *Reg.* 2. 6. * Sic & fílius. Glória. † Fílius.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Qui erat mórtuus, cœpit loqui. Et dedit illum Jeſus matri ſuæ. *Luc.* 7. 15.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, miſerátio continuáta mundet & múniat: & quia ſine te non poteſt ſalva consíſtere, tuo ſemper múnere gubernétur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Narbonénſi.

An. 1551. *can.* 36.

PRæcípimus Párochis ómnibus, eorúmque vicem geréntibus, è ſuggéſto ſive prono parochiános monére, excommunicatiónis pœnam illis minitántes, ut unuſquíſque ad Miſſam Parochiálem véniat, diébus præſértim Domínicis; & doméſticos omnes ſecum ducat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Accépit omnes timor; & magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus ſurréxit in nobis, & quia Deus viſitávit plebem ſuam. *Luc.* 7. 16.

FERIA SECUNDA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *c.* 3. 1. *ad* 7.

FIli mi, ne oblivíſcáris legis meæ, & præcépta mea cor tuum cuſtódiat; longitúdinem enim diérum, & annos vitæ, & pacem appónent tibi. Miſericórdia & véritas te non déſerant; circúnda eas gútturi tuo, & deſcríbe in tábulis cordis tui, & invénies grátiam & diſciplínam bonam coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, & ipſe díriget greſſus tuos. Ne ſis ſápiens apud temetípſum: Time Deum, & recéde à malo.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 9. *ad* 15.

HOnóra Dóminum de tua ſubſtántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; & implebúntur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Diſciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias; nec defícias cùm ab eo corríperis; quem enim díligit Dóminus, córripit; & quaſi pater in fílio cómplacet ſibi. Beátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ; mélior eſt acquisítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus. Pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *c.* 5. 1. *ad* 13.

FIli mi, atténde ad ſapiéntiam meam, & prudéntiæ meæ inclína aurem tuam; ut cuſtódias cogitatiónes, & diſciplínam lábia tua conſérvent. Ne atténdas falláciæ mulíeris; favus enim diſtillans lábia

meretrícis, & nitídius óleo guttur ejus: novíſſima autem illíus amára quaſi abſynthium, & acúta quaſi gládius biceps. Pedes ejus deſcéndunt in mortem, & ad ínferos greſſus illíus pénetrant. Per ſémitam vitæ non ámbulant; vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigábiles. Nunc ergo, fili mi, audi me; & ne recédas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropínques fóribus domûs ejus. Ne des aliénis honórem tuum, & annos tuos crudéli; ne fortè impleántur extránei víribus tuis, & labóres tui ſint in domo aliéna; & gemas in novíſſimis, quando conſúmpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtátus ſum diſciplínam, & increpatiónibus non acquiévit cor meum; nec audívi vocem docéntium me, & magíſtris non inclinávi aurem meam?

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Collectióne variórum Cánonum Eccléſiæ Africánæ contra Donatíſtas.

cap. 50.

PLácuit ut altária, quæ paſſim per agros, & per vias tanquam memóriæ Mártyrum conſtituúntur, in quibus nullum corpus aut relíquiæ Mártyrum cónditæ probántur; ab Epíſcopis qui locis eíſdem præſunt, ſi fieri poteſt, evertántur.

FERIA TERTIA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *c.* 6. 6. *ad* 11.

VAde ad formícam, ô piger, & consídera vias ejus, & diſce ſapiéntiam, quæ cùm non hábeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem, parat in æſtáte cibum ſibi, & cóngregat in meſſe quod cómedat. Uſquequo piger dórmies? quando conſúrges è ſomno tuo? Paúlulùm dórmies; paúlulùm dormitábis, paúlulùm cónſeres manus ut dórmias; & véniet tibi quaſi viátor, egéſtas; & paupéries, quaſi vir armátus. Si verò ímpiger fúeris, véniet ut fons meſſis tua, & egéſtas longè fúgiet à te.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 12. *ad* 19.

HOmo apóſtata, vir inútilis; gráditur ore pervérſo, ánnuit óculis, terit pede, dígito lóquitur, pravo corde machinátur malum, & omni témpore júrgia ſéminat. Huic extémplo véniet perdítio ſua, & ſúbitò conterétur, nec habébit ultrà medicínam. Sex ſunt quæ odit Dóminus, & ſéptimum deteſtátur ánima ejus: Oculos ſublímes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium ſánguinem, cor máchinans cogitatiónes péſſimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendácia teſtem

fallácem ↄ. & eum qui ſéminat inter fratres diſcórdias.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. *c.* 8. 12. *ad* 17.

EGo ſapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérſum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & ſupérbiam, & viam pravam, & os bilíngue deteſtor. Meum eſt consílium, & æquitas; mea eſt prudéntia, mea eſt fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres juſta decérnunt; per me príncipes ímperant, & poténtes decérnunt juſtítiam. Ego diligéntes me dílígo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *cap.* 19.

PRæcípimus ut oratória, vaſa, corporália, & veſtiménta Eccléſiæ, munda & nítida conſerventur. Nimis enim vidétur abſúrdum, in ſacris ſordes neglígere, quæ dedecérent etiam in profánis.

FERIA QUARTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *c.* 10. 1. *ad* 5.

FIlius ſápiens lætíficat patrem; fílius verò ſtultus mœſtítia eſt matris ſuæ. Nihil próderunt theſaúri impietátis: juſtítia verò liberábit à morte. Non afflíget Dóminus fame ánimam juſti, & insídias impiórum ſubvértet. Egeſtátem operáta eſt manus remíſſa; manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſéquitur aves volántes. Qui cóngregat in meſſe, fílius ſápiens eſt; qui autem ſtertit æſtáte, fílius confuſiónis.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 12.

BEnedíctio Dómini ſuper caput juſti; os autem impiórum óperit iníquitas. Memória juſti cum laúdibus; & nomen impiórum putréſcet. Sápiens corde præcépta ſúſcipit; ſtultus cæditur lábiis. Qui ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter; qui autem deprávat vias ſuas, maniféſtus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolórem: & ſtultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os juſti; & os impiórum óperit iniquitátem. Odium ſúſcitat rixas: & univérſa delícta óperit cáritas.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 13. *ad* 21.

IN lábiis ſapiéntis invenítur ſapiéntia: & virga in dorſo ejus qui índiget corde. Sapiéntes abſcóndunt ſciéntiam: os autem ſtulti confuſióni próximum eſt. Subſtántia divitis, urbs fortitúdinis ejus: pavor paúperum, egéſtas eórum. Opus juſti ad vitam: fructus autem ímpii ad peccátum. Via vitæ, cuſtodiénti

diſciplínam : qui autem increpatiónes relínquit, errat. Abſcóndunt ódium lábia mendácia : qui profert contuméliam, insípiens eſt. In multilóquio non déerit peccátum ; qui autem moderátur lábia ſua, prudentíſſimus eſt. Argéntum eléctum, lingua juſti : cor autem impiórum pro níhilo. Lábia juſti erúdiunt plúrimos ; qui autem indócti ſunt, in cordis egeſtáte moriéntur.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *part.* 2. *cap.* 5.

ORatoriórum ædificatiónem aut uſum, ne fácilè, ſed magna de cauſa permíttant Epíſcopi.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *c.* 11. 1. *ad* 8.

STatéra dolóſa, abominátio eſt apud Dóminum ; & pondus æquum, volúntas ejus. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia : ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia. Simplícitas juſtórum díriget eos : & ſupplantátio perverſórum vaſtábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis : juſtítia autem liberábit à morte. Juſtítia símplicis díriget viam ejus ; & in impietáte ſua córruet ímpius. Juſtítia rectórum liberábit eos : & in inſídiis ſuis capiéntur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultrà ſpes : & expectátio ſolicitórum períbit. Juſtus de angúſtia liberátus eſt ; & tradétur ímpius pro eo.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *c.* 14. 12. *ad* 17.

EST via, quæ vidétur hómini juſta ; noviſſima autem ejus dedúcunt ad mortem. Riſus dolóre miſcébitur, & extréma gaúdii luctus óccupat. Viis ſuis replébitur ſtultus, & ſuper eum erit vir bonus. Innócens credit omni verbo : aſtútus consíderat greſſus ſuos. Fílio dolóſo nihil erit boni : ſervo autem ſapiénti próſperi erunt actus, & dirigétur via ejus. Sápiens timet, & declínat à malo : ſtultus tránſilit, & confídit. Impátiens operábitur ſtultítiam : & vir verſútus odióſus eſt.

℟. Diſcíplinam, 193.

Lectio iij.

c. 14. 31. *ad fin.* & *c.* 15. 1. *ad* 4.

QUi calumniátur egéntem, éxprobrat factóri ejus ; honórat autem eum, qui miserétur paúperis. In malítia ſua expellétur ímpius ; ſperat autem juſtus in morte ſua. In corde prudéntis requiéſcit ſapiéntia ; & indóctos quoſque erúdiet. Juſtítia élevat gentem : míſeros autem facit pópulos peccátum. Accéptus eſt regi miníſter intélligens : iracúndiam ejus inútilis ſuſtinébit. Reſpónſio mollis frangit iram ; ſermo durus ſúſcitat

furórem. Lingua ſapiéntium ornat ſciéntiam; os fatuórum ebúllit ſtultítiam. In omni loco óculi Dómini contemplántur bonos & malos. Lingua placábilis, lignum vitæ; quæ autem immoderáta eſt, cónteret ſpíritum.

℟. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1573. *part.* 2. *tit.* 4.

DUas píxides unaquæque Parochiális Eccléſia ſaltem hábeat; álteram formâ majóri, ad uſum ſacræ Communiónis pópulo in Eccléſia miniſtrándæ; álteram minóri, quâ ſanctíſſimum Sacraméntum ad infirmos deferátur.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *c.* 16. 2. *ad* 8.

SPirítuum ponderátor eſt Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, & dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérſa propter ſemetípſum operátus eſt Dóminus, ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini eſt omnis árrogans; étiam ſi manus ad manum fúerit, non eſt ínnocens. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam: accépta eſt autem apud Deum magìs quàm immoláre hóſtias. Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas: & in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius eſt parum cum juſtítia, quàm multi fructus cum iniquitáte.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij.

c. 16. 28. *ad fin.* & *c.* 17. 1. *ad* 3.

HOmo pervérſus ſúſcitat lites; & verbóſus ſéparat príncipes. Vir iníquus lactat amícum ſuum; & ducit eum per viam non bonam. Qui attónitis óculis cógitat prava, mordens lábia ſua pérficit malum. Coróna dignitátis ſenéctus, quæ in viis juſtítiæ reperiétur. Mélior eſt pátiens viro forti; & qui dominátur ánimo ſuo, expugnatóre úrbium. Sortes mittúntur in ſinum, ſed à Dómino temperántur. Mélior eſt buccélla ſicca cum gaúdio, quàm domus plena víctimis cum júrgio. Servus ſápiens dominábitur fíliis ſtultis, & inter fratres hereditátem dívidet. Sicut igne probátur argéntum, & aurum camíno; ita corda probat Dóminus.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *c.* 18. 1. *ad* 8.

OCcaſiónes quærit qui vult recédere ab amíco: omni témpore erit exprobrábilis. Non récipit ſtultus verba prudéntiæ; niſi ea díxeris quæ verſántur in corde ejus. Impius, cùm in profúndum vénerit peccatórum, contémnit; ſed ſéquitur eum ignomínia & oppróbrium. Aqua profún-

da verbâ ex ore viri: & torrens redúndans fons ſapiéntiæ. Accípere perſónam ímpii non eſt bonum, ut declínes à veritáte judícii. Lábia ſtulti miſcent ſe rixis; & os ejus júrgia próvocat. Os ſtulti contrítio ejus; & lábia ipsíus, ruína ánimæ ejus. Verba bilínguis, quaſi ſimplícia; & ipſa pervéniunt uſque ad interióra ventris.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi. quarto.

An. 1573. part. 2. tit. 4.

QUinque ſaltem partículæ conſecrátæ ſervéntur aſſíduè in píxide, ubi ſanctíſſimum Sacraméntum conſervátur; quæ octávo quoque die renovéntur.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. c. 22. 6. ad 15.

PRovérbium eſt: Adoléſcens juxta viam ſuam, étiam cùm ſenúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat: & qui áccipit mútuum, ſervus eſt fenerántis. Qui ſéminat iniquitátem, metet mala; & virgâ iræ ſuæ conſummábitur. Qui pronus eſt ad miſericórdiam, benedicétur; de pánibus enim ſuis dedit paúperi. Victóriam & honórem acquíret qui dat múnera; ánimam autem auſert accipiéntium. Ejice deriſórem, & exíbit cum eo júrgium, ceſſabúntque cauſæ & contumeliæ. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum regem. Oculi Dómini cuſtódiunt ſciéntiam; & ſupplantántur verba iníqui. Dicit piger: Leo eſt foris, in médio plateárum occidéndus ſum. Fóvea profúnda os aliénæ: cui irátus eſt Dóminus, íncidet in eam. Sultítia colligáta eſt in corde púeri; & virga diſciplínæ fugábit eam.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. ſumentur ex II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij.

c. 26. 27. ad fin. & c. 27. 1. ad 7.

QUi fodit fóveam, íncidet in eam: & qui volvit lápidem, revertétur ad eum. Lingua fallax non amat veritátem: & os lúbricum operátur ruínas. Ne gloriéris in cráſtinum, ignórans quid ſupervéntura páriat dies. Laudet te aliénus, & non os tuum; extráneus, & non lábia tua. Grave eſt ſaxum, & oneróſa aréna; ſed ira ſtulti utróque grávior. Ira non habet miſericórdiam, nec erúmpens furor; & ímpetum concitáti ferre quis póterit? Mélior eſt maniféſta corréptio, quàm amor abſcónditus. Melióra ſunt vúlnera diligéntis, quàm fraudulénta óſcula odiéntis. Anima ſaturáta calcábit favum; & ánima eſúriens, étiam amárum pro dulci ſumet.

Lectio iij. *c.* 29. 17. *ad fin.*

ERudi filium tuum, & refrigerábit te, & dabit delícias ánimæ tuæ. Cùm prophetía defécerit, diſſipábitur pópulus: qui verò cuſtódit legem, beátus eſt. Servus verbis non poteſt erudíri; quia quod dicis intélligit, & reſpondére contémnit. Vidíſti hóminem velócem ad loquéndum? ſtultítia magìs ſperánda eſt, quàm illíus corréptio. Qui delicátè à pueritia nutrit ſervum ſuum, póſtea ſéntiet eum contumácem. Vir iracúndus próvocat rixas: & qui ad indignándum fácilis eſt, erit ad peccándum proclívior. Supérbum ſéquitur humílitas; & húmilem ſpíritu ſuſcípiet glória. Qui cum fure partícipat, odit ánimam ſuam; adjurántem audit, & non índicat. Qui timet hóminem, citò córruet: qui ſperat in Dómino, ſublevábitur. Multi requírunt fáciem príncipis; & judícium à Dómino egréditur ſingulórum. Abominántur juſti virum ímpium; & abominántur ímpii eos qui in recta ſunt via. Verbum cuſtódiens filius, extra perditiónem erit.

CANON.

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *in decretis morum*, *cap.* 21.

INhibémus Capéllas de novo érigi, cónſtrui, étiam omníno dírutas reædificári, ſine Diœceſanórum licéntia & permiſſióne.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Cùm eſſet ſapientíſſimus Eccleſiáſtes, dócuit pópulum, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. *Eccle.* 12. 9. 10.

Oratio, Tua nos, quæſumus, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XVI. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incípit liber Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 7.

VErba Eccleſiáſtæ, filii David, regis Jeruſálem. Vánitas vanitátum, dixit Eccleſiáſtes: vánitas vanitátum, & ómnia vánitas. Quid habet ampliùs homo de univérſo labóre ſuo, quo labórat ſub ſole? Generátio prǽterit, & generátio ádvenit: terra autem in ætérnum ſtat. Oritur ſol, & óccidit, & ad locum ſuum revértitur; ibique renáſcens, gyrat per merídiem, & fléctitur ad aquilónem. Luſtrans univérſa in circúitu pergit ſpíritus, & in círculos ſuos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, & mare non redúndat: ad locum unde éxeunt flúmina revertúntur, ut íterum fluant.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 11.

CUnctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicáre ſermóne. Non ſaturátur

óculus viſu; nec auris audítu implétur. Quid eſt quod fuit? ipſum quod futúrum eſt: quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciéndum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dícere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præcéſſit in ſéculis quæ fuérunt ante nos. Non eſt priórum memória; ſed nec eórum quidem quæ poſtea futúra ſunt, erit recordátio apud eos qui futúri ſunt in noviſſimo.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v. 12. ad fin.*

EGo Eccleſiáſtes fui rex Iſraël in Jerúſalem: & propóſui in ánimo meo quærere & inveſtigáre ſapiénter de ómnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupatiónem péſſimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univérſa vánitas, & afflíctio ſpíritûs. Pervérſi diffícilè corrigúntur, & ſtultórum infinítus eſt númerus. Locútus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effé̄ctus ſum, & præcéſſi omnes ſapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jerúſalem; & mens mea contempláta eſt multa ſapiénter, & dídici. Dedíque cor meum ut ſcirem prudéntiam atque doctrínam, erroréſque & ſtultítiam; & agnóvi quòd in his quoque eſſet labor, & afflíctio ſpíritûs; eò quòd in multa ſapiéntia, multa ſit indignátio: & qui addit ſciéntiam, addit & labórem.

℟. Si eſuríerit, 192.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Serm. contra Concubinarios, circa finem.

Lectio iv.

SAlomon, cùm ſeculárium rerum concupiſcéntiâ tenerétur, magnas eas & admirándas putábat, multúmque in eis labóris & ſolicitúdinis inſumébat, magníficas ædificándo domos, copióſum coacervándo aurum, congregándo cantórum choros, vária génera miniſtrórum menſæ & popinæ, quæréndo ánimæ ſuæ voluptátem ab hortórum & córporum formoſórum grátia, & omnem, ut ita dicam, oblectatiónis & refrigérii viam ſectándo.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio v.

AT ubi inde ad ſe revérſus, & quaſi ex umbróſa quadam abyſſo ad lumen veræ ſapiéntiæ reſpícere váluit; tunc ſublímem illam, & cœlis dignam emíſit vocem: [Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas.] Hanc & vos, & hâc ſublimiórem, ſi voluéritis, efferétis ſenténtiam de intempeſtíva hac voluptáte, ſi aliquantíſper à mala conſuetúdine vos ſequeſtravéritis.

℟. Diſcíplinam, 193.

Lectio vj.

QUamvis autem à Salomóne ſéculis ſuperióribus non tam multa ſapiéntiæ exigebátur diligéntia; neque enim delícias lex vetus prohibébat, neque áliis frui ſupervácuis dicébat vanum: áttamen, & ſic ſe habéntibus rebus, in ipſis contuéri pótuit, quàm viles, & vanitáti obnóxiæ res ſint. Nos verò ad majórem vocáti vitam, & ad excelléntius faſtígium aſcéndimus, & in majóribus exercémur palæſtris; & quid áliud, quàm quòd ſicut supérnæ virtútes intellectuáles & incorpóreæ illæ, vitam inſtitúere jubémur?

℟. Vánitas, 193.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 14. 1. *ad* 11.

IN illo témpore; Cùm intráret Jeſus in domum cujúſdam príncipis Phariſæórum ſábbato manducáre panem; & ipſi obſervábant eum: & ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ presbyteri.

In Lucam libro 4.

PRóprium eſt hydrópici, quantò magis abúndat humóre inordináto, tantò ámpliùs ſitíre. Et ídeo rectè comparátur ei, quem fluxus carnálium voluptátum exúberans ággravat. Comparátur díviti aváro, qui quantò eſt copióſior divítiis quibus non bene útitur, tantò ardéntiùs tália concupíſcit. [Et reſpóndens Jeſus dixit ad Legiſperítos & Phariſæos: Licet ſábbato curáre? At illi tacuérunt.] Quod dícitur reſpondiſſe Jeſus, ad hoc réſpicit quod præmiſſum eſt: [Et ipſi obſervábant eum.] Dóminus enim novit cogitatiónes hóminum. Sed meritò interrogáti tacent, qui contra ſe dictum quidquid díxerint vident. Nam ſi licet ſabbato curáre, quare Salvatórem an curet obſérvant? Si non licet, quare ipſi ſábbato pécora cúrant?

℟. Cùm invitátus fúeris ad núptias, * Non diſcúmbas in primo loco, ne fortè honorátior te ſit invitátus, & qui te vocávit dicat tibi: Da huic locum. *Luc.* 14. 8. 9. ℣. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia; ubi autem eſt humílitas, ibi eſt ſapiéntia. *Prov.* 11. 2. * Non diſcúmbas.

Lectio viij.

IPſe verò apprehénſum ſanavit, ac dimíſit.] Próvidâ diſpenſatióne Dóminus ante Legiſperítos & Phariſæos hydrópicum curat; & mox contra avarítiam díſputat: ut vidélicet per hujus ægritúdinem córporis, in illis exprimerétur ægritúdo cordis. Dénique poſt multa diſputa-

tiónis ejus hortaménta, ſubjúnctum eſt: [Audiébant autem ómnia hæc Phariſæi, qui erant avári, & deridébant illum.]

℟. Recúmbe in noviſſimo loco, ut qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, aſcénde ſupériùs; * Tunc erit tibi glória coram ſimul diſcumbéntibus. *Luc.* 14. 10. ℣. Mélius eſt ut dicátur tibi: Aſcénde, quàm ut humiliéris. *Prov.* 25. 7. * Tunc erit.

Lectio ix. *Poſt pauca.*

ET reſpóndens ad illos, dixit: Cujus veſtrûm áſinus aut bos in púteum cadit, & non contínuò éxtrahet illum die ſábbati?] Sic obſervatóres ſuî Phariſæos convíncit, ut eóſdem étiam avarítiæ condémnet. Si vos, inquit, in ſabbato áſinum aut bovem, aut áliquid quódlibet ánimal in púteum décidens erípere feſtinátis, non animáli, ſed veſtræ avarítiæ conſuléntes; quantò magìs ergo hóminem, qui multò mélior eſt pécore, débeo liberáre?

℟. Supérbum ſéquitur humílitas; * Et † Húmilem ſpíritu ſuſcípiet glória. *Prov.* 29. 23. ℣. Qui ſe exáltat, humiliábitur; & qui ſe humíliat, exaltábitur. *Luc.* 14. 11. * Et húmilem. Glória. † Húmilem.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Cùm intráret Jeſus in domum cujúſdam príncipis Phariſæórum ſábbato manducáre panem; & ipſi obſervábant eum. *Luc.* 14. 1.

Oratio.

TUa nos, quæſumus, Dómine, grátia ſemper & prævéniat & ſequátur; ac bonis opéribus júgiter præſtet eſſe inténtos; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. *decr. de obſerv. in celebr. Miſſa.*

MOneant Epíſcopi pópulum, ut frequénter ad ſuas paróchias, ſaltem diébus Domínicis, & majóribus feſtis accédant.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Dixit Jeſus ad Legiſperítos, & Phariſæos: Si licet ſábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipſe verò apprehénſum ſanávit hydrópicum, ac dimíſit. *Luc.* 14. 3. 4.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 3.

DIxi ego in corde meo: Vadam, & áffluam delíciis, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque eſſet vánitas. Riſum reputávi erróreṁ; & gaúdio dixi: Quid fruſtrà decíperis? Cogitávi in corde meo abſtráhere à vino carnem meam, ut ánimum meum transférrem ad ſapiéntiam, devitarémque ſtultítiam, donec vidérem quid eſſet útile fíliis hóminum: quo facto

opus eſt ſub ſole número diérum vitæ ſuæ.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v. 7. ad 9.*

POſſédi ſervos & ancíllas, multámque famíliam hábui; arménta quoque & magnos óvium greges ultra omnes qui fuérunt ante me in Jerúſalem. Coacervávi mihi argéntum & aurum, & ſubſtántias regum ac provinciárum: feci mihi cantóres & cantatríces, & delícias filiórum hóminum, ſcyphos & úrceos in miniſtério ad vina fundénda: & ſupergréſſus ſum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúſalem.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v. 9. ad 13.*

SApiéntia quoque perſeverávit mecum: & ómnia quæ deſideravérunt óculi mei, non negávi eis; nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, & oblectáret ſe in his quæ præparáveram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi úterer labóre meo. Cùmque me convertíſſem ad univérſa ópera quæ fécerant manus meæ, & ad labóres in quibus fruſtrà ſudáveram, vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi, & nihil permanére ſub ſole. Transívi ad contemplándam ſapiéntiam, erroréſque & ſtultítiam. Quid eſt, inquam, homo, ut ſequi poſſit Regem factórem ſuum? & vidi quòd tantùm præcéderet ſapiéntia ſtultítiam, quantùm differt lux à ténebris.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Collectióne variórum Cánonum Eccléſiæ Africánæ contra Donatíſtas.

cap. 50.

OMníno nulla memória Mártyrum probabíliter acceptétur, niſi ubi corpus, aut áliquæ relíquiæ ſunt, aut orígo alicújus habitatiónis, vel poſſeſſiónis vel paſſiónis fideliſſimâ orígine tráditur. Nam quæ per ſómnia, & per inánes quaſi revelatiónes quorúmlibet hóminum ubicúnque conſtituúntur altária, omnímodo reprobéntur.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c. 3. 1. ad 8.*

OMnia tempus habent, & ſuis ſpátiis tránſeunt univérſa ſub cœlo. Tempus naſcéndi, & tempus moriéndi: tempus plantándi, & tempus evelléndi quod plantátum eſt. Tempus occidéndi, & tempus ſanándi: tempus deſtruéndi, & tempus ædificándi. Tempus flendi, & tempus ridéndi: tempus plangéndi, & tempus ſaltándi. Tempus ſpargéndi lápides, & tempus colligéndi: tempus amplexándi, & tempus longè fieri ab ampléxibus. Tempus acquiréndi, & tempus perdéndi: tempus cuſtodiéndi, & tempus abjiciéndi.

Tempus ſcindéndi, & tempus conſuéndi: tempus tacéndi, & tempus loquéndi. Tempus dilectiónis, & tempus ódii: tempus belli, & tempus pacis.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 9. *ad* 13.

QUid habet ámpliùs homo de labóre ſuo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus filiis hóminum, ut diſtendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore ſuo, & mundum trádidit diſputatióni eórum, ut non invéniat homo opus quod operátus eſt Deus ab inítio uſque ad finem. Et cognóvi quòd non eſſet mélius, niſi lætári & fácere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui cómedit & bibit, & videt bonum de labóre ſuo, hoc donum Dei eſt.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. *v.* 14. *ad* 17.

DIdici quòd ómnia ópera quæ fecit Deus, perſevérent in perpétuum; non póſſumus eis quidquam áddere, nec auférre, quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum eſt, ipſum pérmanet: quæ futúra ſunt, jam fuérunt: & Deus inſtaúrat quod ábiit. Vidi ſub ſole in loco judícii impietátem, & in loco juſtítiæ iniquitátem. Et dixi in corde meo: Juſtum & ímpium judicábit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

℟. Vánitas, 193.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricénſi. *An.* 1584. *tit.* 10. *de Reliq. Sanctorum.*

HOnorámus Relíquias Mártyrum, ut Deum cujus ſervi ſunt, adorémus: honorámus ſervos, ut honor ſervórum redúndet in dóminum. Si enim oſſa Martyrum pólluunt contingéntes, quómodo Eliſéus prophéta mórtuus mórtuum ſuſcitávit?

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c.* 4. 1. *ad* 4.

VErti me ad ália, & vidi calúmnias quæ ſub ſole gerúntur, & lácrymas innocéntium, & néminem conſolatórem; nec poſſe reſíſtere eórum violéntiæ, cunctórum auxílio deſtitútos. Et laudávi magis mórtuos, quàm vivéntes: & feliciórem utróque judicávi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. Rurſum contemplátus ſum omnes labóres hóminum, & induſtrias animadvérti patére invídiæ próximi: & in hoc ergo vánitas, & cura ſupérflua eſt.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 8.

STultus cómplicat manus ſuas, & cómedit carnes ſuas, dicens: Mélior eſt pugíllus cum réquie, quàm plena útraque manus cum labóre & afflictióne ánimi. Conſide-

vanis réperi & áliam vanitátem ſub ſole. Unus eſt, & ſecúndum non habet, non fílium, non fratrem; & tamen laboráre non ceſſat, nec ſatiántur óculi ejus divítiis, nec recógitat, dicens: Cui labóro, & fraudo ánimam meam bonis? in hoc quoque vánitas eſt, & afflíctio péſſima.

℞. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 9. *ad* 14.

MElius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm unum; habent enim emoluméntum ſocietátis ſuæ: ſi unus cecíderit, ab áltero fulciétur. Væ ſoli, quia cùm cecíderit, non habet ſublevántem ſe. Et ſi dormíerint duo, fovebúntur mútuò: unus quómodò calefiet? Et ſi quíſpiam prævalúerit contra unum, duo reſíſtunt ei: funículus triplex difficilè rúmpitur. Mélior eſt puer pauper & ſápiens, rege ſene & ſtulto qui neſcit prævidére in póſterum. Quòd de cárcere catenísque intérdum quis egrediátur ad regnum: & álius natus in regno, inópiâ conſumátur.

℞. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *cap.* 62.

STatúimus ut antíquæ Relíquiæ, ámodo extra capſam non oſtendántur, nec exponántur venáles..... Prælàti verò non permíttant illos, qui ad eórum Eccléſias causâ veneratiónis accédunt, vanis figméntis, aut falſis décipi documéntis.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 4.

NE témere quid loquáris, neque cor tuum ſit velox ad proferéndum ſermónem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram; idcírco ſint pauci ſermónes tui. Multas curas ſequúntur ſómnia, & in multis ſermónibus inveniétur ſtultítia. Si quid vovíſti Deo, ne moréris réddere; díſplicet enim ei infidélis & ſtulta promíſſio: ſed quodcúnque vóveris, redde: multóque mélius eſt non vovére, quàm poſt votum promíſſa non réddere.

℞. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 8.

NE déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam; neque dicas coram Angelo: Non eſt providéntia; ne fortè irátus Deus contra ſermónes tuos, díſſipet cuncta ópera mánuum tuárum. Ubi multa ſunt ſómnia, plúrimæ ſunt vanitátes, & ſermónes innúmeri: tu verò Deum time. Si víderis calumnias egenórum, & violénta judícia, & ſubvérti juſtítiam in província, non miréris ſuper hoc negótio; quia excélſo excélſior eſt álius, & ſuper hos quoque eminentióres ſunt álii; & ínſuper

univérſæ terræ rex ímperat ſerviénti.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. *v. 9. ad* 14.

AVárus non implébitur pecúniâ; & qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis: & hoc ergo vánitas. Ubi multæ ſunt opes, multi & qui cómedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſóri, niſi quòd cernit divítias óculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operánti, ſive parum, ſive multùm cómedat: ſatúritas autem dívitis non ſinit eum dormíre. Eſt & ália infírmitas péſſima, quam vidi ſub ſole; divítiæ conſervátæ in malum dómini ſui; péreunt enim in afflictióne péſſima: generávit fílium qui in ſumma egeſtáte erit. Sicut egréſſus eſt nudus de útero matris ſuæ, ſic revertétur, & nihil aúferet ſecum de labóre ſuo.

℟. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. decr. de invocat. Sanctorum.

STátuit ſancta Synodus nulla étiam admitténda eſſe nova mirácula, nec novas Relíquias recipiéndas, niſi recognoſcénte & approbánte Epíſcopo, qui ſimul atque de iis áliquid compértum habúerit, adhíbitis in consílium Theólogis, & áliis piis viris, ea fáciat quæ veritáti & pietáti conſentánea judicáverit.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c. 6. 1. ad* 3.

ESt & áliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud hómines: Vir, cui dedit Deus divítias, & ſubſtántiam, & honórem, & nihil deeſt ánimæ ſuæ ex ómnibus quæ desíderat; nec tríbuit ei poteſtátem Deus ut cómedat ex eo, ſed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas, & miſéria magna eſt. Si genúerit quíſpiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit, & ánima illíus non utátur bonis ſubſtántiæ ſuæ, ſepulturáque cáreat; de hoc ego pronúntio quòd mélior illo ſit abortívus.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *c. 7. 1. ad* 4.

QUid necéſſe eſt hómini majóra ſe quærere, cùm ignóret quid condúcat ſibi in vita ſua, número diérum peregrinatiónis ſuæ, & témpore quod velut umbra præterit? Aut quis ei póterit indicáre quid poſt eum futúrum ſub ſole ſit? Mélius eſt nomen bonum, quàm unguénta pretióſa; & dies mortis, die nativitátis. Mélius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convívii; in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, & vivens cógitat quid futúrum ſit. Mélior eſt ira riſu; quia per triſtítiam

vultûs corrígitur ánimus delinquéntis.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 14. *ad* 19.

CONſidera ópera Dei, quòd nemo poſſit corrígere quem ille deſpéxerit. In die bona frúere bonis, & malam diem præcave. Sicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non invéniat homo contra eum juſtas querimónias. Hæc quoque vidi in diébus vanitátis meæ: Juſtus perit in juſtítia ſua, & ímpius multò vivit témpore in malítia ſuà. Noli eſſe juſtus multùm; neque plus ſápias quàm necéſſe eſt, ne obſtupéſcas. Ne ímpiè agas multùm; & noli eſſe ſtultus, ne moriáris in témpore non tuo. Bonum eſt te ſuſtentáre juſtum, ſed & ab illo ne ſúbtrahas manum tuam; quia qui timet Deum, nihil négligit.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ 25. *decr. de invocat. Sanctorum.*

OMnis ſuperſtítio in Sanctórum invocatióne, Reliquiárum veneratióne, & Imáginum ſacro uſu tollátur; omnis turpis quæſtus eliminétur; omnis dénique laſcívia vitétur; ita ùt procáci venuſtáte imágines non pingántur nec ornéntur; & Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum viſitatióne hómines ad comeſſatiónes atque ebrietátes non abutántur.

SABBATO.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. *c.* 9. 10. *ad* 12.

QUodcùnque fácere poteſt manus tua, inſtánter operáre; quia nec opus, nec rátio, nec ſapiéntia, nec ſciéntia erunt apud ínferos, quò tu próperas. Verti me ad áliud, & vidi ſub ſole, nec velócium eſſe curſum, nec fórtium bellum, nec ſapiéntium panem, nec doctórum divítias, nec artíficum grátiam; ſed tempus caſúmque in ómnibus. Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiúntur hamo, & ſicut aves láqueo comprehendúntur, ſic capiúntur hómines in témpore malo, cùm eis extémplo ſupervénerit.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica XV.* 192.

Lectio ij. *c.* 10. 16. *ad fin.*

VÆ tibi terra, cujus rex puer eſt, & cujus príncipes manè cómedunt. Beáta terra, cújus rex nóbilis eſt, & cujus príncipes veſcúntur in témpore ſuo ad reficiéndum, & non ad luxúriam. In pigrítiis humiliábitur contignátio, & in infirmitáte mánuum perſtillábit domus. In riſum fáciunt panem & vinum, ùt epuléntur vivéntes: & pecúniæ obédiunt ómnia. In cogitatióne tua régi ne détrahas,

& in ſecreto cubiculi tui ne maledíxeris díviti ; quia & aves cœli portábunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiábit ſenténtiam.

Lectio iij. *c.* 12. 8. *ad fin.*

VAnitas vanitátum, dixit Eccleſiáſtes, & ómnia vánitas. Cúmque eſſet ſapientíſſimus Eccleſiáſtes, dócuit pópulum, & enarrávit quæ fécerat: & inveſtígans compóſuit parábolas multas. Quæsívit verba utília, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. Verba ſapiéntium ſicut ſtímuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrórum consílium data ſunt à paſtóre uno. His ámpliùs, fili mi, ne requíras. Faciéndi plures libros nullus eſt finis; frequénſque meditátio, carnis afflíctio eſt. Finem loquéndi páriter omnes audiámus. Deum time, & mandáta ejus obſérva; hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium pro omni erráto, ſive bonum ſive malum illud ſit.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *decr. de invocat. Sanctorum.*

STátuit ſancta Synodus némini licére ullo in loco, vel Eccléſia, étiam quomodólibet exémpta, ullam inſólitam pónere, vel ponéndam curáre imáginem, niſi ab Epiſcopo approbáta fúerit.

Ad Magníficat, Ant. 7. G. Per ſapiéntiam ſanáti ſunt quicúnque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. *Sap.* 9. 19.

Oratio, Omnípotens ſempitérne Deus, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XVII. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Sapiéntiæ.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad.* 4.

DIlígite juſtítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in ſimplicitáte cordis quærite illum: quóniam invenítur ab his qui non tentant illum; appáret autem eis qui fidem habent in illum. Pervérſæ enim cogitatiónes ſéparant à Deo; probáta autem virtus córripit inſipiéntes. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit ſapiéntia, nec habitábit in córpore ſúbdito peccátis.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 8.

SPíritus enim ſanctus diſciplínæ effúgiet fictum, & áuferet ſe à cogitatiónibus quæ ſunt ſine intelléctu, & corripiétur à ſuperveniénte iniquitáte. Benígnus eſt enim ſpíritus ſapiéntiæ, & non liberábit malédicum à lábiis ſuis; quóniam renum illíus teſtis eſt Deus, & cordis illíus ſcrutátor eſt verus, & linguæ ejus auditor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrá-

rum : & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis. Propter hoc, qui lóquitur iníqua, non poteſt latére; nec prætériet illum corrípiens judícium.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v. 9. ad* 13.

IN cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit : ſermónum autem illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, & tumúltus murmuratiónum non abſcondétur. Cuſtodíte ergo vos à murmuratióne quæ nihil prodeſt, & à detractióne párcite linguæ; quóniam ſermo obſcúrus in vácuum non ibit : os autem quod mentítur, occídit ánimam. Nolíte zeláre mortem in erróre vitæ veſtræ, neque acquirátis perditiónem in opéribus mánuum veſtrárum. Quóniam Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum.

℟. Si eſuríerit, 192.

IN II. NOCTURNO.

Ex Enarratióne ſancti Auguſtíni epíſcopi, ſuper Pſalmos.

Enarr. in Pſalm. 64. §. 8.

Lectio iv.

NOn præváleant ſuper te ſermónes iniquórum. Domum Dei desídera, & bona ejus domûs desídera : ſed noli tália, quália desideráre ſoles vel in domo tua, vel in domo vicíni tui, vel in domo patróni tui. Aliud quiddam eſt bonum domûs illíus. Quid opus eſt ut nos dicámus quæ ſint bona illíus domûs? Ipſe índicet qui cantat éxiens de Babylónia : [Replébimur, inquit, in bonis domûs tuæ.] Quæ ſunt bona iſta? Erexerámus fortáſſe cor ad aurum, ad argéntum, & cétera pretióſa : noli tália quærere, iſta premunt, non levant.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio v.

HIc ergo jam bona illa Jeruſalem, bona illa domûs Dómini, bona illa templi Dómini meditémur; quia quæ domus Dómini, hoc ipſum templum Dómini. [Replébimur in bonis domûs tuæ : ſanctum templum tuum, mirábile in juſtítia.] Iſta ſunt bona domûs illíus. Non dixit; Templum ſanctum tuum, mirábile in colúmnis, mirábile in marmóribus, mirábile in tectis aurátis; ſed [mirábile in juſtítia.] Habes foris óculos unde vídeas mármora & aurum : intus eſt óculus unde videátur pulcritúdo juſtítiæ.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio vj. *Poſt pauca.*

QUædam ergo eſt pulcritúdo juſtítiæ, quam vidémus óculo cordis, & amámus, & exardéſcimus : quam multùm dilexérunt hómines in ipſis martyribus, cùm eórum

membra béſtiæ laniárent. Nonne cùm ſanguis fœdáret ómnia, cùm mórſibus belluínis víſcera funderéntur, non habébant óculi niſi quod horrérent? Quid ibi erat quod amarétur, niſi quia erat in illa fœditáte dilaniatórum membrórum íntegra pulcritúdo juſtítiæ? Iſta ſunt bona domûs Dei, his te para ſatiári. Sed ut inde ſatiéris cùm pervéneris, hoc te opórtet eſuríre & ſitíre cùm peregrináris: hoc ſiti, hoc éſuri; quia ipſa erunt bona Dei. Audi illum Regem cui iſta dicúntur, qui venit ut te redúcat, & ſe tibi fecit viam. Quid dicit? [Beáti qui eſúriunt & sítiunt juſtítiam, quóniam ipſi ſaturabúntur. Sanctum templum tuum, admirábile in juſtítia.] Et ipſum templum, fratres, nolíte præter vos cogitáre. Amáte juſtítiam, & vos eſtis templum Dei.

℟. Vánitas, 193.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij.

cap. 22. 34. *ad fin.*

IN illo témpore; Phariſæi audiéntes quòd ſiléntium impoſuíſſet Jeſus Sadducæis, convenérunt in unum; & interrogávit Jeſum unus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magíſter, quod eſt mandátum magnum in lege. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Epiſt. 155. §. 15. *aliàs Epiſt.* 52. *ad Macedonium.*

CUm illâ dilectióne, quam divína lex ímperat, débeat homo dilígere Deum, & ſeípſum, & próximum; non tamen ex hoc tria precépta data ſunt, nec dictum eſt in his tribus, ſed [in his duóbus præcéptis tota lex pendet & prophétæ,] id eſt, in dilectióne Dei ex toto corde, ex tota ánima, & ex tota mente, & próximi tanquam ſuî ipsíus: Vidèlicet ut intelligerétur nullam eſſe áliam dilectiónem, quâ quiſque díligit ſeípſum, niſi quòd díligit Deum. Qui enim áliter ſe díligit, pótiùs ſe odíſſe dicéndus eſt. Fit quippe iníquus, privatúrque luce juſtítiæ, cùm à potióre ac præſtantióre bono avérſus, atque indè vel ad ſeípſum convérſus, ad inferióra & egéna útique convértitur; ſitque in ipſo quod veracíſſimè ſcriptum eſt: [Qui autem amat iniquitátem, odit ánimam ſuam.]

℟. Interrogávit Jeſum unus Legis doctor tentans eum: Magíſter, quod eſt mandátum magnum in lege? Ait Jeſus: * Díliges Dóminum ex toto corde tuo; hoc eſt máximum & primum mandátum. *Matt.* 22. 35. 36. 37. 38. ℣. Quid Dóminus Deus tuus petit à te, niſi ut díligas eum, ac

ſervias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota ánima tua? *Deut.* 10. 12.* Díliges Dóminum.

Lectio viij.

QUia ígitur nemo, niſi Deum diligéndo, díligit ſeípſum; non opus erat ut dato de Dei dilectióne præcépto, étiam ſeípſum homo dilígere juberétur, cùm in eo díligat ſeípſum, quòd díligit Deum. Debet ergo & próximum dilígere tanquam ſeípſum, ut quem potúerit hóminem vel beneficéntiæ conſolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel diſciplínæ coërcitióne addúcat ad coléndum Deum; ſciens in his duóbus præcéptis totam legem prophetáſque pendére.

℟. Secúndum mandátum símile eſt huic: * Díliges próximum tuum ſicut teípſum. *Matt.* 21. 39. ℣. Dílige próximum, & conjúngere fide cum illo. *Eccli.* 27. 18. * Díliges próximum.

Lectio ix. §. 16.

HOc qui ſóbriâ diſcretióne éligit, prudens eſt; qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis eſt; qui nullâ áliâ delectatióne, témperans eſt; qui nullâ elatióne, juſtus eſt. His virtútibus divínitùs impertítis, per grátiam Mediatóris Dei cum Patre, & nobíſcum hóminis Jeſu Chriſti, per quem poſt inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in ſpíritu caritátis: his, inquam, virtútibus divínitùs impertítis, & bona vita nunc ágitur, & póſtea præmium ejus, quæ niſi ætérna eſſe non poteſt, beáta vita perſólvitur. Hìc enim ſunt eædem virtútes in actu, ibi in efféctu; hìc in ópere, ibi in mercéde; hìc in offício, ibi in fine.

℟. Ait Jeſu Scriba: Bene, Magíſter, in veritáte dixíſti; quia unus eſt Deus, & ut diligátur ex toto corde, & * Dilígere próximum tanquam ſeípſum, majus eſt ómnibus holocautomátibus & ſacrificiis. *Marc.* 12. 32. 33. ℣. Nunquid vult Dóminus holocaúſta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? 1. *Reg.* 15. 22. * Dilígere. Glória. * Dilígere.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. Congregátis Phariſæis interrogávit eos Jeſus, dicens: Quid vobis vidétur de Chriſto? Cujus filius eſt? Dicunt ei: David. *Matt.* 22. 41. 42.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſericórdiam tuam oſténde ſupplícibus; ut qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judícium tuum, ſed indulgéntiam ſentiámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Synodo Autiſſiodorénſi. *An.* 1552. *tit.* 31.

QUiſquis ceſſánte legítimo impediménto, trib Domínicis diébus contin

Parochiáli Miſſæ non interfúerit ; eum notándum , Promotóri noſtro denuntiándum , & pro delícti qualitáte puniéndum præcípimus.

Ad Magníficat , *Ant. 7. d.* Ait Phariſæis Jeſus : Si David vocat Chriſtum , Dóminum ; quómodo filius ejus eſt ? Et nemo póterat ei reſpondére verbum. *Matt.* 22. 45. 46.

FERIA SECUNDA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *c.* 4. 7. *ad* 16.

JUſtus ſi morte præoccupátus fúerit , in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt, non diutúrna , neque annórum número computáta : cani autem ſunt ſenſus hóminis , & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus eſt diléctus, & vivens inter peccatóres translátus eſt. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum ejus , aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Faſcinátio enim nugacitátis obſcúrat bona, & inconſtántia concupiſcéntiæ tranſvértit ſenſum ſine malítia. Conſummátus in brevi , explévit témpora multa ; plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc , properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem vidéntes, & non intelligéntes , nec ponéntes in præcórdiis tália ; quóniam grátia Dei, & miſericórdia eſt in ſanctos ejus , & reſpéctus in eléctos illíus. Condémnat autem juſtus mórtuus vivos ímpios , & juvéntus celériùs conſummáta, longam vitam injúſti.

℟. Da mihi , 191.

Lectio ij. *c.* 5. 1. *ad* 3.

STabunt juſti in magna conſtántia adverſùs eos qui ſe anguſtiavérunt , & qui abſtulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili , & mirabúntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis ; dicéntes intrà ſe , pœniténtiam agéntes , & præ anguſtia ſpíritûs geméntes : Hi ſunt , quos habúimus aliquándo in deriſum , & in ſimilitúdinem impropérii.

℟. Vidi , 191.

Lectio iij. *v.* 4. *ad* 10.

NOs inſenſáti vitam illórum æſtimabámus inſániam , & finem illórum ſine honóre : Ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei , & inter ſanctos ſors illórum eſt. Ergo errávimus à via veritátis , & juſtítiæ lumen non luxit nobis , & ſol intelligéntiæ non eſt ortus nobis. Laſſáti ſumus in via iniquitátis & perditiónis , & ambulávimus vias difficiles ; viam autem Dómini ignorávimus. Quid nobis prófuit ſupérbia ? aut divitiárum jactántia quid cóntulit nobis ? Tranſiérunt ómnia illa tanquam umbra , & tanquam núntius percúrrens , & tanquam navis quæ pertránſit fluctuántem aquam ; cujus ,

cùm præteríerit, non eſt veſtígium invenire, neque ſémitam carínæ illíus in flúctibus.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

An. 633. cap. 25.

IGnorántia, mater cunctórum errórum, máximè in ſacerdótibus Dei vitánda eſt, qui docéndi offícium in pópulis ſuſcepérunt.

FERIA TERTIA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. c. 6. 1. ad 6.

MElior eſt ſapiéntia quàm vires; & vir prudens quàm fortis. Audíte ergo reges, & intellígite; díſcite júdices fínium terræ. Præbéte aures, vos qui continétis multitúdines, & placétis vobis in turbis natiónum; quóniam data eſt à Dómino potéſtas vobis, & virtus ab Altíſſimo, qui interrogábit ópera veſtra, & cogitatiónes ſcrutábitur; quóniam cùm eſſétis miníſtri regni illíus, non rectè judicáſtis, nec cuſtodíſtis legem juſtítiæ, neque ſecúndùm voluntátem Dei ambuláſtis. Horréndè & citò apparébit vobis; quóniam judícium duríſſimum his qui præſunt, fiet.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. v. 7. ad 11.

EXíguo enim concéditur miſericórdia: poténtes autem poténter torménta patiéntur. Non enim ſubtrahet perſónam cujúſquam Deus; nec verébitur magnitúdinem cujúſquam; quóniam puſíllum & magnum ipſe fecit, & æquáliter cura eſt illi de ómnibus: fortióribus autem fórtior inſtat cruciátio. Ad vos ergo reges, ſunt hi ſermónes mei; ut diſcátis ſapiéntiam, & non excidátis. Qui enim cuſtodíerint juſta juſtè, juſtificabúntur: & qui didícerint iſta, invénient quid reſpóndeant.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. v. 13. ad 20.

CLara eſt, & quæ nunquam marcéſcit ſapiéntia: & fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui ſe concupíſcunt, ut illis ſe prior oſténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit; aſſidéntem enim illam fóribus ſuis invéniet. Cogitáre ergo de illa, ſenſus eſt conſummátus; & qui vigiláverit propter illam, citò ſecúrus erit; quóniam dignos ſeipsâ círcuit quærens, & in viis oſténdit ſe illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis. Inítium enim illíus, veríſſima eſt diſciplínæ concupiſcéntia: cura ergo diſciplínæ, diléctio eſt; & diléctio, cuſtódia legum illíus eſt; cuſtodítio autem legum, conſummátio incorruptiónis eſt: incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo.

℟. Vánitas, 193.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *can.* 10.

CLérici in doctrína, in lectiónibus, in pſalmis, hymnis & cánticis, exercítio jugi incúmbant. Tales enim eſſe debent, qui divínis cúltibus ſe mancipándos ſtudent exhibére; ſcílicet ut dum ſciéntiæ óperam dant, doctínæ grátiam pópulis adminíſtrent.

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *c.* 7. 3. *ad* 10.

EGo natus accépi commúnem áërem, & in ſimíliter factam décidi terram; & primam vocem ſímilem ómnibus emíſi plorans. In involuméntis nutrítus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus eſt ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & ſédibus; & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus: nec comparávi illi lápidem pretióſum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna eſt exígua; & tanquam lutum æſtimábitur argéntum in conſpéctu illíus. Super ſalútem & ſpéciem diléxi illam; & propóſui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile eſt lumen illíus.

℞. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 11. *ad* 16.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéſtas per manus illíus: & lætátus ſum in ómnibus, quóniam antecedébat me iſta ſapiéntia; & ignorábam quóniam horum ómnium mater eſt, quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico, & honeſtátem illíus non abſcóndo. Infinítus enim theſaúrus eſt homínibus, quo qui uſi ſunt, partícipes facti ſunt amicítiæ Dei, propter diſciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex ſenténtia, & præſúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor: in manu enim illíus & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia, & diſciplína.

℞. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 21. *ad* 26.

QUæcúnque ſunt abſcónſa & improvíſa, dídici; ómnium enim ártifex dócuit me ſapiéntia; eſt enim in illa ſpíritus intelligéntiæ, ſanctus, únicus, múltiplex, ſubtílis, diſértus, móbilis, incoinquinátus, certus, ſuávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, ſtábilis, certus, ſecúrus, omnem habens virtútem, ómnia proſpíciens, & qui cápiat omnes ſpíritus: in-

telligíbilis, mundus, ſubtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior eſt ſapiéntia: attíngit autem ubíque propter ſuam mundítiam. Vapor eſt enim virtútis Dei, & emanátio quædam eſt claritátis omnipoténtis Dei ſincéra: & ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit; candor eſt enim lucis ætérnæ, & ſpéculum ſine mácula Dei majeſtátis, & imágo bonitátis illíus.

℟. Si eſuríerit, 192.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. lib. 1. cap. 9.

SAcerdótis præ céteris ſpeciále offícium eſt, Scriptúras légere, percúrrere Cánones, exémpla Sanctórum imitári; vigíliis, jejúniis, oratiónibus incúmbere, cum frátribus pacem habére.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *c. 8. 5. ad 9.*

SI divítiæ appetúntur in vita, quid ſapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem ſenſus operátur, quis horum quæ ſunt, magìs quàm illa, eſt ártifex? Et ſi juſtítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes; ſobrietátem enim & prudéntiam docet, & juſtítiam & virtútem, quibus utílius nihil eſt in vita homínibus. Et ſi multitúdinem ſciéntiæ deſíderat quis, ſcit prætérita, & de futúris æſtimat; ſcit verſútias ſermónum, & diſſolutiónes argumentórum; ſigna & monſtra ſcit ántequam fiant, & evéntus témporum & ſeculórum. Propóſui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum, ſciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij.

c. 8. 21. ad fin. & c. 9. 1. ad 4.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum. Adii Dóminum, & deprecátus ſum illum, & dixi ei ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine miſericórdiæ, qui fecíſti ómnia verbo tuo, & ſapiéntiâ tuâ conſtituíſti hóminem ut dominarétur creatúræ quæ à te facta eſt, ut diſpónat orbem terrárum in æquitáte & juſtítia, & in directióne cordis judícium júdicet: da mihi ſédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio iij.

c. 9. 19. & c. 10 1. ad 7.

PEr ſapiéntiam ſanáti ſunt quicúnque placuérunt tibi Dómine à princípio. Hæc illum, qui primus formátus eſt à Deo pater orbis terrárum, cùm ſolus eſſet creátus, cuſtodivit; & edúxit illum à

ſuo, & dedit illi virtútem continéndi ómnia. Ab hac ut recéſſit injúſtus in ira ſua, per iram homicídii fratérni depériit: propter quem, cùm aqua deléret terram, ſanávit íterum ſapiéntia, per contemptíbile lignum juſtum gubérnans. Hæc & in conſénſu nequítiæ cùm ſe natiónes contuliſſent, ſcivit juſtum, & conſervávit ſine queréla Deo, & in filii miſericórdia fortem cuſtodívit. Hæc juſtum à pereúntibus ímpiis liberávit fugiéntem, deſcendénte igne in Pentápolim: quibus in teſtimónium nequítiæ fumigabúnda conſtat deſérta terra, & incérto témpore fructus habéntes árbores, & incredíbilis ánimæ memória ſtans figméntum ſalis.

℟. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 20.

TAm doctrínâ quàm vitâ clarére debet Eccleſiáſticus Doctor: nam doctrína ſine vita arrogántem reddit; vita ſine doctrína, inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda eſt, ita ut quod docet verbo, inſtruat exémplo.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *c.* 13. 1. *ad* 3.

VAni ſunt omnes hómines in quibus non ſubeſt ſciéntia Dei: & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui eſt; neque opéribus attendéntes agnovérunt quis eſſet ártifex: ſed aut ignem, aut ſpíritum, aut citátum áërem, aut gyrum ſtellárum, aut nímiam aquam, aut ſolem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum ſi ſpécie delectáti, deos putavérunt; ſciant quantò his dominátor eórum ſpecióſior eſt. Speciéi enim generátor hæc ómnia conſtítuit.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 4. *ad* 7.

AUt ſi virtutem & ópera eórum miráti ſunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior eſt illis: à magnitúdine enim ſpeciéi, & creatúræ, cognoſcibíliter póterit creátor horum vidéri. Sed tamen adhuc in his minor eſt queréla. Et hi enim fortáſſe errant, Deum quæréntes, & voléntes invenire. Etenim cùm in opéribus illíus converſéntur, inquírunt; & perſuáſum habent quóniam bona ſunt quæ vidéntur.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 8. *ad* 10.

ITerum autem nec his debet ignóſci. Si enim tantùm potuérunt ſcire, ut poſſent æſtimáre ſéculum; quómodo hujus dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem ſunt, & inter mórtuos ſpes illórum eſt, qui appellavérunt

deos ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventiónem, & ſimilitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

℟. Si eſúrierit, 192.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi ſecúndo.

An. 836. cap. 2. de doctrina Epiſcoporum, can. 4.

Convenit ſacerdotáli miniſtério ſcire formam Evangélicam, documénta Apoſtólica, Cánonum institúta, normam régulæ Paſtorális à ſanctiſſimo pontífice Gregório éditæ; ne juxta eúndem ſanctiſſimum virum ab imperítis, quod abſit, Paſtoràle magiſtérium áliquâ temeritáte uſurpétur, aut viléſcat.

SABBATO.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. c. 15. 1. ad 3.

Tu Deus noſter, ſuávis & verus es, pátiens, & in miſericórdia diſpónens ómnia. Etenim ſi peccavérimus, tui ſumus, ſciéntes magnitúdinem tuam; & ſi non peccavérimus, ſcimus quóniam apud te ſumus computáti. Noſſe enim te, conſummáta juſtítia eſt: & ſcire juſtítiam, & virtútem tuam, radix eſt immortalitátis.

Si fiat de Sabbato, ℟℟. ſumentur ex II. Nocturno Dominica XV. 192.

Lectio ij. v. 4. ad 6.

Non enim in errórem indúxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ labor ſine fructu, effígies ſculpta per vários colóres, cujus aſpéctus inſenſáto dat concupiſcéntiam, & díligit mórtuæ imáginis effigiem ſine ánima. Malórum amatóres digni ſunt qui ſpem hábeant in tálibus, & qui fáciunt illos, & qui díligunt, & qui colunt.

Lectio iij. v. 7. ad 9.

Sed & figulus mollem terram premens laborióſè fingit ad uſus noſtros unumquódque vas, & de eódem luto fingit quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſímiliter quæ his ſunt contrária: horum autem vaſórum quis ſit uſus, judex eſt figulus. Et cum labóre vano Deum fingit de eódem luto, ille qui pauló antè de terra factus fúerat, & poſt pusíllum redúcit ſe unde accéptus eſt, repetítus ánimæ débitum quam habébat. Sed cura eſt illi, non quia laboratúrus eſt, nec quóniam brevis illa vita eſt, ſed concertátur aurificibus & argentáriis; ſed & ærários imitátur, & glóriam præfert, quóniam res ſupervácuas fingit.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. part. 3. tit. 1.

Ne omíttant Epíſcopi, ſacræ Theológiæ, ſacr

rúmque Cánonum, aliarúmque eccleſiaſticárum doctrinárum offício munerique epiſcopáli própriè congruéntium, ſtúdiis quotídie ſtatis horis óperam dare; quotidiéque áliquid ex ſacris Bíbliis, potíſſimùm epiſcopáli fídei religioníque commíſſis, ſtudióſè légere.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit Jeſus fílius Sirach: Beátus qui in iſtis verſátur bonis; ſi enim hæc fécerit, ad ómnia valébit; quia lux Dei, veſtígium ejus eſt. *Eccli.* 50. 29. 30. 31.

Oratio, Fac nos, quæſumus, Dómine, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XVIII.
poſt Pentecoſten.

In I. Nocturno.

Incipit liber Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

OMnis ſapiéntia à Dómino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies ſéculi quis dinumerávit. Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profúndum abyſſi quis diménſus eſt? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis inveſtigávit? Prior ómnium creáta eſt ſapiéntia, & intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons ſapiéntiæ verbum Dei in excélſis; & ingréſſus illíus, mandáta ætérna. Radix ſapiéntiæ cui reveláta eſt, & aſtútias illíus quis agnóvit?

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 15.

DIſciplína ſapiéntiæ cui reveláta eſt & maniféſtata? & multiplicatiónem ingréſsûs illíus quis intelléxit? Unus eſt altíſſimus Creátor omnípotens, & Rex potens & metuéndus nimis, ſedens ſuper thronum illíus, & dóminans Deus. Ipſe creávit illam in Spíritu-ſancto, & vidit, & dinumerávit, & menſus eſt. Et effúdit illam ſuper ómnia ópera ſua, & ſuper omnem carnem ſecúndùm datum ſuum, & præbuit illam diligéntibus ſe. Timor Dómini glória, & gloriátio, & lætítia, & coróna exultatiónis. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gaúdium, & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, & in die defunctiónis ſuæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis ſapiéntia. Quibus autem apparúerit in viſu, díligunt eam in viſióne, & in agnitióne magnálium ſuorum. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 33. *ad fin.*

FIli, concupíſcens ſapiéntiam, conſérva juſtítiam; & Deus præbébit illam tibi. Sapiéntia enim & diſciplína timor Dómini: & quod bene-

plácitum eſt illi, fides & manſuetúdo; & adimplébit theſaúros illíus. Ne ſis incredíbilis timóri Dómini: & ne accéſſeris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conſpéctu hóminum, & non ſcandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne fortè cadas, & addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem; & revélet Deus abſcónſa tua, & in médio ſynagógæ elídat te: quóniam acceſsíſti malígnè ad Dóminum, & cor tuum plenum eſt dolo & falláciâ.

℟. Si eſuríerit, 192.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium ſancti Gregórii papæ.

Lectio iv. *Lib.* I. *cap.* 10.

SUnt nonnúlli qui vitam ſuam négligunt, & dum tranſitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vel intelléćta contémnunt, nec dolórem ſéntiunt, nec habére consílium ſciunt. Cúmque ſupérna, quæ amiſérunt, non consíderant, eſſe ſe (heu míſeri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: nequáquam ad contemplatiónem pátriæ ætérnæ deſidérii áciem tendunt; ſed ſemetípſos in iis, ad quæ projécti ſunt deferéntes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiúntur, & in cæcitáte quam tólerant, quaſi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio v.

AT contrà electórum mentes dum tranſitória cuncta nulla eſſe conſpíciunt, ad quæ ſint cónditæ, exquírunt, cúmque eórum ſatisfactióni nihil extra Deum ſúfficit, ipsâ inquiſitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Condítóris ſui ſpe & contemplatióne requiéſcit, ſupérnis intérſeri cívibus áppetit; & unuſquíſque eórum adhuc in mundo córpore póſitus, mente tamen extra mundum ſurgit; ærúmnam exílii quam tólerat, deplórat; & ad ſublímem pátriam inceſsántibus ſe amóris ſtímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt, quàm ſit ætérnum quod pérdidit, ínvenit ſalúbre consílium, temporále hoc deſpícere quod percúrrit; & quò magis creſcit consílii ſciéntia, ut peritúra déſerat, eò augétur dolor, quòd necdum ad manſúra pertíngat.

℟. Diſciplínam, 193.

Lectio vj. *Poſt pauca.*

INtuéndum quoque eſt, quòd nullus dolor mentis ſit in actióne præcipitatiónis. Qui enim ſine consíliis vivunt, qui ſeipſos rerum evéntibus præcípites déſerunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui ſolérter in vitæ consílio figit mentem, cautè ſeſe ir

actióne circumſpiciéndo consíderat, & ne ex re quæ ágitur, repentínus finis adversúſque ſurrípiat, hunc priùs mólliter póſito pede cogitatiónis pálpat; penſat, ne ab iis quæ agénda ſunt, præpédiat formído; ne in iis quæ differénda ſunt, præcipitátio impéllat; ne prava per concupiſcéntiam apérto bello ſúperent; ne recta per inánem glóriam inſidiándo ſupplántent.

℟. Vánitas, 193.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 9. 1. *ad* 8.

IN illo témpore; Aſcéndens Jeſus in navículam, transfretávit, & venit in civitátem ſuam. Et ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto. Et videns Jeſus fidem illórum, dixit paralytico: Confíde, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſólogi.

Serm. 50. *de Paralytico.*

VEnit in civitátem ſuam; & ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto: & reſpíciens Jeſus fidem illórum, dixit paralytico: Confíde, fil', dimittúntur tibi peccáta tua.] Audit véniam, & tacet paralyticus, nec ullam repéndit grátiam; quia plùs córporis quàm ánimæ tendébat ad curam; & temporáles ærúmnas reſolúti córporis ſic deflébat, ut ætérnas pœnas reſolutiónis ánimæ non defléret; gratiórem ſibi præſéntem vitam júdicans quàm futúram.

℟. Ecce viri portántes hóminem qui erat paralyticus, quærébant eum pónere ante Jeſum; & * Non inveniéntes quâ parte inférrent præ turba, per tégulas ſummiſérunt eum cum lecto in médium. *Luc.* 5. 18. 19. ℣. Spes illórum in ſalvántem illos, & óculi Dei in diligéntes ſe. *Eccli.* 34. 15. * Non inveniéntes.

Lectio viij.

FIli, inquit, remittúntur tibi peccáta tua.] Hæc dicens, Deum ſe volébat intélligi, qui per hóminem óculis adhuc latébat humánis. Virtútibus enim & ſignis comparabátur Prophétis, qui per ipſum fécerant & ipſi virtútes: peccátis autem dare véniam, quia penes hóminem non eſt, & eſt ſinguláre deitátis insígne, Deum illum pectóribus inſerébat humánis. Probat hoc Phariſáicus livor; nam cùm dixíſſet: [Remittúntur tibi peccáta tua, reſpondérunt Phariſæi: Hic blaſphémat; quis enim poteſt peccáta remíttere, niſi ſolus Deus?] Phariſæe, qui ſciéndo neſcis, confiténdo negas; cùm teſtáris, impúgnas: ſi Deus eſt qui remittit peccáta, cur tibi Chriſtus Deus non eſt, qui uníus indulgéntiæ ſuæ múne-

te, totius mundi probátur abſtuliſſe peccáta? [Ecce,] inquit, [Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.]

℟. Videns Jeſus fidem illórum, dixit paralytico: * Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. *Matt.* 9. 2. ℣. Per miſericórdiam & fidem purgántur peccáta. *Prov.* 15. 27. * Confide.

Lectio ix.

UT autem poſſis majóra, cape ejus divinitátis inſignia: audi eum pectoris tui penetrálle ſecrétum: áſpice eum ad cogitatiónum tuárum látebras perveniſſe: intéllige eum cordis tui tácita nudáre consilia. [Et cum vidiſſet,] inquit, [Jeſus cogitatiónes eórum.] Scrutátor animárum prævénit méntium maligna consilia, & deitátis ſuæ poténtiam óperis atteſtatióne monſtrávit, dum diſſipáti córporis membra compónit, nervos ſtringit, jungit oſſa, complet víſcera, firmat artus, & greſſus ad curſum ſúſcitat in vivo cadávere jam ſepúltos.

℟. Ego ſum, ego ſum ipſe qui * Déleo iniquitátes tuas propter me, & † Peccatórum tuórum non recordábor. *Iſai.* 43. 25. ℣. Dixit Jeſus: Homo, remittúntur tibi peccáta tua. *Luc.* 5. 20. * Déleo. Glória. † Peccatórum.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. * Jeſus ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurréxit, & ábiit in domum ſuam. *Matt.* 9. 6. 7.

Oratio.

FAc nos, quæſumus, Dómine, promptá tibi voluntáte ſubjéctos; & ad ſupplicándum tibi noſtras ſemper éxcita voluntátes; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concilio Burdigalenſi. *An.* 1624. *cap.* 5. *num.* 3.

COnfeſſários quoſcúnque ſive ſeculáres, ſive reguláres, ſcrutári pœniténtes, an officio Parochiális Miſſæ ſatisfécerint, propóſitá eiſdem gravitáte peccáti, obligátos eſſe declarámus.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. * Vidéntes turbæ, timuérunt; & glorificavérunt Deum, qui dedit poteſtátem talem homínibus. *Matt.* 9. 8.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 6.

FIli, accédens ad ſervitútem Dei, ſta in juſtítia & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & ſuſtine: inclína aurem tuam, & ſúſcipe verba intelléctus; & ne feſtínes in témpore obductiónis. Suſtine ſuſtentatiónes Dei: conjúngere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fúerit, áccipe: & in dolóre ſuſtine, & in humilitáte tua patiéntiam habe; quóniam in

igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te; & dírige viam tuam, & ſpera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráſce.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 11. *ad* 17.

Reſpícite, filii, natiónes hóminum; & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt. Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum? Quóniam pius & miſéricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta; & protéctor eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte. Væ dúplici corde, & lábiis ſceléſtis, & mánibus malefaciéntibus, & peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ diſſolútis corde, qui non credunt Deo; & ídeo non protegéntur ab eo. Væ his qui perdidérunt ſuſtinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inſpícere cœperit Dóminus.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 18. *ad fin.*

Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: & qui díligunt illum, conſervábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita ſunt ei: & qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda ſua, & in conſpéctu illíus ſanctificábunt ánimas ſuas. Qui timent Dóminum, cuſtódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt uſque ad inſpectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secúndùm enim magnitúdinem ipsíus, ſic & miſericórdia illíus cum ipſo eſt.

℟. Si eſuríerit, 192.

C A N O N.

Ex Concílio Turonénſi tértio, *An.* 813. *can.* 1.

Ut omnes Epíſcopi ſtudióſè óperam dent divínæ lectióni; ſanctum Evangélium, & Epíſtolas beáti Pauli apóſtoli, non ſolùm crebrò léctitent, ſed étiam quantùm poſſint, memóriæ ſtúdeant commendáre; ſanctorúmque Patrum opúſcula ſuper éadem expóſita, devótè frequéntent.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 3. 7. *ad* 15.

Qui honórat patrem ſuum, vitâ vivet longióre; & qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat paréntes; & quaſi dóminis ſérviet his qui ſe genuérunt. In ópere & ſermóne, & omni patiéntia honóra patrem tuum; ut ſupervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio

benedíctio illíus in novíſſimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum : maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui, non enim eſt tibi glória ejus confúſio; glória enim hóminis ex honóre patris ſui, & dédecus filii pater ſine honóre. Fili, ſúſcipe ſenéctam patris tui, & non contríſtes eum in vita illíus; & ſi defécerit ſenſu, véniam da; & ne ſpernas eum in virtúte tua.

℞. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 19. *ad* 26.

FIli, in manſuetúdine ópera tua pérfice, & ſuper hóminum glóriam diligéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam; quóniam magna poténtia Dei ſolíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæſíeris, & fortióra te ne ſcrutátus fúeris; ſed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita ſemper, & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curióſus. Non eſt enim tibi neceſſárium, ea quæ abſcóndita ſunt, vidére óculis tuis. In ſupervácuis rebus noli ſcrutári multiplíciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curióſus; plúrima enim ſuper ſenſum hóminum oſténſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantávit ſuſpício illórum, & in vanitáte detínuit ſenſus illórum.

℞. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. *v.* 27. *ad fin.*

COr durum habébit malè in novíſſimo: & qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit ſuccéſſus; & pravus corde, in illis ſcandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, & peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ ſuperbórum non erit ſánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis, & non intelligétur. Cor ſapiéntis intellígitur in ſapiéntia; & auris bona aúdiet cum omni concupiſcéntia ſapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abſtinébit ſe à peccátis, & in opéribus juſtítiæ ſuccéſſus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemóſyna resíſtit peccátis: & Deus protéctor eſt ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in póſterum, & in témpore caſûs ſui invéniet firmaméntum.

℞. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénſi ſecúndo.

An. 813. *can.* 1.

DEcrévimus juxta ſanctórum Cánonum conſtitutiónem, & ceterárum ſanctárum Scripturárum doctrínam, ut Epíſcopi aſsidui ſint in lectióne, & ſcruténtur myſtéria verbórum Dei, quibus in Ecclésia doctrínæ fulgóre ſpléndeant, & verbórum Dei aliméntis ánimas ſibi ſúbditas ſatiáre non ceſſent.

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 4. 1. *ad* 11.

FIli, eleemóſynam paúperis ne defraúdes, & óculos tuos ne tranſvértas à paúpere. Animam eſuriéntem ne deſpéxeris; & non exáſperes paúperem in inópia ſua. Cor ínopis ne afflíxeris, & non prótrahas datum anguſtiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias; & non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram; & non relínquas quæréntibus tibi retro maledícere: maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ exaudiétur deprecátio illíus: exaúdiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni paúperum affábilem te fácito: & presbytero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declína paúperi ſine triſtítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & reſpónde illi pacífica in manſuetúdine. Líbera eum qui injúriam pátitur de manu ſupérbi, & non ácidè feras in ánima tua. In judicándo eſto pupíllis miſéricors ut pater, & pro viro matri illórum: & eris tu velut filius Altíſſimi obédiens, & miſerébitur tuî magìs quàm mater.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 23. *ad* 30.

FIli, conſérva tempus, & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Eſt enim confúſio addúcens peccátum, & eſt confúſio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem advérsùs fáciem tuam, nec advérsùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in caſu ſuo, nec retíneas verbum in témpore ſalútis. Non abſcóndas ſapiéntiam tuam in decóre ſuo: in lingua enim ſapiéntia dignóſcitur; & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſenſáti, & firmaméntum in opéribus juſtítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo; & de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 31. *ad fin.*

NOn confundáris confitéri peccáta tua, & ne ſubjícias te omni hómini pro peccáto. Noli reſíſtere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro juſtítia agonizáre pro ánima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus eſſe in lingua tua; & inútilis, & remíſſus in opéribus tuis. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evértens doméſticos tuos, & ópprimens ſubjéctos tibi. Non ſit porrécta manus tua ad accipiéndum, & ad dandum collécta.

℟. Si eſuríerit inimícus tuus, 192.

CANON.

Ex Concílio Meldénſi.

An. 845. *can.* 34.

CAnonum ſtatúta ſine præjudício ab ómnibus cuſtodiántur; & nemo in actiónibus vel judíciis eccleſiáſticis, ſuo ſenſu, ſed eórum autoritáte ducátur. In exponéndis étiam vel prædicándis divínis Scriptúris, ſanctórum catholicórum & probatiſſimórum Patrum ſenſum quiſque ſequátur; in quorum ſcriptis, ut beátus dicit Hierónymus, fídei véritas non vacíllet.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 7.

NOli atténdere ad poſſeſſiónes iníquas, & ne díxeris: Eſt mihi ſuffíciens vita; nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne ſequáris in fortitúdine tua concupiſcéntiam cordis tui, & ne díxeris: Quómodo pótui? aut quis me ſubjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triſte? Altíſſimus enim eſt pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli eſſe ſine metu, neque adjícias peccátum ſuper peccátum. Et ne dicas: Miſerátio Dómini magna eſt, multitúdinis peccatórum meórum miſerébitur. Miſericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réſpicit ira illíus.

℞. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 12.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem; ſúbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ diſpérdet te. Noli ánxius eſſe in divítiis injúſtis; non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam; ſic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua. Eſto firmus in via Dómini, & in veritáte ſenſûs tui & ſciéntia; & proſequátur te verbum pacis & juſtítiæ.

℞. Diſcíplinam, 193.

Lectio iij. *v.* 13. *ad fin.*

ESto manſuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas: & cum ſapiéntia próferas reſpónſum verum. Si eſt tibi intelléctus, reſpónde próximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiáris in verbo indiſciplináto, & confundáris. Honor & glória in ſermóne ſenſáti; lingua verò imprudéntis ſubvérſio eſt ipſíus. Non appelléris ſuſúrro, & linguâ tuâ ne capiáris, & confundáris. Super furem enim eſt confúſio & pœniténtia, & denotátio péſſima ſuper bilínguem: ſuſurratóri autem ódium, & inimicítia, & contumélia. Juſtífica puſíllum & magnum ſímiliter.

℞. Vánitas, 193.

C A N O N.

Ex Concílio Coloniénſi primo.

An. 1536. *part.* 2. *cap.* 32.

EOs tantùm & re & nómine Cléricos reputámus, qui legem Dei die noctúque meditántur, munus ſuſcéptum débitè exequúntur, ac vitam agunt ſacerdótio dignam.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 6. 5. *ad* 11.

VErbum dulce multíplicat amícos, & mítigat inimícos: & lingua eúcharis in bono hómine abúndat. Multi pacífici ſint tibi, & conſiliárius ſit tibi unus de mille. Si póſſides amícum, in tentatióne póſſide eum: & ne fácilè credas ei. Eſt enim amícus ſecúndùm tempus ſuum, & non permanébit in die tribulatiónis. Et eſt amícus qui convértitur ad inimicítiam: & eſt amícus qui ódium & rixam & convítia denudábit. Eſt autem amícus ſócius menſæ, & non permanébit in die neceſſitátis. Amícus ſi permánſerit fixus, erit tibi quaſi coæquális, & in doméſticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 14. *ad* 17.

AMícus fidélis, protéctio fortis; qui autem invénit illum, invénit theſaúrum. Amíco fidéli nulla eſt comparátio, & non eſt digna ponderátio auri & argénti contra bonitátem fídei illíus. Amícus fidélis, medicaméntum vitæ & immortalitátis; & qui métuunt Dóminum, invénient illum. Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam; quóniam ſecúndùm illum erit amícus illíus.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *c.* 7. 4. *ad* 11.

NOli quærere à dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te juſtífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipſe eſt: & penes regem noli velle vidéri ſápiens. Noli quærere fíeri judex, niſi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne fortè extiméſcas fáciem poténtis, & ponas ſcándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immíttas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta; nec enim in uno eris immúnis. Noli eſſe puſillánimis in ánimo tuo. Exoráre, & fácere eleemóſynam ne deſpícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum reſpíciet Deus: & offerénte me Deo altíſſimo, múnera mea ſuſcípiet.

℟. Si eſuríerit, 192.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

OMnis Sacérdos Clericúſve ſciat id in offício ſuo póſitum eſſe, ut cùm vel in of-

ficiis divínis obeúndis, vel in frequentándis Eccléſiis, quod debet, tempus conſúmpſerit; ſi quid ſibi réliquum eſt, id omne non in rerum ſeculárium collóquiis, profaníſque actiónibus; ſed in divinárum litterárum ſtúdiis, & in cœléſtium rerum contemplatiónibus, & ſanctis piíſque officiis tradúcat.

SABBATO.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 7. 12. *ad* 18.

NOn irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ: eſt enim qui humíliat & exáltat, circunſpéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsùs fratrem tuum; neque in amícum ſimíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium; aſſidúitas enim illíus non eſt bona. Noli verbóſus eſſe in multitúdine preſbyterórum; & non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laborióſa opera, & ruſticatiónem creátam ab Altíſſimo. Non te réputes in multitúdine indiſciplinatórum. Meménto iræ, quóniam non tardábit.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominicæ XV.* 192.

Lectio ij. *v.* 22. *ad* 30.

NOn lædas ſervum in veritáte operántem, neque mercenárium dantem ánimam ſuam. Servus ſenſátus ſit tibi diléctus quaſi ánima tua: non defraúdes illum libertáte, neque ínopem derelínquas illum. Pécora tibi ſunt? atténde illis; & ſi ſunt utília, perſevérent apud te. Fílii tibi ſunt? érudi illos, & curva illos à pueritia illórum. Fíliæ tibi ſunt? ſerva corpus illárum, & non oſténdas hílarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, & grande opus féceris; & hómini ſenſáto da illam. Múlier ſi eſt tibi ſecúndùm ánimam tuam, non projícias illam: & odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, & gémitus matris tuæ ne oblivíſcáris: Meménto quóniam niſi per illos natus non fuíſſes: & retríbue illis, quómodo & illi tibi.

Lectio iij. *v.* 31. *ad fin.*

IN tota ánima tua time Dóminum; & ſacerdótes illíus ſanctífica. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit; & miníſtros ejus ne derelínquas. Honóra Deum ex tota ánima tua; & honorífica ſacerdótes, & propúrga te cum bráchiis. Da illis partem, ſicut mandátum eſt tibi, primitiárum & purgatiónis; & de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum, & ſacrifícium ſanctificatiónis ófferes Dómino, & inítia ſanctórum. Et paúperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Grátia dati in conſpéctu omnis vivéntis: & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non

deſis plorántibus in conſolatióne; & cum lugéntibus ámbula. Non te pigeat viſitáre infírmum; ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre noviſſima tua, & in ætérnum non peccábis.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

NE Clérici apud ſe libros hábeant, aut legant, quorum lectióne bene agéndi ſtúdium, morum diſciplína, & timor caritáſque Dei languéſcere poſſit: quales libri ſunt, qui res vel inánes, vel jocóſas, vel ſcúrriles, ridiculáſve, vel impúras cóntinent.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Sápiens non odit mandáta & juſtítias, & non illidétur quaſi in procélla navis. *Eccli.* 33. 2.

Oratio, Da, quæſumus, Dómine, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XIX. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 8. 19. *ad fin.*

CUm iracúndo non fácies rixam, & cum audáce non eas in deſértum; quóniam quaſi nihil eſt ante illum ſánguis; & ubi non eſt adjutórium, elidet te. Cum fátuis consílium non hábeas; non enim póterunt dilígere niſi quæ eis placent. Coram extráneo ne fácias consílium; neſcis enim quid páriet. Non omni hómini cor tuum maniféſtes; ne fortè ínferat tibi grátiam falſam, & convitiétur tibi.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *c.* 10. 1. *ad* 6.

JUdex ſápiens judicábit pópulum ſuum, & principátus ſenſáti ſtábilis erit. Secúndùm júdicem pópuli, ſic & miníſtri ejus: & qualis rector eſt civitátis, tales & inhabitántes in ea. Rex inſípiens perdet pópulum ſuum, & civitátes inhabitabúntur per ſenſum poténtium. In manu Dei potéſtas terræ; & útilem rectórem ſuſcitábit in tempus ſuper illam. In manu Dei proſpéritas hóminis, & ſuper fáciem ſcribæ impónet honórem ſuum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 7. *ad* 17.

ODíbilis coram Deo eſt, & homínibus, ſupérbia: & execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentem tranſfértur propter injuſtítias, & injúrias, & contumélias, & divérſos dolos. Aváro autem nihil eſt ſceléſtius. Quid ſupérbit terra & cinis? Nihil eſt iníquius quàm amáre pecúniam: hic enim & ánimam ſuam venálem habet; quóniam in vita ſua projécit íntima ſua. Omnis potentátûs brevis vita. Languor prolíxior

gravat médicum. Brevem languórem præcídit médicus : ſic & rex hódie eſt, & cras moriétur. Cùm enim moriétur homo, hereditábit ſerpéntes, & béſtias, & vermes. Inítium ſupérbiæ hóminis, apoſtatáre à Deo ; quóniam inítium omnis peccáti eſt ſupérbia : qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & ſubvértet eum in finem. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, & deſtrúxit eos uſque in finem. Sedes ducum ſuperbórum deſtrúxit Deus, & ſedére fecit mites pro eis.

℞. Si eſuríerit, 192.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 22. in cap. 10. Epiſt. 1. ad Corinth. in Moral. poſt init.

Lectio iv.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne différas de die in diem :] neſcis enim quid paritúra ſit ſuperventúra dies. Ex dilatióne quippe perículum ac metus náſcitur ; ex eo autem, quòd quis moram omnem ac cunctatiónem fúgiat, perſpícua & certa ſalus. Proínde virtútem arctíſſimè compléctere. Sic enim, ſive júvenis hinc abſcédas, tutò abſcédes : ſive ad ſenílem ætátem pervénias, cum ampliſſimis ópibus excédes, duplicémque lætítiam ac feſtivitátem per omnem vitam habébis, nimírum & à vítio ábſtinens, & virtútem amplèxans.

℞. Ne deſpícias, 192.

Lectio v.

CAve díxeris : Erit tempus cùm ad meliórem frugem reverténdum erit : hæc enim verba Deum majórem in modum ad iracúndiam cóncitant. Quid tandem eſt, quòd cùm ille infiníta tibi ſǽcula pollícitus ſit, tu contrà in præſénti hac vita quæ brevis ac fluxa eſt, nullum labórem ſuſcípere velis ; verùm ita diſſolútus & ignávus ſis, ut étiam hanc ipſam breviórem requíras ? Annon eædem comeſſatiónes quotídie ? annon eædem menſæ ? ... Annon éadem theátra ? annon eædem pecúniæ ? Quoúſque iſta, tanquam vera & ſólida amábis ? Quoúſque inexplébili vítii cupiditáte tenéberis ?

℞. Diſcíplinam, 193.

Lectio vj. *Poſt pauca.*

MEro te obruíſti, cibis te ingurgitáſti, rapuíſti ? Conſíſte jam, teque in contráriam viam refer. Deo grátias age, quòd te inter média peccáta haudquáquam abrípuit : ne álterum quoque tibi tempus ad flagitióſè vivéndum præfiníri póſtules. Multi, dum álios per avarítiam circumſcríberent, hinc abrépti ſunt, atque ad perſpícuas certáſque pœnas abſceſſérunt. Ne idem tibi áccidat, time. At, inquis, multis Deus

extréma quoque ſenectúte peccáta ſua confiténdi ſpátium concéſſit? Quid tum? An tibi quoque concédet? Concédet fortáſſe, inquis. Quid ais, Fortáſſe, & intérdum, & ſæpe? In mentem tibi véniat te de ánima tua consílium iníre. Contrárium étiam pone, tecúmque ita réputa, ac dic: Quid autem, ſi non concéſſerit? Tu contrà: Quid autem ſi concéſſerit, inquis? Concéſſit quidem ipſe. Verúntamen hoc illo tútius eſt & utílius.

℟. Vánitas, 193.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 22. 1. *ad* 14.

IN illo témpore; Reſpóndens Jeſus, dixit in parábolis Princípibus Sacerdótum & Phariſæis, dicens: Símile factum eſt regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio ſuo. Et miſit ſervos ſuos vocáre invitátos ad núptias, & nolébant veníre. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 38. *in Evang. poſt initium.*

IN hoc Pater Regi Fílio núptias fecit, quò ei per Incarnatiónis myſtérium ſanctam Eccléſiam ſociávit. Uterus autem genitrícis Vírginis, hujus ſponſi thálamus fuit. Unde & Pſalmíſta dicit: [In ſole póſuit tabernáculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.] Tanquam ſponſus quippe de thálamo ſuo procéſſit, quia ad conjungéndam ſibi Eccléſiam incarnátus Deus de incorrúpto útero Vírginis exívit. Miſit ergo ſervos ſuos, ut ad iſtas núptias amícos invitárent. Miſit ſemel, miſit íterum; quia Incarnatiónis Domínicæ prædicatóres ad invitándum miſit, & priùs Prophétas, & póſtmodum Apóſtolos fecit.

℟. Símile factum eſt regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio ſuo, & * Miſit ſervos ſuos vocáre invitátos, & nolébant veníre. *Matt.* 22. 2. 3. ℣. Hæc dicit Dóminus: Miſi ſervos meos Prophétas, & non audiérunt me, ſed induravérunt cervícem ſuam. *Jer.* 7. 25. 26. * Miſit.

Lectio viij. *Paulò poſt.*

SEquitur: [Illi autem neglexérunt; & abiérunt, álius in villam ſuam, álius verò in negotiatiónem ſuam.] In villam quippe ire, eſt labóri terréno immoderátè incúmbere; in negotiatiónem verò ire, eſt actiónum ſeculárium lucris inhiáre. Quia enim álius inténtus labóri terréno, álius verò mundi hujus actiónibus déditus, myſtérium Incarnatiónis Domínicæ penſáre, & ſecúndùm illud vívere diſſímulat; quaſi ad villam vel negótium pergens, veníre ad regis núptias recúſat.

℟. Miſit álios ſervos, di-

cens: Dícite invitátis: Veníte ad núptias. Illi neglexérunt; & * Abiérunt, álius in villam ſuam, álius in negotiatiónem ſuam. *Matt.* 22. 4. 5. ℣. Ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium, & non ſuſcípient illud: à minóre ad majórem omnes avarítiæ ſtudent. *Jer.* 6. 10. 13. * Abiérunt.

Lectio ix. *Multò inferiùs.*

INtrávit autem rex ut vidéret diſcumbéntes; & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiáli.] Quid, fratres cariſſimi, éxprimi per nuptiálem veſtem putámus? Si enim veſtem nuptiálem, baptíſma vel fidem dícimus, quis ſine baptíſmate & fide has núptias intrávit? Eo enim ipſo foris eſt, quo necdum crédidit. Quid ergo debémus intellígere nuptiálem veſtem, niſi caritátem? Intrat enim ad núptias, ſed cum nuptiáli veſte non intrat, qui in ſancta Eccléſia aſsiſtens, fidem habet, ſed caritátem non habet. Rectè enim cáritas, nuptiális veſtis vocátur; quia hanc in ſe Cónditor noſter hábuit, dum ad ſociándæ ſibi Eccléſiæ núptias venit. Solâ quippe dilectióne Dei actum eſt, ut ejus Unigénitus mentes ſibi electórum hóminum uníret. Unde & Joánnes dicit: [Sic enim Deus diléxit mundum, ut Filium ſuum unigénitum daret pro nobis.]

℟. Rex ait ſervis ſuis: Núptiæ quidem parátæ ſunt, ſed qui invitáti erant, non fuérunt digni. * Ite ergo ad éxitus viárum, & † Quoſcúnque invenéritis, vocáte ad núptias. *Matt.* 22. 8. 9. ℣. Sapiéntia propóſuit menſam ſuam: miſit ancíllas ſuas, ut vocárent ad arcem. *Prov.* 9. 2. 3. * Ite. Glória. † Quoſcúnque.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Intrávit rex ut vidéret diſcumbéntes, & vidit ibi hóminem non veſtítum veſte nuptiáli; & ait illi: Quómodo huc intráſti non habens veſtem nuptiálem? At ille obmútuit. *Matt.* 22. 11. 12.

Oratio.

DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia; & te ſolum Deum purâ mente ſectári; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Pariſiénſi.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 50.

NE in Domínica die mercátus, plácita, & rurália quæque ópera, necnon & quáſlibet carrigatiónes ullíus conditiónis hómines fácere præſúmant; quóniam dum hæc agunt, & decus chriſtianitátis offúſcant, & nomen Chriſti blaſphemántibus locum ámpliùs detrahéndi attríbuunt.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Dixit rex miniſtris: Ligátis mánibus, & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres; ibi erit f[illegible]

ſtridor déntium. Multi enim ſunt vocáti, pauci verò eléɑi. *Matt.* 22. 13. 14.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 11. 4. *ad* 10.

IN veſtítu ne gloriéris unquam, nec in die honóris tui extolláris; quóniam mirabília ópera Altíſſimi ſolíus, & glorióſa, & abſcónſa, & invíſa ópera illíus. Multi tyránni ſedérunt in throno, & inſuſpicábilis portávit diadéma. Multi poténtes oppréſſi ſunt válidè; & glorióſi tráditi ſunt in manus alterórum. Priúſquam intérroges, ne vitúperes quenquam: & cùm interrogáveris, córripe juſtè. Priúſquam aúdias, ne reſpóndeas verbum: & in médio ſermónum ne adjícias loqui. De ea re, quæ te non moléſtat, ne certéris: & in judício peccántium ne consíſtas. Fili, ne in multis ſint actus tui: & ſi dives fúeris, non eris immúnis à delícto.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *c.* 13. 1. *ad* 7.

QUi tetígerit picem, inquinábitur ab ea: & qui communicáverit ſupérbo, induet ſupérbiam. Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtióri ſe commúnicat. Et ditióri te ne ſócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim ſe collíſerint, confringétur. Dives injúſtè egit, & fremet: pauper autem læſus tacébit. Si largítus fúeris; aſſúmet te; & ſi non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum, & evacuábit te; & ipſe non dolébit ſuper te. Si neceſſárius illi fúeris, ſupplantábit te; & ſubrídens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus eſt tibi?

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *v.* 12. *ad* 19.

ADvocátus à potentióre, diſcéde; ex hoc enim magis te advocábit. Ne improbus ſis, ne impingáris; & ne longè ſis ab eo, ne eas in obliviónem. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illíus; ex multa enim loquéla tentábit te, & ſubrídens interrogábit te de abſcónditis tuis. Immítis ánimus illíus conſervábit verba tua; & non parcet de malítia, & de vínculis. Cave tibi, & atténde diligénter audítui tuo; quóniam cum ſubverſióne tua ámbulas. Aúdiens verò illa quaſi in ſomnis vide, & vigilábis. Omni vitâ tuâ dílige Deum, & ínvoca illum in ſalúte tua. Omne ánimal díligit símile ſibi: ſic & omnis homo próximum ſibi.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénſi.

An. 813. *can.* 4.

OPportúnum dúcimus, ut humilitátem atque religiónem & in vultu, & in ópe-

re, & in hábitu, & in ſermóne demónſtrent Epíſcopi; ut bene agéntes, & hábitu & vultu demúlceant; malè agéntibus verò ipſo ſuo viſu terríbiles ſint.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 13. 23. *ad* 30.

VEnátio leónis, ónager in erémo; ſic & páſcua dívitum ſunt paúperes. Et ſicut abominátio eſt ſupérbo humílitas; ſic & execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis ſuis; húmilis autem, cùm cecíderit, expellétur & à notis. Díviti decepto multi recuperatóres: locútus eſt ſupérba, & juſtificavérunt illum: húmilis decéptus eſt, ínſuper & argúitur; locútus eſt ſenſátè, & non eſt datus ei locus. Dives locútus eſt, & omnes tacuérunt, & verbum illíus uſque ad nubes perdúcent. Pauper locútus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offénderit, ſubvértent illum. Bona eſt ſubſtántia, cui non eſt peccátum in conſciéntia: & nequíſſima paupértas in ore ímpii.

℞. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *c.* 14. 1. *ad* 8.

BEátus vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulátus in triſtítia delícti. Felix, qui non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non éxcidit à ſpe ſua. Viro cúpido & tenáci ſine ratióne eſt ſubſtántia, & hómini lívido ad quid aurum? Qui acérvat ex ánimo ſuo injúſtè, áliis cóngregat, & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui ſibi nequam eſt, cui álii bonus erit? & non jucundábitur in bonis ſuis. Qui ſibi ínvidet, nihil eſt illo néquius, & hæc reddítio eſt malítiæ illíus: & ſi bene fécerit, ignoránter, & non volens facit; & in noviſſimo maniféſtat malítiam ſuam.

℞. Diſciplínam, 193.

Lectio iij. *v.* 9. *ad* 17.

INſatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis: non ſatiábitur donec conſúmat aref áciens ánimam ſuam. Oculus malus ad mala: & non ſatiábitur pane; ſed índigens, & in triſtítia erit ſuper menſam ſuam. Fili, ſi habes, bénefac tecum, & Deo dignas oblatiónes offer. Memor eſto quóniam mors non tardat, & teſtaméntum inferórum quia demonſtrátum eſt tibi: teſtaméntum enim hujus mundi, morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, & ſecúndùm vires tuas expórrigens da paúperi. Non defraudéris à die bono, & partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres, & labóres tuos in diviſióne ſortis? Da, & áccipe, & juſtífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre juſtítiam; quóniam non eſt apud ínferos inveníre cibum.

℞. Vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 14.

PAſtóres ſuſcéptum curæ Paſtorális officium miniſtráre dignè tantò magìs néqueunt, quantò ad humilitátis magiſtérium ex ſola elatióne pervenérunt.

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j.

*c.*20.31. *ad fin.* & *c.*21.1. *ad* 5.

XEnia & dona excæcant óculos júdicum, & quaſi mutus in ore avértit correptiónes eórum. Sapiéntia abſcónſa, & theſaúrus inviſus, quæ utílitas in utríſque? Mélior eſt qui celat inſipiéntiam ſuam, quàm homo qui abſcóndit ſapiéntiam ſuam. Fili, peccáſti? non adjícias íterum: ſed & de priſtinis deprecáre, ut tibi dimittántur. Quaſi à facie cólubri fuge peccáta; & ſi accéſſeris ad illa, ſuſcípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficiéntes ánimas hóminum. Quaſi rhomphæa bis acúta, omnis iníquitas; plagæ illíus non eſt ſánitas. Objurgátio, & injúriæ annullábunt ſubſtántiam: & domus quæ nimis locúples eſt, annullábitur ſupérbiâ: ſic ſubſtántia ſupérbi eradicábitur.

℟. Da mihi, 191.

Lectio ij. *v.* 25. 1. *ad* 8.

IN tribus plácitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probáta coram Deo, & homínibus: Concórdia fratrum; & amor proximórum; & vir & múlier bene ſibi conſentiéntes. Tres ſpécies odívit ánima mea, & ággravor valde ánimæ illórum: Paúperem ſupérbum; dívitem mendácem; ſenem fátuum & inſenſátum. Quæ in juventúte tua non congregáſti, quómodo in ſenectúte tua invénies? Quàm ſpecióſum canitiéi judícium, & preſbyteris cognóſcere consílium! Quàm ſpecióſa veteránis ſapiéntia, & glorióſis intelléctus, & consílium! Coróna ſenum, multa perítia; & glória illórum, timor Dei.

℟. Vidi, 191.

Lectio iij. *c.* 28. 1. *ad* 10.

QUi vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam; & peccáta illíus ſervans ſervábit. Relínque próximo tuo nocénti te; & tunc deprecánti tibi peccáta ſolvéntur. Homo hómini reſérvat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem ſibi non habet miſericórdiam, & de peccátis ſuis deprecátur? Ipſe cùm caro ſit, reſérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delíctis illíus? Meménto noviſſimórum, & déſine inimicári: tabitúdo enim & mors imminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, & non iraſcáris próximo. Memoráre teſtaméntum Altíſſimi, & déſpice ignorántiam próximi.

Abſtine te à lite, & minues peccáta.

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 17.

HUmílitas, ſi céteris quoque virtútibus cíngitur, tunc ante óculos Dei vera eſt, cùm ad reſpuéndum hoc quod utíliter ſubíre præcípitur, pértinax non eſt.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 31. 18. *ad* 24.

INtéllige quæ ſunt próximi tui ex teípſo. Utere quaſi homo frugi his quæ tibi apponúntur; ne, cùm mandúcas multùm, ódio habeáris. Ceſſa prior causâ diſciplínæ: & noli nímius eſſe, ne fortè offéndas. Et ſi in médio multórum ſedíſti, prior illis ne exténdas manum tuam, nec prior poſcas bíbere. Quàm ſufficiens eſt hómini erudíto vinum exíguum; & in dormiéndo non laborábis ab illo, & non ſénties dolórem. Vigília, chólera, & tortúra viro infruníto: ſomnus ſanitátis in hómine parco; dórmiet uſque manè, & ánima illíus cum ipſo delectábitur.

℟. Ne deſpícias, 192.

Lectio ij. *v.* 26. *ad* 34.

AUdi me, fili, & ne ſpernas me; & in novíſſimo invénies verba mea. In ómnibus opéribus tuis eſto velox, & omnis infírmitas non occurret tibi. Spléndidum in pánibus benedícent lábia multórum, & teſtimónium veritátis illíus fidéle. Nequíſſimo in pane murmurábit cívitas, & teſtimónium nequítiæ illíus verum eſt. Diligéntes in vino noli provocáre; multos enim exterminávit vinum. Ignis probat ferrum durum: ſic vinum corda ſuperbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus, vinum in ſobrietátè: ſi bibas illud moderáte, eris ſóbrius. Quæ vita eſt ei, qui minúitur vino? Quid defraúdat vitam? Mors.

℟. Diſciplínam Dómini, 193.

Lectio iij. *v.* 35. *ad fin.*

VInum in jucunditátem creátum eſt, & non in ebrietátem, ab inítio. Exultátio ánimæ, & cordis, vinum moderátè potátum. Sánitas eſt ánimæ & córpori ſóbrius potus. Vinum multum potátum, irritatiónem, & iram, & ruínas multas facit. Amaritúdo ánimæ, vinum multum potátum. Ebrietátis animóſitas, imprudéntis offénſio, minórans virtútem, & fáciens vúlnera. In convívio vini non árguas próximum; & non deſpícias eum in jucunditáte illíus; verba impropérii non dicas illi; & non premas illum in repeténdo.

℣. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas, 193.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 17.

NOn verè eſt húmilis, qui ſupérni nutûs arbítrio, ut débeat præéſſe intélligit, & tamen contémnit. Divínis diſpoſitiónibus ſúbditus, atque à vítio obſtinatiónis aliénus, cùm ſibi regíminis culmen impónitur, ſi jam donis prævéntus eſt, quibus & áliis proſit, & ex corde debet fúgere, & invítus obedíre.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. *c.* 32. 9. *ad* 17.

AUdi tacens, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléſcens lóquere in tua cauſa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput reſpónſum tuum. In multis eſto quaſi ínſcius, & audi tacens ſimul, & quærens. In médio magnatórum non præſúmas: & ubi ſunt ſenes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruſcátio: & ante verecúndiam præíbit grátia, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et horâ ſurgéndi non te trices; præcúrre autem prior in domum tuam, & illic avocáre, & illic lude, & age conceptiónes tuas, & non in delíctis, & verbo ſupérbo. Et ſuper his ómnibus benedícito Dóminum qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis ſuis.

℞. Da mihi, 191.

Lectio ij. *c.* 32. 24. *ad fin.* & *c.* 33. 1. *ad* 3.

FIli, ſine consílio nihil fácias, & poſt factum non pœnitébis. In via ruínæ non eas, & non offéndes in lápides: nec credas te vitæ laborióſæ, ne ponas ánimæ tuæ ſcándalum: & à fíliis tuis cave, & à doméſticis tuis atténde. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ; hoc eſt enim conſervátio mandatórum. Qui credit Deo, atténdit mandátis: & qui confídit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occúrrent mala; ſed in tentatióne Deus illum conſervábit, & liberábit à malis. Sápiens non odit mandáta & juſtítias, & non illidétur quaſi in procélla navis. Homo ſenſátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℞. Vidi, 191.

Lectio iij. *c.* 34. 24. *ad fin.*

QUi offert ſacrifícium ex ſubſtántia paúperum, quaſi qui víctimat fílium in conſpéctu patris ſui. Panis egéntium, vita paúperum eſt: qui defraúdat illum, homo ſánguinis eſt. Qui aufert in ſudóre panem, quaſi qui occídit próximum ſuum. Qui effúndit ſánguinem, & qui fraudem facit mercenário, fratres ſunt. Unus ædíficans, & unus déſtruens; quid prodeſt illis niſi labor? Unus orans, & unus maledícens; cujus vocem

exaúdiet Deus? Qui baptizátur à mórtuo, & íterum tangit eum; quid próficit lavátio illíus? Sic homo qui jejúnat in peccátis ſuis, & íterum éadem fáciens, quid próficit humiliándo ſe? oratiónem illíus quis exaúdiet?

℟. Si eſuríerit, 192.

CANON.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *An. 829. lib. 1. cap. 1.*

FIdes vera & fructuóſa eſſe non poteſt, niſi bonis opéribus exornétur; id eſt, fide, ſpe, caritáte; humilitáte, caſtitáte, continéntiâ, ſobrietáte, unanimitáte, concórdiâ, juſtítiâ, pietáte, miſericórdiâ, innocéntiâ, & ſimplicitáte, & céteris his ſimílibus, quæ ómnia in dilectióne Dei & próximi conſíſtunt.

SABBATO.

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. c. 37. 15. ad 23.

CUm viro ſancto aſsíduus eſto, quemcúnque cognóveris obſervántem timórem Dei; cujus ánima eſt ſecúndùm ánimam tuam; & qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii ſtátue tecum: non eſt enim tibi áliud pluris illo. Anima viri ſancti enúntiat aliquándo vera, quàm ſeptem circunſpectóres ſedéntes in excélſo ad ſpeculándum. Et in his ómnibus deprecáre Altíſſimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te; & ante omnem actum, consílium ſtábile. Verbum nequam immutábit cor: ex quo partes quátuor oriúntur, bonum & malum, vita & mors; & dominátrix illórum eſt aſsídua língua. Eſt vir aſtútus multórum erudítor, & ánimæ ſuæ inútilis eſt. Vir péritus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuávis eſt. Qui ſophíſticè lóquitur, odíbilis eſt; in omni re defraudábitur.

Si fiat de Sabbato, ℟℟. ſumuntur ex II. Nocturno Dominica XV. 192.

Lectio ij. c. 41. 1. ad 7.

O Mors, quàm amára eſt memória tua hómini pacem habénti in ſubſtántiis ſuis! viro quiéto, & cujus viæ diréctæ ſunt in ómnibus, & adhuc valénti accípere cibum! O mors, bonum eſt judícium tuum hómini indigénti, & qui minorátur víribus; deféćto ætáte, & cui de ómnibus cura eſt, & incredíbili, qui perdit patiéntiam! Noli metúere judícium mortis. Meménto quæ ante te fuérunt, & quæ ſuperventúra ſunt tibi: hoc judícium à Dómino omni carni. Et quid ſupervéniet tibi in beneplácito Altíſſimi? ſive decem, ſive centum, ſive mille anni. Non eſt enim in inférno accuſátio vitæ.

Lectio iij. v. 11. ad 17.

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquíſtis legem Dó-

mini altiſſimi. Et ſi nati fuéritis, in maledictióne naſcémini; & ſi mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars veſtra. Omnia quæ de terra ſunt, in terram converténtur; ſic ímpii à maledícto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipſórum: nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine; hoc enim magìs permanébit tibi, quàm mille theſaúri pretióſi & magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Diſciplínam in pace conſerváte, filii.

CANON.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *An.* 829. *lib.* 1. *cap.* 12.

OMnibus Sacerdótibus illa ſpeciáliter ſenténtia beáti Gregórii ante óculos conſtituénda eſt, in qua inter cétera; Cùm rerum, inquit, necéſſitas expoſcit, penſándum valde eſt, ad culmen quiſque regíminis quáliter véniat; atque ad hoc ritè pervéniens, quáliter vivat; & bene vivens, quáliter dóceat; & rectè docens, infirmitátem ſuam quotídie quantâ valet conſideratióne cognóſcat.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *irr.* c. Ezéchiel vidit conſpéctum glóriæ, quam oſténdit illi in curru Chérubim. *Eccli.* 49. 10.

Oratio, Dírigat corda noſtra, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XX. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis prophétæ.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

ET factum eſt in trigéſimo anno, in quarto, in quinta menſis, cùm eſſem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti ſunt cœli, & vidi viſiónes Dei. In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus tranſmigratiónis regis Jóachin, factum eſt verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi, ſacerdótem in terra Chaldæórum, ſecus flumen Chobar: & facta eſt ſuper eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; & nubes magna, & ignis invólvens, & ſplendor in circúitu ejus: & de médio ejus quaſi ſpécies eléctri, id eſt, de médio ignis.

℞. Mitto ego te ad filios Iſraël, ad gentes apoſtatríces: ipſi & patres eórum prævaricáti ſunt pactum meum uſque ad diem hanc, * Filii durâ fácie, & indomábili corde ſunt. *Ezech.* 2. 3. 4. ℣. Quemádmodum Jannes & Mambres reſtitérunt Móyſi, ita & hi resíſtunt veritáti. 2. *Tim.* 3. 8. * Filii.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 9.

ET in médio ejus ſimilitúdo quátuor animálium: & hic aſpéctus eórum, ſimilitúdo

túdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum, pedes recti; & planta pedis eórum, quaſi planta pedis vítuli; & ſcintíllæ, quaſi aſpéctus æris candéntis. Et manus hóminis ſub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies, & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cùm incéderent, ſed unumquódque ante fáciem ſuam gradiebátur.

℟. Væ prophétis inſipiéntibus, qui ſequúntur ſpíritum ſuum: * Erit manus mea ſuper prophétas qui vident vana, eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non eſt pax. *Ezech.* 13. 3. 9. 10. ℣. Fuérunt pſeudoprophétæ in pópulo, ſicut & in vobis erunt magíſtri mendáces. 2. *Petr.* 2. 1. * Erit manus mea.

Lectio iij. *v.* 10. *ad* 13.

Similitúdo autem vultûs eórum, fácies hóminis; & fácies leónis, à dextris ipſórum quátuor: fácies autem bovis, à ſiníſtris ipſórum quátuor; & fácies áquilæ déſuper ipſórum quátuor. Fácies eórum & pennæ eórum exténtæ déſuper; duæ pennæ ſingulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum; & unumquódque eórum coram fácie ſua ambulábat: ubi erat ímpetus ſpíritûs, illuc gradiebantur, nec revertebántur cùm ambulárent. Et ſimilitúdo animálium, aſpéctus eórum quaſi carbónum ignis ardéntium, & quaſi aſpéctus lampadárum.

℟. Vivo ego, dicit Dóminus Deus: * Vir ſi fúerit juſtus, ad uſúram non commodáverit, & ámpliùs non accéperit, † Hic juſtus eſt, vitâ vivet. *Ezech.* 18. 5. 5. 8. 9. ℣. Mútuum date, nihil inde ſperántes; & erit mercès veſtra multa. *Luc.* 6. 35. * Vir ſi fúerit juſtus. Glória. † Hic juſtus eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi de Civitáte Dei.

Lectio iv. *Lib.* 18. *cap.* 34. §. 1.

IN ipſa Babylóniæ captivitáte priùs prophetavérunt Dániel & Ezéchiel, duo ex prophétis majóribus. Quorum Dániel étiam tempus, quo ventúrus fúerat Chriſtus atque paſſúrus, número definívit annórum: quod longum eſt computándo monſtráre, & ab áliis factitátum eſt ante nos. De poteſtáte verò ejus & glória ſic locútus eſt: [Vidébam, (inquit) in viſu noctis, & ecce cum núbibus cœli ut Filius hóminis véniens erat, & uſque ad Vetúſtum diérum pervénit; & in conſpéctu ejus prælátus eſt; & ipſi datus eſt principátus, & honor, & regnum: & omnes pópuli, tribus & linguæ ipſi ſérvient. Po-

ejus, potéſtas perpétua, quæ non tranſibit; & regnum ejus non corrumpétur.]

℟. Dies multos ſedébunt filii Iſraël ſine rege, & ſine ſacrificio, & ſine altári:* Et poſt hæc reverténtur, & quærent Dóminum Deum ſuum. *Oſee* 3 4.5. ℣ Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitúdo géntium intráret. *Rom.* 11.25. * Et poſt hæc.

Lectio v.

EZéchiel quoque more prophético per David Chriſtum ſigníficans, quia carnem de David ſémine aſſúmpſit; propter quam formam ſervi, quâ factus eſt homo, étiam ſervus Dei dícitur idem Dei Fílius; ſic eum prophetándo prænúntiat ex perſóna Dei Patris: [Et ſuſcitábo, (inquit) ſuper pécora mea paſtórem unum qui paſcat ea, ſervum meum David: & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, & ſervus meus David princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus ſum.]

℟. Nunquid placári poteſt Dóminus in míllibus aríetum? * Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te: Utique fácere judícium, & dilígere miſericórdiam. *Mich.* 6. 7. 8. ℣. Qui vult dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & ſequátur eam. 1. *Petr.* 3.10. 11. * Indicábo.

Lectio vj.

ET álio loco: [Et rex, (inquit) unus erit ómnibus ímperans: & non erunt ultrà duæ gentes, nec dividéntur ámpliùs in duo regna: neque polluéntur ultrà in idólis ſuis, & abominatiónibus ſuis, & in cunctis iniquitátibus ſuis. Et ſalvos eos fáciam de univérſis ſédibus ſuis, in quibus peccavérunt, & mundábo eos: & erunt mihi pópulus, & ego ero illis Deus: & ſervus meus David rex ſuper eos, & paſtor unus erit ómnium eórum.]

℟. In odórem ſuavitátis ſuſcípiam vos, * Et ſanctificábor in vobis, & recordabímini ſcélerum veſtrórum, & † Diſplicébitis vobis in ómnibus malítiis veſtris. *Ezech.* 20. 41. 43. ℣. Sicut exhibuíſtis membra veſtra iniquitáti, ita nunc exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ in ſanctificatiónem. *Rom.* 4. 19. * Et ſanctificábor. Glória. † Diſplicébitis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 4. 46. *ad* 53.

IN illo témpore; Erat quidam régulus cujus fílius infirmabátur Caphárnaüm. Hic cùm audíſſet quia Jeſus adveníret à Judæa in Galilæam, ábiit ad eum; & rogábat eum ut deſcénderet, & ſanáret fílium ejus; (incipiébat enim mori.) Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 28. in Evang. post initium.

QUid eſt quod régulus rogat, ut ad ejus filium véniat, & tamen ire corporáliter recúſat; ad ſervum verò Centuriónis non invitátur, & tamen ſe corporáliter ire pollicétur? Réguli fílio per corporálem præſéntiam non dignátur adéſſe, Centuriónis ſervo non dedignátur occúrrere. Quid eſt hoc, niſi quòd ſupérbia noſtra retúnditur, qui in homínibus non natúram quâ ad imáginem Dei facti ſunt, ſed honóres & divítias venerámur? Cúmque penſámus quæ circa eós ſunt, profécto interióra mínimè providémus: dum ea conſiderámus, quæ in corpóribus deſpécta ſunt: neglígimus penſáre quod ſunt. Redémptor verò noſter ut oſténderet quia quæ alta ſunt hóminum, deſpiciénda ſunt; & quæ deſpécta ſunt hóminum, deſpiciénda non ſunt; ad fílium réguli ire nóluit, ad ſervum Centuriónis ire parátus fuit.

℞. Cùm audíſſet régulus quia Jeſus adveníret à Judæa in Galilæam, ábiit ad eum; * Et rogábat eum ut deſcénderet, & ſanáret fílium ejus; incipiébat enim mori. *Joan.* 4. 47. ℣. Deprecabátur Dóminum, dicens; Dómine mi, ádjuva me: præter te nullus eſt auxiliátor álius. *Eſth.* 14. 3. * Et rogábat.

Lectio viij. *Paulò pòſt.*

CErtè ſi nos cujúſpiam ſervus rogáret, ut ad eum ire deberémus, prótinus nobis noſtra ſupérbia in cogitatióne tácita reſpondéret, dicens: Non eas, quia temetípſum degéneras, honor tuus deſpícitur, locus viléſcit. Ecce de cœlo venit, qui ſervo in terra occúrrere non déſpicit: & tamen humiliári in terra contémnimus, qui de terra ſumus. Quid verò apud Deum vílius, quid deſpéctius eſſe poteſt, quàm ſerváre honórem apud hómines, & interni teſtis óculos non timére? Unde & in ſacro Evangélio ad Phariſæos Dóminus ait: [Vos eſtis qui juſtificátis vos coram homínibus, Deus autem novit corda veſtra: quia quod homínibus altum eſt, abominábile eſt apud Deum.]

℞. Dixit Jeſus, Niſi ſigna & prodígia vidéritis, non créditis. Dicit régulus: Dómine, deſcénde, priúſquam moriátur fílius meus. * Dicit ei Jeſus: Vade, fílius tuus vivit. *Joan.* 4. 48. 49. 50. ℣. Sermo tuus, Dómine, hos qui in te credíderint, conſervat. *Sap.* 16. 26. * Dicit ei.

Lectio ix.

NOtáte, fratres, notáte quod dícitur: Si enim quod homínibus altum eſt,

abominábile eſt apud Deum; cordis noſtri cogitátio tantò apud Deum in imo eſt, quantò homínibus in alto: & humílitas cordis noſtri tantò apud Deum in alto eſt, quantò homínibus in imo. Deſpiciámus ergo, ſi quid boni gérimus; nulla nos noſtra inflet operátio, non rerum abundántia, non glória extóllat. Si quibúſlibet ex bonis affluéntibus intus intuméſcimus, Deo deſpécti ſumus.

℟. Crédidit homo ſermóni quem dixit Jeſus, & ibat: jam autem * Eo deſcendénte † Servi occurrérunt ei, dicéntes: quia filius ejus víveret. *Joan.* 4. 50. 51. ℣. Nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt. *Eccli.* 2. 11. * Eo deſcendénte. Glória. † Servi.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Dixérunt ſervi: quia herì horâ ſéptimâ relíquit eum febris. Cognóvit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit. *Joan.* 4. 52. 53.

Oratio.

DIrigat corda noſtra, quæſumus, Dómine, tuæ miſeratiónis operátio; quia tibi ſine te placére non póſſumus. Per Dóminum.

CANON.

Ex Synodo Trecénſi.

An. 1459. *loc.* 1. *fol.* 92.

PRæcípimus Preſbyteris, ut ſuis Parochiánis inhíbeant, ne quándiu Miſſa Parochiális Eccléſia celebrátur diébus Domínicis & feſtivis, máximè ſolémnibus, áliquos in ſuis tabérnis recípiant pro potándo, niſi fúerint tranſeúntes, vel necéſſitas aliquális eos ad hoc indúcat.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Crédidit régulus, & domus ejus tota. Hoc ſecúndum ſignum fecit Jeſus, cùm veníſſet à Judæa in Galilæam. *Joan.* 4. 53. 54.

EERIA SECUNDA.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 2. 3. *ad* 7.

FIli hóminis, mitto ego te ad filios Iſraël, ad gentes apoſtatríces, quæ receſſérunt à me: ipſi & patres eórum prævaricáti ſunt pactum meum, uſque ad diem hanc. Et filii durâ fácie, & indomábili corde ſunt, ad quos ego mitto te; & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè vel ipſi aúdiant, & ſi fortè quiéſcant, quóniam domus exáſperans eſt: & ſcient quia prophéta fúerit in médio eórum. Tu ergo, fili hóminis, ne tímeas eos, neque ſermónes eórum métuas; quóniam incréduli & ſubverſóres ſunt tecum, & cum ſcorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, & vultus eórum ne formídes, quia domus exáſperans eſt. Loquéris ergo verba mea ad eos, ſi fortè aúdiant, & quiéſcant; quóniam irritatóres ſunt.

℟. Mitto ego te, 240.

Lectio ij. *c.* 3. 4. *ad* 9.

ET dixit ad me : Fili hóminis, vade ad domum Iſraël, & loquéris verba mea ad eos. Non enim ad pópulum profúndi ſermónis, & ignótæ linguæ tu mítteris, ad domum Iſraël : neque ad pópulos multos profúndi ſermónis, & ignótæ linguæ, quorum non poſſis audíre ſermónes : & ſi ad illos mitteréris, ipſi audírent te. Domus autem Iſraël nolunt audíre te, quia nolunt audíre me ; omnis quippe domus Iſraël attrítâ fronte eſt, & duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, & fróntem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamántem, & ut sílicem dedi fáciem tuam : ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum ; quia domus exáſperans eſt.

℟. Væ prophétis, 241.

Lectio iij. *v.* 17. *ad* 21.

FIli hóminis, ſpeculatórem dedi te dómui Iſraël ; & aúdies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. Si dicénte me ad ímpium : Morte moriéris, non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur à via ſua ímpia, & vivat ; ipſe ímpius in iniquitáte ſua moriétur, ſánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, & ille non fúerit convérſus ab impietáte ſua, & à via ſua ímpia ; ipſe quidem in iniquitáte ſua moriétur, tu autem ánimam tuam liberáſti. Sed & ſi convérſus juſtus à juſtítia ſua fúerit, & fécerit iniquitátem ; ponam offendículum coram eo, ipſe moriétur, quia non annuntiáſti ei ; in peccáto ſuo moriétur, & non erunt in memória juſtítiæ ejus quas fecit : ſánguinem verò ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris juſto, ut non peccet juſtus, & ille non peccáverit ; vivens vivet, quia annuntiáſti ei ; & tu ánimam tuam liberáſti.

℟. Vivo ego, 241.

CANON.

Ex Concílio Ticinénſi.

An. 850. *cap.* 4.

SIt Sacerdótis elóquium ſpiritáli ſale condítum ... Purgétur ... ab omni levitáte & jactántia dígnitas Epiſcopális ; ut ómnibus Chriſtiánis bonæ converſatiónis ſpéculum fieri váleat.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 9. 3. *ad* 7.

GLória Dómini Iſraël aſſúmpta eſt de Cherub, quæ erat ſuper eum ad limen domûs : & vocávit virum qui indútus erat líneis, & atramentárium ſcriptóris habébat in lumbis ſuis. Et dixit Dóminus ad eum : Tranſi per médiam civitátem in médio Jeruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virór

geméntium, & doléntium ſuper cunctis abominatiónibus, quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiénte me: Tranſíte per civitátem ſequéntes eum, & percútite; non parcat óculus veſter, neque miſereámini: Senem, adoleſcéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres interfícite uſque ad interneciónem; omnem autem ſuper quem vidéritis Thau, ne occidátis, & à ſanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo à viris ſenióribus qui erant ante fáciem domûs. Et dixit ad eos: Contamináte domum, & impléte átria interféctis: egredímini. Et egréſſi ſunt, & percutiébant eos qui erant in civitáte.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *c.* 13. 1. *ad* 7.

ET factus eſt ſermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Iſraël, qui prophétant, & dices prophetántibus de corde ſuo: Audíte verbum Dómini; Hæc dicit Dóminus Deus: Væ prophétis inſipiéntibus, qui ſequúntur ſpíritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſértis, prophétæ tui, Iſraël, erant. Non aſcendiſtis ex advérſo, neque oppoſuíſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtarétis in prælio in die Dómini. Vident vana, & divínant mendácium, dicéntes: Ait Dóminus, cùm Dóminus non míſerit eos: & perſeveravérunt confirmáre ſermónem. Nunquid non viſiónem caſſam vidiſtis, & divinatiónem mendácem locúti eſtis? Et dícitis: Ait Dóminus, cùm ego non ſim locútus.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij. *v.* 8. *ad* 11.

PRoptérea hæc dicit Dóminus Deus: Quia locúti eſtis vana, & vidíſtis mendácium; ídeo ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus: Et erit manus mea ſuper prophétas, qui vident vana, & dívinant mendácium: in consílio pópuli mei non erunt, & in ſcriptúra domûs Iſraël non ſcribéntur; nec in terram Iſraël ingrediéntur: & ſciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto abſque páleis. Dic ad eos qui líniunt abſque temperatúra, quòd caſúrus ſit: erit enim imber inúndans, & dabo lápides prægrándes déſuper irruéntes, & ventum procéllæ diſſipántem.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Turonénſi primo.

An. 461. *can.* 1.

SAcerdótes vel miníſtri Eccléſiæ de quibus dictum eſt, Vos eſtis lux mundi, ita in omni ſancta converſatióne à Dei timóre actus ſuos diri-

gant, ut & divínæ poſſint placére cleméntiæ, & bonum fidélibus præbeant exémplum.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 13. 18. *ad* 21.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ quæ cónſuunt pulvíllos ſub omni cúbito manûs; & fáciunt cervicália ſub cápite univérſæ ætátis ad capiéndas ánimas: & cùm cáperent ánimas pópuli mei, vivificábant ánimas eórum. Et violábant me ad pópulum meum propter pugíllum hórdei, & fragmen panis, ut interfícerent ánimas quæ non moriúntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentiéntes pópulo meo credénti mendáciis. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad pulvíllos veſtros, quibus vos cápitis ánimas volántes; & dirúmpam eos de bráchiis veſtris; & dimíttam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volándum. Et dirúmpam cervicália veſtra, & liberábo pópulum meum de manu veſtra, neque erunt ultrà in mánibus veſtris ad prædándum: & ſciétis quia ego Dóminus.

℟. Mitto ego te, 240.

Lectio ij. *c.* 14. 4. *ad* 7.

HÆc dicit Dóminus Deus: Homo, homo de domo Iſraël, qui poſúerit immundítias ſuas in corde ſuo, & ſcándalum iniquitátis ſuæ ſtatúerit contra fáciem ſuam, & vénerit ad prophétam intérrogans per eum me; ego Dóminus reſpondébo ei in multitúdine immunditiárum ſuárum, ut capiátur domus Iſraël in corde ſuo, quo receſſérunt à me in cunctis idólis ſuis. Proptérea dic ad domum Iſraël: Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini, & recédite ab idólis veſtris, & ab univérſis contaminatiónibus veſtris avértite fácies veſtras. Quia homo, homo de domo Iſraël, & de proſélytis quicúnque ádvena fúerit in Iſraël, ſi alienátus fúerit à me, & poſúerit idóla ſua in corde ſuo, & ſcándalum iniquitátis ſuæ ſtatúerit contra fáciem ſuam, & vénerit ad prophétam ut intérroget per eum me; ego Dóminus reſpondébo ei per me.

℟. Væ prophétis, 241.

Lectio iij. *v.* 9. *ad* 13.

ET prophéta cùm errāverit, & locútus fúerit verbum; ego Dóminus decépi prophétam illum; & exténdam manum meam ſuper illum, & delébo eum de médio pópuli mei Iſraël. Et portábunt iniquitátem ſuam; juxta iniquitátem interrogántis, ſic iníquitas prophétæ erit: ut non erret ultrà domus Iſraël à me, neque polluátur in univérſis prævaricatiónibus ſuis; ſed ſint mihi in pópulum, & ego ſim eis in Deum, ait Dóminus exercítuum. Et factus eſt ſermo Dómini ad me,

dicens : Fili hóminis, terra cùm peccáverit mihi, ut prævaricétur prævaricans, exténdam manum meam ſuper eam, & cónteram virgam panis ejus; & immíttam in eam famem, & interfíciam de ea hóminem, & juméntum.

℟. Vivo ego, 241.

CANON

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *in decretis morum, cap.* 25.

IN converſatióne cum Láïcis, ita ſe hábeant Clérici, ut neque ex nímia familiaritáte, aut converſatióne æquáli, reddátur contémptus dignitátis; neque ex nímia auſteritáte, faſtu, aut pompa, ſupérbi aut plus æquo eláti judicéntur.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 18. 4. *ad* 9.

ECce omnes ánimæ, meæ ſunt : ut ánima patris, ita & ánima fílii mea eſt : ánima quæ peccáverit, ipſa moriétur. Et vir ſi fúerit juſtus, & fécerit judícium, & juſtítiam; in móntibus non coméderit, & óculos ſuos non leváverit ad idóla domûs Iſraël; & uxórem próximi ſui non violáverit, & ad mulíerem menſtruátam non accéſſerit; & hóminem non contriſtáverit; pignus debitóri réddiderit ; per vim nihil rapúerit; panem ſuum eſuriénti déderit ; & nudum operúerit veſtiménto ; ad uſúram non commodáverit, & ámpliùs non accéperit; ab iniquitáte avérterit manum ſuam, & judícium verum fécerit inter virum & virum ; in præcéptis meis ambuláverit, & judícia mea cuſtodíerit ut fáciat veritátem : hic juſtus eſt, vitâ vivet, ait Dóminus Deus.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *v.* 10. *ad* 17.

QUòd ſi genúerit fílium latrónem effundéntem ſánguinem, & fécerit unum de iſtis : & hæc quidem ómnia non faciéntem, ſed in móntibus comedéntem, & uxórem próximi ſui polluéntem; egénum & paúperem contriſtántem, rapiéntem rapínas, pignus non reddéntem, & ad idóla levántem óculos ſuos, abominatiónem faciéntem, ad uſúram dantem, & ámpliùs accipiéntem : nunquid vivet? Non vivet : cùm univérſa hæc deteſtánda fécerit, morte moriétur, ſanguis ejus in ipſo erit. Quòd ſi genúerit fílium, qui videns ómnia peccáta patris ſui, quæ fecit, timúerit, & non fécerit símile eis; ſuper montes non coméderit, & óculos ſuos non leváverit ad idóla domûs Iſraël, & uxórem próximi ſui non violáverit, & virum non contriſtáverit, pignus non retinúerit, & rapínam non rapúerit, panem ſuum eſuriénti déderit, & nudum operúerit veſtiménto, à paúperis injúria

avérterit manum ſuam, uſúram & ſuperabundántiam non accéperit, judícia mea fécerit, in præcéptis meis ambuláverit: hic non moriétur in iniquitáte patris ſui, ſed vitâ vivet.

℞. Nunquid, 242.

Lectio iij. *v.* 20. *ad* 23.

ANima quæ peccáverit, ipſa moriètur. Fílius non portábit iniquitátem patris, & pater non portábit iniquitátem fílii: juſtítia juſti ſuper eum erit, & impíetas ímpii erit ſuper eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis ſuis quæ operátus eſt, & cuſtodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & juſtítiam: vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus eſt, non recordábor: in juſtítia ſua quam operátus eſt, vivet. Nunquid voluntátis meæ eſt mors ímpii, dicit Dóminus Deus; & non ut convertátur à viis ſuis, & vivat?

℞. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Epaonénſi.

An. 517. *can.* 38.

MOnaſtéria puellárum, non niſi probátæ vitæ, & ætátis provéctæ, ad quaſcúnque eárum neceſſitátes vel miniſtratiónes permittántur intráre. Ad faciéndas verò Miſſas qui ingréſſi fúerint, ſtatim exácto miniſtério régredi feſtinábunt.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 33. 11. *ad* 15.

DIc ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus; nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis veſtris péſſimis: & quare moriémini, domus Iſraël? Tu ítaque, fili hóminis, dic ad fílios pópuli tui: Juſtítia juſti non liberábit eum in quacúnque die peccáverit; & impíetas ímpii non nocébit ei in quacúnque die convérſus fúerit ab impietáte ſua: & juſtus non póterit vivere in juſtítia ſua in quacúnque die peccáverit. Etiam ſi díxero juſto quòd vitâ vivat, & confíſus in juſtítia ſua, fécerit iniquitátem; omnes juſtítiæ ejus oblivióni tradéntur, & in iniquitáte ſua, quam operátus eſt, in ipſa moriétur. Si autem díxero ímpio: Morte moriéris; & égerit pœniténtiam à peccáto ſuo, feceríttque judícium & juſtítiam, & pignus reſtitúerit ille ímpius, rapinámque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injúſtum; vitâ vivet, & non moriétur.

℞. Mitto ego te, 240.

Lectio ij. *c.* 34. 2. *ad* 6.

HÆc dicit Dóminus Deus: Væ paſtóribus Iſraël, qui paſcébant ſemetípſos; nonne greges à paſtóribus paſcúntur? Lac comedebátis, & lanis ope-

riebámini, & quod craſſum erat occidebátis; gregem autem meum non paſcebátis. Quod infirmum fuit non conſolidáſtis; & quod ægrótum non ſanáſtis, quod confráctum eſt non alligáſtis, & quod abjéctum eſt non reduxíſtis, & quod períerat non quæſíſtis; ſed cum auſteritáte imperabátis eis, & cum poténtia. Et diſpérſæ ſunt oves meæ, eò quòd non eſſet paſtor; & factæ ſunt in devoratiónem ómnium beſtiárum agri, & diſpérſæ ſunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, & in univérſo colle excélſo: & ſuper omnem fáciem terræ diſpérſi ſunt greges mei, & non erat qui requíreret; non erat, inquam, qui requíreret.

℟. Væ prophétis, 241.

Lectio iij. *v. 7. ad* 12.

PRoptérea, paſtóres, audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratiónem ómnium beſtiárum agri, eò quòd non eſſet paſtor; neque enim quæſiérunt paſtóres mei gregem meum, ſed paſcébant paſtóres ſemetípſos, & greges meos non paſcébant: proptérea, paſtóres, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtóres requíram gregem meum de manu eórum, & ceſſáre fáciam eos: ut ultrà non paſcant gregem, nec paſcant ámpliùs paſtóres ſemetípſos; & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in eſcam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipſe requíram oves meas, & viſitábo eas. Sicut víſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fúerit in médio óvium ſuárum diſſipatárum; ſic viſitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis in quibus diſpérſæ fúerant in die nubis & calíginis.

℟. Vivo ego, 241.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi tertio œcuménico.

An. 1179. *cap.* 11.

MOnaſtéria Sanctimoniálium ſi quiſquam Cléricus, ſine maniféſta & neceſſária cauſa frequentáre præſúmpſerit, per Epíſcopum arceátur.

SABBATO.

De Ezechiéle prophéta.

Lectio j. *c.* 34. 20. *ad* 24.

HÆc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipſe júdico inter pecus pingue & macilléntum; pro eo quòd latéribus & húmeris impingebátis, & córnibus veſtris ventilabátis ómnia infírma pécora, donec diſpergeréntur forás: ſalvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam; & judicábo inter pecus & pecus. Et ſuſcitábo ſuper eas paſtórem unum qui paſcat eas, ſervum meum

David : ipſe paſcet eas , & ipſe erit eis in paſtórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum ; & ſervus meus David princeps in médio eórum ; ego Dóminus locútus ſum.

Si fiat de Sabbato , ℟℟. ſumentur ex II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij. *c.* 36. 21. *ad* 24.

PEpérci nómini ſancto meo quod pollúerat domus Iſraël in géntibus ad quas ingréſſi ſunt. Idcírco dices dómui Iſraël : Hæc dicit Dóminus Deus : Non propter vos ego fáciam , domus Iſraël , ſed propter nomen ſanctum meum quod polluiſtis in géntibus ad quas intráſtis. Et ſanctificábo nomen meum magnum quod pollútum eſt inter gentes , quod polluíſtis in médio eárum ; ut ſciant gentes quia ego Dóminus , ait Dóminus exercítuum , cùm ſanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus , & congregábo vos de univérſis terris , & addúcam vos in terram veſtram.

Lectio iij. *v.* 25. *ad* 29.

ET effúndam ſuper vos aquam mundam , & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis veſtris , & ab univérſis idólis veſtris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & ſpíritum novum ponam in médio veſtrî : & auferam cor lapídeum de carne veſtra , & dabo vobis cor cárneum. Et ſpíritum meum ponam in médio veſtrî : & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis , & judícia mea cuſtodiátis & operémini. Et habitábitis in terra quam dedi pátribus veſtris : & éritis mihi in pópulum , & ego ero vobis in Deum. Et ſalvábo vos ex univérſis inquinaméntis veſtris.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *cap.* 5.

INgredi intrà ſepta Monaſtérii Sanctimoniálium némini líceat , cujuſcúnque géneris aut conditiónis , ſexûs , vel ætátis fúerit , ſine Epíſcopi vel Superióris licéntia in ſcriptis obténta , ſub excommunicatiónis pœna ipſo facto incurrénda. Dare autem tantùm Epíſcopus vel Supérior licéntiam debet in cáſibus neceſſáriis.

Ad Magníficat , *Ant.* 7. G. Anánias & Azárias & Míſaël credéntes , liberáti ſunt de flamma. Dániel in ſua ſimplicitáte liberátus eſt de ore leónum. 1. *Mach.* 2. 59. 60.

Oratio , Omnípotens & miſéricors Deus , *infrà in Laud.*

D O M I N I C A XXI. *poſt Pentecoſten.*

I N I. N O C T U R N O.

Incipit liber Daniélis prophétæ.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 5.

ANno tértio regni Jóakim regis Juda , venit Nabuchodónoſor rex Babylónis in Jeruſalem ,

obſédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, & partem vaſórum domûs Dei; & aſportávit ea in terram Sénnaar in domum Dei ſui, & vaſa íntulit in domum theſaúri dei ſui. Et ait rex Aſphenez præpóſito eunuchórum ut introdúceret de filiis Iſraël, & de ſémine régio & tyrannórum, púeros in quibus nulla eſſet mácula, decóros formâ, & erudítos omni ſapiéntiâ, cautos ſciéntiâ, & doctos diſciplínâ, & qui poſſent ſtare in palátio regis, ut docéret eos litteras, & linguam Chaldæórum. Et conſtítuit eis rex annónam per ſíngulos dies de cibis ſuis, & de vino unde bíbebat ipſe; ut enutríti tribus annis, póſtea ſtarent in conſpéctu regis,

℟. Exclamávit Suſánna, & dixit: Deus ætérne qui abſconditórum es cógnitor, tu ſcis quóniam falſum teſtimónium tulérunt contra me, & ecce mórior. * Exaudívit autem Dóminus vocem ejus. *Dan.* 13. 42. 43. 44. ℣. Deus qui juſtíficat, quis eſt qui condémnet? *Rom.* 8. 33. 34. * Exaudívit.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 10.

FUérunt ergo inter eos de filiis Juda, Dániel, Ananías, Míſaël, & Azárias. Et impóſuit eis præpóſitus eunuchórum nómina; Daniéli, Baltáſſar; Ananíæ, Sidrach; Míſaël, Miſach; & Azáriæ, Abdénago. Propóſuit autem Dániel in corde ſuo ne pollueréṫur de menſa regis, neque de vino potûs ejus; & rogávit eunuchórum præpóſitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & miſericórdiam in conſpéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem, qui conſtítuit vobis cibum & potum; qui, ſi víderit vultus veſtros macilentióres præ céteris adoleſcéntibus coævis veſtris, condemnábitis caput meum regi.

℟. A Dário conſtitútum eſt decrétum ut in univérſo império tremíſcant & páveant Deum Daniélis; * Ipſe eſt enim Deus vivens, & ætérnus, ipſe liberátor atque ſalvátor. *Dan.* 6. 26. 27. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus; nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. *Act.* 4. 12. * Ipſe eſt.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 17.

ET dixit Dániel ad Málaſar quem conſtitúerat princeps eunuchórum ſuper Daniélem, Ananíam, Miſaélem, & Azáriam: Tenta nos, óbſecro, ſervos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad veſcéndum, & aqua ad bibéndum; & contempláre vultus noſtros, & vultus puerórum qui veſcúntur cibo régio; & ſicut víderis, fácies

cum ſervis tuis. Qui, audíto ſermóne hujuſcémodi, tentávit eos diébus decem. Poſt dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres præ ómnibus púeris qui veſcebántur cibo régio. Porrò Málaſar tollébat cibária, & vinum potûs eórum, dabátque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus ſciéntiam & diſciplínam in omni libro & ſapiéntia: Daniéli autem intelligéntiam ómnium viſiónum & ſomniórum.

℞. Miſérunt Babylónii Daniélem in lacum leónum, & erat ibi diébus ſex. Venit rex die ſéptimo, & ecce Dániel ſedens in médio leónum, & exclamávit: * Magnus es Dómine Deus Daniélis. *Dan.* 14. 30. 39. 40. ℣. Dómine Deus omnípotens, Rex ſeculórum, quis non timébit te, & magnificábit nomen tuum? *Apoc.* 15 3. 4. * Magnus es. Glória. * Magnus es.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Hierónymi preſbyteri in Daniélem prophétam.

Lectio iv. *In Proœm.*

CONtra prophétam Daniélem duodécimum librum ſcribit Porphyrius, nolens eum ab ipſo cujus inſcriptus eſt nómine, eſſe compóſitum; ſed à quodam qui tempóribus Antíochi qui appellátus eſt Epíphanes, fúerit in Judæa; & non tam Daniélem ventúra dixíſſe, quàm illum narráſſe prætérita. Dénique quidquid uſque ad Antíochum díxerit, veram hiſtóriam continére: ſi quid autem ultrà opinátus ſit, quia futúra neſcíerit, eſſe mentítum. Cui ſolertiſſimè reſpondérunt Euſébius Cæſariénſis epíſcopus tribus volumínibus, id eſt, octávo décimo, nono décimo, & vicéſimo: Apollinárius quoque uno grandi libro, hoc eſt, vicéſimo ſexto; & ante hos ex parte, Methódius.

℞. Fílius honórat patrem, & ſervus dóminum ſuum: ſi pater ego ſum, ubi eſt honor meus? * Si Dóminus ego ſum, ubi eſt timor meus? *Malach.* 1. 6. ℣. Quid vocatis me Dómine, Dómine, & non fácitis quæ dico? *Luc.* 6. 46. * Si Dóminus.

Lectio v.

VErùm, quia nobis propóſitum eſt, non adverſárii calúmniis reſpondére, quæ longo ſermóne índigent; ſed ea quæ à Prophéta dicta ſunt noſtris diſſérere, id eſt, Chriſtiánis; illud in præfatióne commóneo, nullum Prophetárum tam apértè dixíſſe de Chriſto. Non enim ſolum ſcribit eum eſſe ventúrum, quod eſt commúne cum céteris; ſed étiam quo témpore ventúrus ſit docet, & reges per órdinem dígerit, & annos enúmerat, ac manifeſtiſſima ſigna pr

tiat. Quæ quia vidit Porphyrius univérſa compléta, & tranſácta negáre non póterat; ſuperátus hiſtóriæ veritáte, in hanc prorúpit calúmniam, ut ea quæ in conſummatióne mundi de anti-Chriſto futúra dicúntur, propter geſtórum in quibúſdam ſimilitúdinem, ſub Antiocho Epíphane impléta conténdat. Cujus impugnátio teſtimónium veritátis eſt: tanta enim dictórum fides fuit, ut Prophéta incrédulis homínibus non videátur futúra dixíſſe, ſed narráſſe prætérita.

℟. Judícium verum judicáte, & miſericórdiam fácite unuſquíſque cum fratre ſuo; * Et víduam, & pupíllum, & paúperem nolíte calumniári. *Zach.* 7. 9. 10. ℣. Loquímini veritátem unuſquíſque cum próximo ſuo: eſtóte ínvicem benígni, miſericórdes. *Epheſ.* 4. 25. 32. * Et víduam.

Lectio vj. *circa finem.*

AD intelligéndas autem extrémas partes Daniélis, multiplex Græcórum hiſtória neceſſária eſt, ... qui omnem extrémæ viſiónis narrant hiſtóriam, & poſt Alexándrum uſque ad Cæſarem Augúſtum, Syriæ & Ægypti, id eſt, Seleúci & Antiochi & Ptolemæórum bella deſcríbunt. Et ſi quando cógimur litterárum ſeculárium recordári, & áliqua ex his dícere quæ olim omíſimus, non noſtræ eſt voluntátis, ſed ut ita dicam, graviſſimæ neceſſitátis; ut probémus ea quæ à ſanctis Prophétis ante ſécula multa prædícta ſunt, tam Græcórum quàm Latinórum, & aliárum géntium lítteris continéri.

℟. Jacob apprehénde legem, ámbula per viam ad ſplendórem ejus, ne tradas dignitátem tuam genti aliénæ. * Beáti ſumus, Iſraël, quia † Quæ Deo placent, maniféſta ſunt nobis. *Baruch* 4. 2. 3. 4. ℣. Qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, Deus ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei. 2. *Cor.* 4. 6. * Beáti ſumus. Glória. † Quæ Deo.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum:

Lectio vij. *c.* 18. 23. *ad fin.*

IN illo témpore; Dicit Jeſus: Aſſimilátum eſt regnum cœlórum hómini regi qui vóluit ratiónem pónere cum ſervis ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi preſbyteri.

Lib. 3. *Comment. in cap.* 18. *Matt.*

FAmiliáre eſt Syris, & máximè Palæſtínis, ad omnem ſermónem ſuum parábolas júngere: ut quod per ſimplex præcéptum tenéri ab auditóribus non poteſt, per ſimilitúdinem exempláque teneátur. Præcépit ítaque Dóminus Petro ſub comparatióne regis,

℟ dómini, & ſervi, qui débitor decem míllium talentórum, à dómino rogans véniam impetráverat, ut ipſe quoque dimíttat conſérvis ſuis minóra peccántibus. Si enim ille rex & dóminus ſervo debitóri decem míllia talentórum tam fácilè dimíſit; quantò magìs ſervi conſérvis ſuis debent minóra dimíttere?

℟. Prócidens ſervus orábat dóminum: Patiéntiam habe in me. Miſértus dóminus débitum dimíſit ei. Egréſſus autem * Servus unum de conſérvis ſuffocábat, dicens: Redde quod debes. *Matt.* 18. 26. 27. 28. ℣. Homo hómini reſérvat iram, & à Deo quærit medélam? *Eccli.* 28. 3. * Servus.

Lectio viij.

QUod ut maniféſtius fiat, dicámus ſub exémplo. Si quis noſtrûm commíſerit adultérium, homicídium, ſacrilégium, majóra crímina; decem míllia talentórum, rogántibus dimittúntur, ſi & ipſi dimíttant minóra peccántibus. Sin autem ob factam contuméliam ſimus implacábiles, & propter amárum verbum pérpetes habeámus diſcórdias; nonne nobis vidémur rectè redigéndi in cárcerem, & ſub exémplo óperis noſtri hoc ágere, ut majórum nobis delictórum vénia non relaxétur?

℟. Prócidens conſérvus ejus rogábat eum: Patiéntiam habe in me, & ómnia reddam tibi. Ille nóluit, ſed * Miſit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. *Matt.* 18. 29. 30. ℣. In hóminem símilem ſibi non habet miſericórdiam, quis exorábit pro delíctis illíus? *Eccli.* 28. 4. 5. * Miſit.

Lectio ix. *Poſt pauca.*

SIc & Pater meus cœléſtis fáciet vobis: ſi non remiſéritis unuſquíſque fratri ſuo de córdibus veſtris.] Formidolóſa ſenténtia, ſi juxta noſtram mentem ſenténtia Dei fléctitur atque mutátur: ſi parva frátribus non dimíttimus, magna nobis à Deo non dimitténtur. Et quia poteſt unuſquíſque dícere: Nihil hábeo contra eum, ipſe novit; habet Deum júdicem, non mihi curæ eſt quid velit ágere, ego ignóvi ei: confírmat ſenténtiam ſuam, & omnem ſimulatiónem fictæ pacis evértit, dicens: [Si non remiſéritis unuſquíſque fratri ſuo de córdibus veſtris.]

℟. Nolíte condemnáre, & non condemnabímini; * Dimíttite, & dimittémini; eádem quippe menſúrâ, quâ menſi fuéritis, remetiétur vobis. *Luc.* 6. 37. 38. ℣. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus ſervans ſervábit. *Eccli.* 28. 1. * Dimíttite. Glória. * Dimíttite.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. g. Serve nequam, omne déb[illegible] dimíſi tibi quóniam

me : nonne ergo opórtuit & te miſeréri conſérvi tui, ſicut & ego tuî miſértus ſum? *Matt.* 18. 32. 33.

Oratio.

OMnípotens & miſéricors Deus, univérſa nobis adverſántia propítius exclúde; ut mente & córpore páriter expedíti, quæ tua ſunt, líberis méntibus exequámur. Per.

C A N O N.

Ex Concílio Conſtantinopolitáno tértio.

An. 680. *can.* 80.

SI quis Epíſcopus, vel Preſbyter, vel Diáconus, vel eórum qui in Clero numerántur, vel Láïcus nullam graviórem habet neceſſitátem, vel negótium diffícile, ut à ſua Eccléſia abſit diutíſſimè, ſed in civitáte agens tribus diébus Domínicis in tribus ſeptimánis unâ non convéniat, ſi ſit quidem cléricus, deponátur; ſi verò láïcus, ſegregétur.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D*. Irátus dóminus trádidit eum tortóribus, quoadúſque rédderet univérſum débitum: ſic & Pater cœléſtis fáciet vobis, ſi non remiſéritis unuſquíſque fratri ſuo de córdibus veſtris. *Matt.* 18. 34. 35.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 6.

IN anno ſecúndo regni Nabuchodónoſor, vidit Nabuchodónoſor ſómnium, & contérritus eſt ſpíritus ejus, & ſómnium éjus fugit ab eo. Præçépit autem rex ut convocaréntur aríoli, & magi, & maléfici, & Chaldæi, ut indicárent regi ſómnia ſua: qui cùm veniſſent, ſtetérunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi ſómnium, & mente confúſus ignóro quid víderim. Reſponderúntque Chaldæi regi Syríacè: Rex in ſempitérnum vive; dic ſómnium ſervis tuis, & interpretatiónem ejus indicábimus. Et reſpóndens rex, ait Chaldæis: Sermo recéſſit à me; niſi indicavéritis mihi ſómnium, & conjectúram ejus, peribítis vos, & domus veſtræ publicabúntur: ſi autem ſómnium, & conjectúram ejus narravéritis, præmia, & dona, & honórem multum accipiétis à me.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 10. *ad.* 14.

REſpondéntes ergo Chaldæi coram rege, dixérunt: Non eſt homo ſuper terram qui ſermónem tuum, rex, poſſit implére; ſed neque regum quiſquam magnus & potens verbum hujuſcémodi ſciſcitátur ab omni aríolo, & mago, & Chaldæo: ſermo enim quem tu quæris, rex, gravis eſt; nec reperiétur quiſquam qui índicet illum in conſpéctu regis, excéptis diis quórum non eſt cum homínibus converſátio. Quo audíto, rex in furóre & in ira magna præcépit ut períreut omnes

ómnes ſapiéntes Babylónis. Et egréſſâ ſenténtiâ, ſapiéntes interficiebántur; quærebantúrque Dániel, & ſócii ejus, ut perírent. Tunc Dániel requiſívit de lege atque ſenténtia, ab Arioch príncipe milítiæ regis.

℞. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 15. *ad* 19.

CUm ergo rem indicáſſet Arioch Daniéli, Dániel ingréſſus rogávit regem ut tempus daret ſibi ad ſolutiónem indicándam regi. Et ingréſſus eſt domum ſuam: Ananiæque, & Miſaéli, & Azáriæ ſóciis ſuis indicávit negótium; ut quærerent miſericórdiam à fácie Dei cœli ſuper ſacraménto iſto, & non períſſent Dániel, & ſócii ejus, cum céteris ſapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli myſtérium per viſiónem nocte revelátum eſt; & benedíxit Dániel Deum cœli.

℞. Miſérunt, 253.

CANON.

Ex Concílio Nicæno primo œcuménico.

An. 325. *part.* 1. *can.* 3.

VEtuit omníno magna Synodus ne líceat Epíſcopo, nec Preſbytero, nec Diácono, nec ulli pénitùs eórum qui ſunt in Clero, introdúctam habére mulíerem, prætérquam útique matrem, vel ſorórem, vel ámitam, vel eas ſolas perſónas, quæ omnem ſuſpiciónem effúgiunt.

FERIA TERTIA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 2. 24. *ad* 28.

POſt hæc Dániel ingréſſus ad Arioch quem conſtitúerat rex ut pérderet ſapiéntes Babylónis, ſic ei locútus eſt: Sapiéntes Babylónis ne perdas; introduc me in conſpéctu regis, & ſolutiónem regi narrábo. Tunc Arioch feſtínus introdúxit Daniélem ad regem, & dixit ei: Invéni hóminem de fíliis tranſmigratiónis Juda, qui ſolutiónem regi annúntiet. Reſpóndit rex, & dixit Daniéli cujus nomen erat Baltáſſar: Putáſne verè potes mihi indicáre ſómnium quod vidi, & interpretatiónem ejus? Et reſpóndens Dániel coram rege, ait: Myſtérium quod rex intérrogat, ſapiéntes, magi, aríoli, & arúſpices néqueunt indicáre regi; ſed eſt Deus in cœlo revélans myſtéria, qui indicávit tibi, rex Nabuchodónoſor, quæ ventúra ſunt in noviſſimis tempóribus.

℞. Fílius, 253.

Lectio ij. *v.* 31. *ad* 35.

TU rex vidébas, & ecce quaſi ſtátua una grandis; ſtátua illa magna, & ſtatúrâ ſublímis ſtabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus ſtátuæ caput ex auro óptimo erat; pectus autem & bráchia de argénto: porrò venter & fémora ex ære; tíbiæ autem férreæ; pedum quæ-

dam pars erat férrea, quædam autem fictilis. Vidébas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine mánibus, & percúſſit ſtátuam in pédibus ejus férreis & fictílibus, & comminuit eos. Tunc contríta ſunt páriter ferrum, teſta, æs, argéntum, & aurum; & redácta quaſi in favíllam æſtívæ áreæ, quæ rapta ſunt vento; nullúſque locus invéntus eſt eis: lapis autem qui percúſſerat ſtátuam, factus eſt mons magnus, & implévit univérſam terram. Hoc eſt ſómnium.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *v. 36. ad* 44.

INterpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es; & Deus cœli, regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia in quibus hábitant filii hóminum, & béſtiæ agri; vólucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditióne tua univérſa conſtítuit: tu es ergo caput aúreum. Et poſt te conſúrget regnum áliud minus te, argénteum. Et regnum tértium áliud æreum, quod imperábit univérſæ terræ. Et regnum quartum erit velut férreum; quómodo ferrum commínuit & domat ómnia, ſic comminuet & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidiſti pedum & digitórum partem teſtæ ſiguli, & partem férream; regnum diviſum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, ſecúndùm quòd vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fictiles; ex parte regnum erit ſólidum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebúntur quidem humáno ſémine, ſed non adhærébunt ſibi, ſicuti ferrum miſcéri non poteſt teſtæ. In diébus autem regnórum illórum ſuſcitábit Deus cœli regnum quod in ætérnum non diſſipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: commínuet autem & conſúmet univérſa regna hæc; & ipſum ſtabit in ætérnum.

℟. Jacob, 254.

C A N O N.

Ex Concílio Carthaginénſi tertio.

An. 397. *cap.* 25.

EPiſcopi aut Preſbyteri ſoli non hábeant acceſſum ad féminas, víduas, vel vírgines, niſi aut clérici præſéntes ſint, aut graves áliqui chriſtiáni.

FERIA QUARTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 3. 1. *ad* 6.

NAbuchodónoſor rex fecit ſtátuam aúream, altitúdine cubitórum ſexagínta, latitúdine cubitórum ſex, & ſtátuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodónoſor rex miſit ad congregándos ſatrapas, magiſtrátus & júdices,

duces & tyránnos, & præfé-ctos, omnéſque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem ſtátuæ quameréxerat Nabuchodónoſor rex. Tunc congregáti ſunt ſátrapæ, magiſtrátus & júdices, duces & tyránni, & optimátes qui erant in poteſtátibus conſtitúti, & univérſi príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem ſtátuæ quam eréxerat Nabuchodónoſor rex. Stabant autem in conſpéctu ſtátuæ quam poſúerat Nabuchodónoſor rex: & præco clamábat valénter: Vobis dícitur pópulis, tríbubus & linguis; In hora quâ audiéritis ſónitum tubæ, & fiſtulæ, & cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, & univérſi géneris muſicórum, cadéntes adoráte ſtátuam áuream, quam conſtítuit Nabuchodónoſor rex. Si quis autem non proſtrátus adoráverit, eádem horâ mittétur in fornácem ignis ardéntis.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 14.

STatímque in ipſo témpore accedéntes viri Chaldæi accuſavérunt Judæos, dixerúntque Nabuchodónoſor regi: Rex in ætérnum vive; tu, rex, poſuíſti decrétum, ut omnis homo qui audíerit ſónitum tubæ, fiſtulæ, & cítharæ, ſambúcæ, & pſaltérii, & ſymphóniæ, & univérſi géneris muſicórum, proſtérnat ſe, & adóret ſtátuam áuream: ſi quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardéntis: ſunt ergo viri Judæi, quos conſtituíſti ſuper ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Miſach, & Abdénago: viri iſti contempſérunt, rex, decrétum tuum; deos tuos non colunt; & ſtátuam áuream quam erexíſti, non adórant. Tunc Nabuchodónoſor in furóre & in ira præcépit ut adduceréntur Sidrach, Miſach, & Abdénago: qui conféſtim addúcti ſunt in conſpéctu regis. Pronuntiánſque Nabuchodónoſor rex, ait eis: Veréne, Sidrach, Miſach, & Abdénago, deos meos non cólitis, & ſtátuam áuream quam conſtitui, non adorátis?

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 16. *ad* 24.

REſpondéntes Sidrach, Miſach, & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónoſor: Non opórtet nos de hac re reſpondére tibi; ecce enim Deus noſter quem cólimus, poteſt erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd ſi nolúerit, notum ſit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, & ſtátuam áuream quam erexíſti, non adorámus. Tunc Nabuchodónoſor replétus eſt furóre; & aſpéctus faciéi illíus immutátus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdénago; & præcépit ut ſuccenderétur fornax ſéptuplùm quàm ſuccéndi con-

fuéverat. Et viris fortíſſimis de exércitu ſuo juſſit ut ligátis pédibus Sidrach, Miſach, & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiáris, & calceaméntis, & véſtibus miſſi ſunt in médium fornácis ignis ardéntis; nam júſſio regis urgébat: fornax autem ſuccénſa erat nimis. Porrò viros illos qui míſerant Sidrach, Miſach, & Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ, laudántes Deum, & benedicéntes Dómino.

℟. Miſérunt, 253.

CANON.

Ex Concílio Andegavénſi.

An. 453. *can.* 4.

FAmiliáres eſſe Cléricos féminis non opórtet extráneis; quia frequénter plurimórum ruínas ſub hac occaſióne deflémus. Si quis autem poſt hoc interdíctum à prædíctis familiaritátibus ſe revocáre nolúerit, nequáquam gradu altióre donábitur; & ſi jam ordinátus fúerit, non miníſtret.

FERIA QUINTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 3. 91. *ad* 94.

NAbuchodónoſor rex obſtúpuit, & ſurréxit própere, & ait optimátibus ſuis: Nonne tres viros míſimus in médium ignis compedítos? Qui reſpondéntes regi, dixérunt: Verè, rex. Reſpóndit, & ait: Ecce ego vídeo quátuor viros ſolútos, & ambulántes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis eſt; & ſpécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc accéſſit Nabuchodónoſor ad óſtium fornácis ignis ardéntis, & ait: Sidrach, Miſach, & Abdénago, ſervi Dei excélſi, egredímini, & veníte. Statímque egréſſi ſunt Sidrach, Miſach, & Abdénago de médio ignis. Et congregáti ſátrapæ, & magiſtrátus, & júdices, & poténtes regis, contemplabántur viros illos, quóniam nihil poteſtátis habuíſſet ignis in corpóribus eórum, & capíllus cápitis eórum non eſſet adúſtus, & ſarábala eórum non fuíſſent immutáta, & odor ignis non transíſſet per eos.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *v.* 95. *ad* 96.

ET erúmpens Nabuchodónoſor, ait: Benedíctus Deus eórum, Sidrach vidélicet, Miſach, & Abdénago, qui miſit Angelum ſuum, & éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum: & verbum regis immutavérunt, & tradidérunt córpora ſua ne ſervírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. A me ergo póſitum eſt hoc decrétum; Ut omnis pópulus, tribus, & lingua, quæcúnque locúta fúerit

blaſphémiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdénago, diſpéreat, & domus ejus vaſtétur; neque enim eſt álius Deus qui poſſit ita ſalváre.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *v.* 97. *ad fin.*

TUnc rex promóvit Sidrach, Miſach, & Abdénago in província Babylónis. Nabuchodónoſor rex, ómnibus pópulis, géntibus, & linguis, qui hábitant in univérſa terra, Pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excélſus: plácuit ergo mihi prædicáre ſigna ejus, quia magna ſunt; & mirabília ejus, quia fórtia; & regnum ejus, regnum ſempitérnum; & potéſtas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Turonénſi primo.

An. 461. *can.* 3.

QUia nullum diábolo locum dari opórtet, hoc præcípuè cuſtodiéndum decrévimus, ut nullam Clérici cum extráneis féminis hábeant familiaritátem, ne ullum malè loquéndi vel ſentiéndi homínibus áditum tríbuant.

FERIA SEXTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 4. 16. *ad* 19.

DAniel cujus nomen Baltáſſar, cœpit intrà ſemetípſum tácitus cogitáre quaſi unâ horâ; & cogitatiónes ejus conturbábant eum. Reſpóndens autem rex, ait: Baltáſſar, ſómnium & interpretátio ejus non contúrbent te. Reſpóndit Baltáſſar: & dixit: Dómine mi, ſómnium his qui te odérunt, & interpretátio ejus hóſtibus tuis ſit. Arborem quam vidíſti ſublímem atque robúſtam, cujus altitúdo pertíngit ad cœlum, & aſpéctus illíus in omnem terram, & rami ejus pulchérrimi, & fructus ejus nímius, & eſca ómnium in ea; ſubter eam habitántes béſtiæ agri, & in ramis ejus commorántes aves cœli: tu es rex qui magnificátus es, & invaluíſti; & magnitúdo tua crevit, & pervénit uſque ad cœlum; & potéſtas tua in términos univérſæ terræ.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 20. *ad* 22.

QUód autem vidit rex vígilem & ſanctum deſcéndere de cœlo, & dícere: Succídite árborem, & diſſipáte illam; áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite, & vinciátur ferro, & ære in herbis foris, & rore cœli conſpergátur, & cum feris ſit pábulum ejus, donec ſeptem témpora muténtur ſuper eum: hæc eſt interpretátio ſenténtiæ Altíſſimi, quæ pervénit ſuper dóminum meum regem. Ejícient te ab homínibus, & cum béſtiis feríſque erit habitátio tua; & fœnum ut bos có-

medes, & rore cœli infundéris: ſeptem quoque témpora mutabúntur ſuper te, donec ſcias quòd dominétur Excélſus ſuper regnum hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud.

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 23. *ad* 25.

QUòd autem præcépit ut relinquerétur germen radícum ejus, id eſt, árboris: regnum tuum tibi manébit, poſtquam cognóveris poteſtátem eſſe cœléſtem. Quamóbrem, rex, consílium meum pláceat tibi; & peccáta tua eleemóſynis rédime, & iniquitátes tuas miſericórdiis páuperum: fórſitan ignóſcet delíctis tuis. Omnia hæc venérunt ſuper Nabuchodónoſor regem.

℟. Miſérunt, 253.

CANON.

Ex Concílio Aurelianénſi tertio.

An. 538. *can.* 4.

DE familiaritáte extraneárum mulíerum, licèt jam multa quæ obſervári débeant, multis canónicis ſenténtiis fúerint ſtatúta; tamen quod agnóſcitur ſæpe tranſcéndi, cónvenit replicári. Ideóque ſtatúimus, ne quis Antíſtitum Clericorúmque ómnium, licéntiam hábeat intrà domum ſuam, ullam, abſque his propínquis muliéribus quas prióres Cánones eloquúntur, habére perſónam.

SABBATO.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 4. 26. *ad* 29.

POſt finem ménſium duódecim, in aula Babylónis deambulábat, reſpondítque rex, & ait: Nonne hæc eſt Bábylon magna, quam ego ædificávi in domum regni, in róbore fortitúdinis meæ, & in glória decóris mei? Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dícitur, Nabuchodónoſor rex; Regnum tuum tranſíbit à te, & ab homínibus ejícient te; & cum béſtiis & feris erit habitátio tua; fœnum quaſi bos cómedes, & ſeptem témpora mutabúntur ſuper te, donec ſcias quòd dominétur Excélſus in regno hóminum, & cuicúnque volúerit, det illud.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica præcedentis.*

Lectio ij. *v.* 30. *ad* 32.

EAdem horâ ſermo complétus eſt ſuper Nabuchodónoſor, & ex homínibus abjéctus eſt, & fœnum ut bos comédit, & rore cœli corpus ejus inféctum eſt, donec capilli ejus in ſimilitúdinem aquilárum créſcerent, & ungues ejus quaſi ávium. Igitur poſt finem diérum ego Nabuchodónoſor óculos meos ad cœlum levávi, & ſenſus meus rédditus eſt mihi: & Altíſſimo benedíxi, & vivéntem in ſempitérnum laudávi & glorificávi;

quia potéſtas ejus potéſtas ſempitérna, & regnum ejus in generatiónem & generatiónem. Et omnes habitatóres terræ apud eum in níhilum reputáti ſunt; juxta voluntátem enim ſuam facit tam in virtútibus cœli quàm in habitatóribus terræ: & non eſt qui reſíſtat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecíſti?

Lectio iij. *v.* 33. *ad fin.*

IN ipſo témpore ſenſus meus revérſus eſt ad me, & ad honórem regni mei decorémque pervéni; & figúra mea revérſa eſt ad me; & optimátes mei, & magiſtrátus mei requiſiérunt me, & in regno meo reſtitútus ſum, & magnificéntia ámplior áddita eſt mihi. Nunc ígitur ego Nabuchodónoſor laudo, & magnífico, & glorífico Regem cœli; quia ómnia ópera ejus vera, & viæ ejus judícia, & gradiéntes in ſupérbia poteſt humiliáre.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 94.

HOſpitíolum tuum aut raró, aut nunquam mulíerum pedes terant. Omnes puéllas & vírgines Chriſti, aut æquáliter ignóra, aut æquáliter dílige. Ne ſub eódem tecto mánſeris, nec in prætérita caſtitáte confídas. Nec David ſánctior, nec Salomóne potes eſſe ſapiéntior. Meménto ſemper quod Paradíſi colónum de poſſeſſióne ſua múlier ejécerit.

AD VESPERAS.

¶ *Officium Dominicæ ſequentis & totius Hebdomadæ omnino omittetur, ſi poſt Pentecoſten fuerint tantum viginti tres Dominicæ; & ejus loco ponetur Officium Dominicæ & Hebdomadæ* xxiij.

Dominicâ verò & Hebdomadâ xxiij. *ponetur Officium Dominicæ & Hebdomadæ* xxiv.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Omnes habitatóres terræ apud Altíſſimum in níhilum reputáti ſunt; juxta voluntátem enim ſuam facit: & non eſt qui reſíſtat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecíſti? *Dan.* 4. 32.

Oratio, Largíre, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA XXII.

poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 6.

BAltáſſar rex fecit grande convívium optimátibus ſuis mille; & unuſquíſque ſecúndùm ſuam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus, ut afferréntur vaſa áurea & argéntea, quæ aſportáverat Nabuchodónoſor pater ejus de templo quod fuit in Jeruſalem, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxoréſque ejus & concubínæ. Tunc alláta ſunt vaſa áurea & argéntea, quæ aſportáverat de templo quod fúerat in Jeruſalem; & bibérunt in eis rex, & optimátes ejus, uxóres &

concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos ſuos aúreos & argénteos, æreos: férreos, lígneóſque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quaſi manus hóminis ſcribéntis contra candelábrum in ſuperfície paríetis aulæ régiæ: & rex aſpiciébat artículos manûs ſcribéntis. Tunc fácies regis commutáta eſt, & cogitatiónes ejus conturbábant eum; & compáges renum ejus ſolvebántur, & génua ejus ad ſe ínvicem collidebántur.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 13, *ad* 17.

IGitur introdúctus eſt Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait: Tu es Dániel de fíliis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniam ſpíritum deórum hábeas; & ſciéntia, intelligentiáque ac ſapiéntia amplióres invéntæ ſunt in te. Et nunc introgréſſi ſunt in conſpéctu meo ſapiéntes magi, ut ſcriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi; & nequivérunt ſenſum hujus ſermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd poſſis obſcúra interpretári, & ligáta diſſólvere: ſi ergo vales ſcriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ veſtiéris, & torquem áuream circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ reſpóndens Dániel, ait coram rege: Múnera tua ſint tibi, & dona domûs tuæ álteri da: ſcriptúram autem legam tibi, rex, & interpretatiónem ejus oſténdam tibi.

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 25. *ad fin.*

HÆc eſt autem ſcriptúra, quæ digéſta eſt: Mane, Thecel, Phares. Et hæc eſt intérpretátio ſermónis: Mane; Numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel; Appénſus es in ſtatéra, & invéntus es minùs habens. Phares; Divíſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Tunc jubénte rege indútus eſt Dániel púrpurâ, & circúndata eſt torques aúrea collo ejus; & prædicátum eſt de eo quòd habéret poteſtátem tértius in regno ſuo. Eádem nocte interféctus eſt Baltáſſar rex Chaldæus: & Daríus Medus ſuccéſſit in regnum annos natus ſexagínta duos.

℟. Miſérunt, 253.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Hierónymi preſbyteri in Daniélem prophétam.

Lectio iv. *cap.* 9. *ante med.*

AFricánus in quinto Témporum volúmine, de ſeptuagínta hebdomádibus hæc locútus ad verbum eſt: Capítulum quod in Daniéle de ſeptuagínta hebdomádibus légi-

mus, multa & mirabília cóntinet, quæ nunc longum eſt dícere: ergo, quod ad præſens opus pértinet, de tempóribus diſſeréndum eſt; nullíque dúbium quin de advéntu Chriſti prædicátio ſit: qui poſt ſeptuagínta hebdómades mundo appáruit; poſt quem conſummáta ſunt delícta, & finem accépit peccátum, & deléta eſt iníquitas, & annuntiáta juſtítia ſempitérna quæ legis juſtitiam vínceret, & impléta eſt víſio & prophetía; quia [lex & prophétæ uſque ad Baptíſtam Joánnem,] & unctus eſt Sanctus ſanctórum: quæ ómnia priúſquam Chriſtus humánum corpus aſſúmeret, ſperabántur magìs quàm tenebántur.

℞. Fílius, 253.

Lectio v.

Dicit autem ipſe Angelus; ſeptuagínta annórum hebdómadas, id eſt, annos quadringéntos nonagínta, ab éxitu ſermónis, ut reſpondeátur, & ut ædificétur Jerúſalem, vicéſimum Artaxérxis regis Perſárum annum habére princípium. Nehémias quippe, hujus pincérna, ſicut in Eſdræ libro légimus, rogávit regem, accepítque reſpónſum ut ædificarétur Jerúſalem. Et iſte egréſſus eſt ſermo, qui extruéndæ urbis & circundándæ muris daret licéntiam; quæ uſque ad illud tempus vicinárum géntium patébat incúrſibus; ſiquidem ad Cyri regis impérium, qui voléntibus revérti Jeroſólymam déderat poteſtátem, Jeſus póntifex, & Zoróbabel, & póſtea Eſdras ſacérdos, & céteri qui cum eis proficíſci volúerant, templum, & urbem, & muros ejus ædificáre conáti ſunt, prohibéntibus in circúitu natiónibus ne implerétur opus, quaſi hoc rex non juſſíſſet.

℞. Judícium, 254.

Lectio vj.

Manſit itaque imperféctum opus uſque ad Nehémiam & vicéſimum annum regis Artaxérxis: quo témpore regni Perſárum, centum & quíndecim anni fúerant evolúti: captivitátis autem Jerúſalem centéſimus octogéſimus & quintus annus erat; & tunc primùm Artaxérxes juſſit muros éxtrui Jerúſalem; cui óperi præfuit Nehémias; & ædificáta eſt platéa, & muri circúndati: & ex illo témpore, ſi numeráre velis, ſeptuagínta annórum hebdómadas uſque ad Chriſtum póteris inveníre.

℞. Jacob apprehénde legem, 254.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 22. 15. *ad* 21.

In illo témpore; Abeúntes Phariſæi consílium iniérunt ut cáperent Jeſum in ſermóne. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii epíſcopi.

Comment. in Matt. cap. 23. in initio.

FRequénter Phariſæi commovéntur, & occaſiónem inſimulándi eum habére ex prætéritis non poſſunt; cádere enim vitium in geſta ejus, & dicta non póterat; ſed de malítiæ afféctu, in omnem ſe inquiſitiónem reperiúndæ accuſatiónis exténdunt. Namque à ſéculi vitiis, atque à ſuperſtitiónibus humanárum religiónum, univérſos ad ſpem regni cœléſtis vocábat. Igitur an violáret ſéculi poteſtátem, de propóſitæ interrogatiónis conditióne perténtant; an vidélicet reddi tribútum Cæſari oportéret.

℟. Príncipes Sacerdótum & Scribæ * Miſérunt inſidiatóres, qui ſe juſtos ſimulárent, ut cáperent Jeſum in ſermóne, ut tráderent illum poteſtáti præſidis. *Luc.* 20. 20. ℣. Consília impiórum frauduléntа, verba impiórum inſidiántur ſánguini. *Prov.* 12. 5. 6. * Miſérunt.

Lectio viij.

QUi intérna cogitatiónum ſecréta cognóſcens, (Deus enim nihil eórum quæ intrà hóminem ſunt abſcónſa non ſpeculátur,) afférri ſibi denárium juſſit, & quæsívit cujus & inſcríptio eſſet & forma. Phariſæi reſpondérunt Cæſaris eam eſſe. Quibus ait: [Cæſari redhibénda eſſe, quæ Cæſaris ſunt; Deo autem reddénda eſſe quæ Dei ſunt.] O plenam miráculi reſponſiónem, & perféctam dicti cœleſtis abſolutiónem! Ita ómnia inter contémptum ſéculi, & contuméliam lædéndi Cæſaris temperávit, ut curis ómnibus, & officiis humánis devótas Deo mentes abſólveret, cùm Cæſari quæ ejus eſſent redhibénda decérnit.

℟. Mittunt quoſdam ex Phariſæis, & Herodiánis, qui * Dicunt ei: Magíſter, ſcimus quia in veritáte viam Dei doces; licet dare tribútum Cæſari, an non dábimus? *Marc.* 12. 13. 14. ℣. Loquúntur pacem cum próximo ſuo, mala autem in córdibus eórum. *Pſ.* 27. 3. * Dicunt ei.

Lectio ix.

SI enim nihil ejus penès nos reſéderit, conditióne reddéndi ei quæ ſua ſunt, non tenébimur. Porrò autem ſi rebus illíus incubámus, ſi jure poteſtátis ejus útimur, & nos tanquam mercenários aliéni patrimónii procuratióni ſubjícimus; extra queſélam injúriæ eſt, Cæſari redhibéri quod Cæſaris eſt; Deo autem quæ ejus ſunt própria, réddere nos oportére, corpus, ánimam, voluntátem. Ab eo enim hæc profécta atque aucta retinémus; & proínde condignum eſt, ut ei totum reddant, cui debére ſe récolunt & oríginem & proféctum.

℟. Abyſſum & cor hóminis inveſtigávit Deus; & in aſtútia eórum excogitávit.* Non prætérit illum omnis cogitátus, & † Non abſcóndit ſe ab eo ullus ſermo. *Eccli.* 42. 18. 20. ℣. Cógnitâ Jeſus nequítiâ eórum ait: Quid me tentátis hypócritæ? *Matt.* 22. 18. * Non prætérit illum. Glória. † Non abſcóndit ſe.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. E. Obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jeſus: Cujus eſt imágo hæc, & ſuperſcríptio? Dicunt ei: Cæſaris. *Matt.* 22. 19. 20. 21.

Oratio.

LArgíre, quæſumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénſis, & ſecúrâ tibi mente deſérviant; Per.

CANON.

Ex Concílio Narbonénſi.

An. 1551. *can.* 36.

UNuſquiſque ad Miſſam Parochiálem véniat, diébus præſértim Domínicis; & doméſticos omnes ſecum ducat. Neque éxeant, ut fit, aut concióne hábitâ, aut eleváto córpore Chriſti, ſed expéctent quoúſque Sacérdos auditóribus benedíxerit; ne in excommunicatiónis ſenténtiam íncidant.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Réddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. *Matt.* 22. 21.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 6. 1. *ad* 5.

PLácuit Dário, & conſtítuit ſuper regnum ſátrapas centum vigínti, ut eſſent in toto regno ſuo: & ſuper eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut ſátrapæ illis rédderent ratiónem, & rex non ſuſtinéret moléſtiam. Igitur Dániel ſuperábat omnes príncipes & ſátrapas, quia ſpíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat conſtitúere eum ſuper omne regnum; unde príncipes & ſátrapæ quærébant occaſiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis; nullámque cauſam & ſuſpiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis eſſet, & omnis culpa & ſuſpício non inveniréntur in eo. Dixérunt ergo viri illi: Non inveniémus Daniéli huic áliquam occaſiónem, niſi fortè in lege Dei ſui.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 10.

TUnc príncipes & ſátrapæ ſurripuérunt regi, & ſic locúti ſunt ei: Dari rex, in ætérnum vive: consílium iniérunt omnes príncipes regni tui, magiſtrátus & ſátrapæ, ſenatóres & júdices, ut decrétum imperatórium éxeat & edíctum; Ut omnis qui petíerit áliquam petitiónem à quocúnque deo & hómine, uſque ad trigínta dies, niſi à te, rex,

mittátur in lacum leónum; nunc ítaque, rex, confirma ſenténtiam, & ſcribe decrétum; ut non immutétur quod ſtatútum eſt à Medis & Perſis, nec prævaricári cuíquam líceat. Porrò rex Dárius propóſuit edíctum, & ſtátuit. Quod cúm Dániel comperíſſet, id eſt, conſtitútam legem, ingréſſus eſt domum ſuam; & feneſtris apértis in cœnáculo ſuo contra Jerúſalem, tribus tempóribus in die flectébat génua ſua, & adorábat, confitebatúrque coram Deo ſuo, ſicut & antè fácere conſuéverat.

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 14.

VIri ergo illi curióſiùs inquiréntes, invenérunt Daniélem orántem; & obſecrántem Deum ſuum. Et accedéntes locúti ſunt regi ſuper edícto: Rex, nunquid non conſtituíſti, ut omnis homo qui rogáret quenquam de diis & homínibus, uſque ad dies trigínta; niſi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos reſpóndens rex, ait: Verus eſt ſermo, juxta decrétum Medórum atque Perſárum, quod prævaricári non licet. Tunc reſpondéntes, dixérunt coram rege: Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua, & de edícto quod conſtituíſti: ſed tribus tempóribus per diem orat obſecratióne ſuâ. Quod verbum cùm audíſſet rex, ſatis contriſtátus eſt; & pro Daniéle póſuit cor ut liberáret eum, & uſque ad occáſum ſolis laborábat ut erúeret illum.

℟. Miſérunt Babylónii, 253.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

An. 633. *cap.* 21.

INoffénſos & immaculátos decet Dei exíſtere Sacerdótes, nec ullo eos fornicatiónis contágio pólluì: ſed caſtè viventes, mundos ſemetípſos celebrándis exhíbeant Sacraméntis.

FERIA TERTIA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 6. 15. *ad* 18.

VIri illi intelligéntes regem, dixérunt ei: Scito, rex, quia lex Medórum atque Perſárum eſt, ut omne decrétum quod conſtitúerit rex, non liceat immutári. Tunc rex præcépit: & adduxérunt Daniélem, & miſérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus quem colis ſemper, ipſe liberábit te. Allatúſque eſt lapis unus, & póſitus eſt ſuper os laci; quem obſignávit rex ánnulo ſuo, & ánnulo optimátum ſuórum, ne quid fíeret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum ſuam, & dormívit incœnátus, cibíque non ſunt alláti coram eo; inſuper & ſomnus recéſſit ab eo.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *v.* 19. *ad* 24.

TUnc rex primo dilúculo conſúrgens, feſtinus ad lacum leónum perréxit; appropinquánſque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus eſt eum: Dániel, ſerve Dei vivéntis, Deus tuus cui tu ſervis ſemper, putáſne váluit te liberáre à leónibus? Et Dániel regi reſpóndens, ait: Rex, in ætérnum vive: Deus meus miſit ángelum ſuum, & conclúſit ora leónum, & non nocuérunt mihi; quia coram eo juſtítia invénta eſt in me: ſed & coram te, rex, delíctum non feci. Tunc veheménter rex gavíſus eſt ſuper eo, & Daniélem præcépit edúci de lacu: eductúſque eſt Dániel de lacu, & nulla læſio invénta eſt in eo, quia crédidit Deo ſuo. Jubénte autem rege, addúcti ſunt viri illi qui accuſáverant Daniélem, & in lacum leónum miſſi ſunt, ipſi & filii & uxóres eórum; & non pervenérunt uſque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes, & ómnia oſſa eórum comminuérunt.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *v.* 25. *ad fin.*

TUnc Dárius rex ſcripſit univérſis pópulis, tríbubus, & linguis, habitántibus in univérſa terra: Pax vobis multiplicétur: A me conſtitútum eſt decrétum, ut in univérſo império & regno meo tremíſcant & páveant Deum Daniélis; ipſe eſt enim Deus vivens, & ætérnus in ſécula; & regnum ejus non diſſipábitur, & potéſtas ejus uſque in ætérnum: ipſe liberátor atque ſalvátor, fáciens ſigna & mirabília in cœlo & in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum. Porrò Dániel perſeverávit uſque ad regnum Dárii, regnúmque Cyri Perſæ.

℟. Jacob, 254.

C A N O N.

Ex Concílio Toletáno quarto.

An. 633. *cap.* 21.

ABſtineámus nos ab omni ópere malo, & ab omni inquinaménto carnis líberi maneámus; ut mundi córpore, purgáti mente, poſſímus ad ſacrifícium Chriſti digni accédere, & Deum pro delíctis ómnium deprecári.

FERIA QUARTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 7. 1. *ad* 7.

ANno primo Baltáſſar regis Babylónis, Dániel ſómnium vidit: víſio autem cápitis ejus in cubíli ſuo: & ſómnium ſcribens, brevi ſermóne comprehéndit; ſummatímque perſtríngens, ait: Vidébam in viſióne mea, nocte; & ecce quátuor venti cœli pugnábant in mari magno. Et quátuor béſtiæ grandes aſcendébant de mari, divérſæ inter ſe. Prima quaſi leæna; & alas habébat áquilæ; aſpiciébam donec evúlſæ ſunt alæ

& ſubláta eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hóminis datum eſt ei. Et ecce béſtia ália ſímilis urſo in parte ſtetit: & tres órdines erant in ore ejus, & in déntibus ejus; & ſic dicébant ei: Surge, cómede carnes plúrimas. Poſt hæc aſpiciébam, & ecce ália quaſi pardus; & alas habébat quaſi avis, quátuor ſuper ſe, & quátuor cápita erant in béſtia; & potéſtas data eſt ei. Poſt hæc aſpiciébam in viſióne noctis, & ecce béſtia quarta terríbilis atque mirábilis, & fortis nimis.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 13. *ad* 18.

ASpiciébam ergo in viſióne noctis, & ecce cum núbibus cœli quaſi Fílius hóminis veniébat, & uſque ad Antíquum diérum pervénit; & in conſpéctu ejus obtulérunt eum. Et dedit ei poteſtátem & honórem & regnum; & omnes pópuli, tribus, & linguæ ipſi ſérvient: potéſtas ejus, potéſtas ætérna, quæ non auferétur: & regnum ejus, quod non corrumpétur. Hórruit ſpíritus meus: ego Dániel térritus ſum in his, & viſiónes cápitis mei conturbavérunt me. Accéſſi ad unum de aſſiſténtibus, & veritátem quærébam ab eo de ómnibus his. Qui dixit mihi interpretatiónem ſermónum, & dócuit me: Hæ quátuor béſtiæ magnæ, quátuor ſunt regna quæ conſúrgent de terra: ſuſcípient autem regnum ſancti Dei altíſſimi; & obtinébunt regnum uſque in ſǽculum, & ſǽculum ſeculórum.

℟. A Dario, 252.

Lectio iij. *v.* 19. *ad* 26.

POſt hoc vólui diligénter díſcere de béſtia quarta, quæ erat diſsímilis valdè ab ómnibus, & terríbilis nimis: dentes & ungues ejus, férrei; comedébat, & comminuébat; & réliqua pédibus ſuis conculcábat: & de córnibus decem quæ habébat in cápite, & de álio quod ortum fúerat, ante quod cecíderant tria córnua; & de cornu illo quod habébat óculos, & os loquens grándia, & majus erat céteris. Aſpiciébam, & ecce cornu illud faciébat bellum advérsùs ſanctos, & prævalébat eis; donec venit Antíquus diérum, & judícium dedit ſanctis Excélſi, & tempus advénit, & regnum obtinuérunt ſancti. Et ſic ait: Béſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit ómnibus regnis, & devorábit univérſam terram, & conculcábit, & commínuet eam. Porrò córnua decem ipsíus regni, decem reges erunt; & álius conſúrget poſt eos, & ipſe poténtior erit prióribus, & tres reges humiliábit; & ſermónes contra Excélſum loquétur, & ſanctos Altíſſimi cónteret; & putábit quòd poſſit mutáre témpora,

& leges ; & tradéntur in manu ejus uſque ad tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et judícium ſedébit ut auferátur poténtia, & conterátur, & diſpéreat uſque in finem.

℟. Miſérunt, 253.

CÁNON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *lib.* 1. *cap.* 94.

OFficii tui ſit, cariſſime, non ſolùm óculos caſtos serváre, ſed & linguam. Nunquam de mulíerum formis díſputes, nec quid in cujúſquam domo agátur, ália domus per te nóverit.

FERIA QUINTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 8. 1. *ad* 5.

ANno tértio regni Baltáſſar regis, viſio appáruit mihi. Ego Dániel, poſt id quod víderam in princípio, vidi in viſióne mea; cùm eſſem in Suſis caſtro quod eſt in Ælam regióne : vidi autem in viſióne eſſe me ſuper portam Ulaï. Et levávi óculos meos, & vidi : & ecce áries unus ſtabat ante palúdem, habens córnua excélſa, & unum excélſius áltero atque ſuccréſcens. Póſtea vidi aríetem córnibus ventilántem contra Occidéntem, & contra Aquilónem, & contra Merídiem; & omnes béſtiæ non póterant reſíſtere ei, neque liberári de manu ejus : fecítque ſecúndùm voluntátem ſuam, & magnificátus eſt. Et ego intelligébam : ecce autem hircus caprárum veniébat ab Occidénte ſuper fáciem totíus terræ, & non tangébat terram : porrò hircus habébat cornu inſígne inter óculos ſuos.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *v.* 13. *ad* 18.

ET audívi unum de ſanctis loquéntem : & dixit unus ſanctus álteri néſcio cui loquénti : Uſquequo viſio, & juge ſacrifícium, & peccátum deſolatiónis quæ facta eſt; & ſanctuárium, & fortitúdo conculcábitur? Et dixit ei : Uſque ad véſperam & manè, dies duo míllia trecénti; & mundábitur ſanctuárium. Factum eſt autem cùm vidérem ego Dániel viſiónem, & quærerem intelligéntiam, ecce ſtetit in conſpéctu meo quaſi ſpécies viri. Et audívi vocem viri inter Ulaï; & clamávit, & ait : Gábriël fac intellígere iſtum viſiónem. Et venit, & ſtetit juxta ubi ego ſtabam : cúmque veniſſet, pavens córrui in fáciem meam; & ait ad me: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur víſio. Cúmque loquerétur ad me, collápſus ſum pronus in terram.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *v.* 18. *ad* 25.

ET tétigit me, & ſtátuit me in gradu meo, dixítque mihi : Ego oſténdam tibi quæ futúra ſunt in noviſſimo maledictiónis; quóniam habet

tempus finem ſuum. Aries quem vidíſti habére córnua, rex Medórum eſt atque Perſárum. Porrò hircus caprárum, rex Græcórum eſt; & cornu grande quod erat inter óculos ejus, ipſe eſt rex primus. Quòd autem fracto illo ſurrexérunt quátuor pro eo; quátuor reges de gente ejus conſúrgent, ſed non in fortitúdine ejus. Et poſt regnum eórum, cùm créverint iniquitátes, conſúrget rex impudens fácie, & intélligens propoſitiónes. Et roborábitur fortitúdo ejus, ſed non in víribus ſuis; & ſuprà quàm credi poteſt, univérſa vaſtábit, & proſperábitur, & fáciet; & interfíciet robúſtos, & pópulum ſanctórum ſecúndùm voluntátem ſuam; & dirigétur dolus in manu ejus.

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Aurelianénſi tértio.

An. 538. *can.* 4.

SPeciáliter inhibétur ut ſi quis Clericórum ſuſpiciónem advérſam, aut oblocutiónem pópuli de muliere quacúnque fortáſſis incúrrerit, eam ſtatim; ſi intrà domum ſuam habet, abjíciat.

FERIA SEXTA.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 9. 1. *ad* 6.

IN anno primo Dárii filii Aſſuéri, de ſémine Medórum, qui imperávit ſuper regnum Chaldæórum; anno uno regni ejus, ego Dániel intelléxi in libris númerum annórum, de quo factus eſt ſermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut compleréntur deſolatiónis Jerúſalem ſeptuagínta anni. Et póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféſſus ſum, & dixi: Obſecro Dómine Deus magne & terríbilis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus te, & cuſtodiéntibus mandáta tua: peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéſſimus, & declinávimus à mandátis tuis ac judíciis: non obedívimus ſervis tuis prophétis, qui locúti ſunt in nómine tuo régibus noſtris, princípibus noſtris, pátribus noſtris, omníque pópulo terræ.

℟. Exclamávit, 252.

Lectio ij. *v.* 21. *ad* 24.

ADhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriël, quem víderam in viſióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore ſacrifícii veſpertíni. Et dócuit me, & locútus eſt mihi, dixítque: Dániel, nunc egréſſus ſum ut docérem te, & intelligeres. Ab exórdio precum tuárum egréſſus eſt ſermo; ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir deſideriórum es: tu ergo animadvérte ſermónem, &

intéllige viſiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ ſunt ſuper pópulum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur juſtítia ſempitérna, & impleátur víſio & prophetía, & ungátur Sanctus ſanctórum.

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 25. *ad fin.*

SCito ergo, & animadvérte: Ab éxitu ſermónis, ut íterum ædificétur Jerúſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdómades ſeptem, & hebdómades ſexagínta duæ erunt: & rurſum ædificábitur platéa, & muri in angúſtia témporum. Et poſt hebdómades ſexagínta duas occidétur Chriſtus: & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus eſt. Et civitátem & ſanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro: & finis ejus váſtitas, & poſt finem belli ſtatúta deſolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis defíciet hóſtia & ſacrifícium; & erit in templo abominátio deſolatiónis; & uſque ad conſummatiónem & finem perſeverábit deſolátio.

℟. Miſérunt, 253.

CANON.

Ex Concílio Aquénſi.

An. 1585. *tit. de vita & honeſt. Clericorum.*

FEminas ancillas Preſbyteris habéri non licet, niſi quæ quinquagéſimum ætátis annum exégerint, & vitam non ſuſpéctam dúxerint.

SABBATO.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 14. 1. *ad* 6.

ERat autem Dániel convíva regis, & honorátus ſuper omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios, nómine Bel: & impendebántur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, & oves quadragínta, viníque ámphoræ ſex. Rex quoque colébat eum, & ibat per síngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorábat Deum ſuum. Dixítque ei rex: Quare non adóras Bel? Qui reſpóndens, ait ei: Quia non colo idóla manufácta, ſed vivéntem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet poteſtátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum: Non vidétur tibi eſſe Bel vivens Deus? an non vides quanta cómedat & bibat quotídie? Et ait Dániel arrídens: Ne erres, rex, iſte enim intrínſecùs lúteus eſt, & forínſecùs æreus; neque comédit aliquándo.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica XXI. ſuprà*, 253.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 13.

ET irátus rex vocávit ſacerdótes ejus, & ait eis: Niſi dixéritis mihi quis eſt qui cómedat impénſas has, moriémini: ſi autem oſtendéritis

quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blaſphemávit in Bel. Et dixit Dániel regi: Fiat juxta verbum tuum. Erant autem ſacerdótes Bel ſeptuagínta, excéptis uxóribus, & párvulis, & filiis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt ſacerdótes Bel: Ecce nos egrédimur foràs; & tu, rex, pone eſcas, & vinum miſce, & claude óſtium, & ſigna ánnulo tuo; & cùm ingréſſus fúeris manè, niſi invéneris ómnia coméſta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus eſt advérsùm nos. Contemnébant autem, quia fécerant ſub menſa abſcónditum introítum, & per illum ingrediebántur ſemper, & devorábant ea. Factum eſt ígitur poſtquam egréſſi ſunt illi, rex póſuit cibos ante Bel. Præcépit Dániel púeris ſuis, & attulérunt cínerem; & cribrávit per totum templum coram rege: & egréſſi clauſérunt óſtium, & ſignántes ánnulo regis, abiérunt.

Lectio iij. *v.* 14. *ad* 21.

SAcerdótes autem ingréſſi ſunt nocte juxta conſuetúdinem ſuam, & uxóres, & filii eórum; & comedérunt ómnia, & bibérunt. Surréxit autem rex próximo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait rex: Salváne ſunt ſignácula, Dániel? Qui reſpóndit: Salva, rex. Statímque cùm aperuíſſet óſtium, intúitus rex menſam, exclamávit voce magnâ: Magnus es, Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam. Et riſit Dániel, & ténuit regem ne ingrederétur intrò, & dixit: Ecce paviméntum, animadvérte cujus veſtígia ſint hæc. Et dixit rex: Vídeo veſtígia virórum, & mulíerum, & infántium. Et irátus eſt rex. Tunc apprehéndit ſacerdótes, & uxóres, & fílios eórum; & oſtendérunt ei abſcóndita oſtíola per quæ ingrediebántur, & conſumébant quæ erant ſuper menſam. Occídit ergo illos rex, & trádidit Bel in poteſtátem Daniélis, qui ſubvértit eum, & templum ejus.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 2.

FAmiliáres ſuos unuſquiſque Sacérdos inſtruat, & erúdiat ne ſint rixóſi, vinóſi, impudíci, cúpidi, eláti, blaſphémi, & voluptátum amatóres; vítia demum fúgiant, & virtútes ampleclántur; & in veſtítu, & cultu, & ómnibus áctibus honeſtátem præ ſe ferant, ſicut decet miníſtros miniſtrórum Dei.

AD VESPERAS.

¶ *Dominicâ proximâ ante Adventum, quæ eſt ultima poſt Pentecoſten, ſemper ſit Officium, ut habetur infrà poſt Officium Dominicæ VI. quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam, ſine ulla Commemoratione Dominicæ.*

intéllige viſiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ ſunt ſuper pópulum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur juſtítia ſempitérna, & impleátur víſio & prophetía, & ungátur Sanctus ſanctórum.

℟. A Dário, 252.

Lectio iij. *v.* 25. *ad fin.*

Scito ergo, & animadvérte: Ab éxitu ſermónis, ut íterum ædificétur Jerúſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdómades ſeptem, & hebdómades ſexagínta duæ erunt: & rurſum ædificábitur platéa, & muri in angúſtia témporum. Et poſt hebdómades ſexagínta duas occidétur Chriſtus: & non *erit ejus* pópulus, qui eum negatúrus eſt. Et civitátem & ſanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro: & finis ejus váſtitas, & poſt finem belli *ſtatúta* deſolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis deficiet hóſtia & ſacrifícium; & erit in templo abominátio deſolatiónis; & uſque ad conſummatiónem & finem [illegible] deſolátio.

[illegible] 253.

N.

\quénſi.

& honeſt.

Preſbyte-

cet, niſi

quæ quinquagéſimum ætátis annum exégerint, & vitam non ſuſpéctam dúxerint.

SABBATO.

De Daniéle prophéta.

Lectio j. *c.* 14. 1. *ad* 6.

Erat autem Dániel convíva regis, & honorátus ſuper omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios, nómine Bel: & impendebántur in eo per dies ſíngulos ſímilæ ártabæ duódecim, & oves quadragínta, viníque ámphoræ ſex. Rex quoque colébat eum, & ibat per ſíngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorábat Deum ſuum. Dixítque ei rex: Quare non adóras Bel? Qui reſpóndens, ait ei: Quia non colo idóla manufácta, ſed vivéntem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet poteſtátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum: Non vidétur tibi eſſe Bel vivens Deus? an non vides quanta cómedat & bibat quotídie? Et ait Dániel arrídens: Ne erres, rex, iſte enim intrínſecùs lúteus eſt, & forínſecùs æreus; neque comédit aliquándo.

Si fiat de Sabbato, ℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica XXI. ſuprà*, 253.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 13.

Et irátus rex vocávit ſacerdótes ejus, & ait eis: Niſi dixéritis mihi quis eſt qui cómedat impénſas has, m mini: ſi autem oſter

ſine théraphim. Et poſt hæc reverténtur filii Iſraël, & quærent Dóminum Deum ſuum, & David regem ſuum: & pavébunt ad Dóminum, & ad bonum ejus in noviſſimo diérum. Audíte verbum Dómini, filii Iſraël, quia judícium Dómino cum habitatóribus terræ; non eſt enim véritas, & non eſt miſericórdia, & non eſt ſciéntia Dei in terra. Maledíctum, & mendácium, & homicídium, & furtum, & adultérium inundavérunt, & ſanguis ſánguinem tétigit. Propter hoc lugébit terra, & infirmábitur omnis qui hábitat in ea.

℟. In odórem, 242.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi de Civitáte Dei.

Lib. 18. *cap.* 27.

Lectio iv.

IN cápite libri Oſée prophétæ, qui primus in duódecim pónitur, ita ſcriptum eſt: [Verbum Dómini quod factum eſt ad Oſée in diébus Ozíæ, & Jóathan, & Achaz, & Ezechíæ, regum Juda.] Amos quoque diébus regis Ozíæ prophetáſſe ſe ſcribit... Michæas étiam eádem ſuæ prophetíæ commémorat témpora poſt dies Ozíæ. Nam tres qui ſequúntur reges nóminat, quos & Oſée nominávit, Jóathan, & Achaz, & Ezechíam.... His adjúngitur Jonas eódem Ozíâ rege regnánte, & Joël cùm jam regnáret Jóathan qui ſuccéſſit Ozíæ... Ac per hoc, per ea témpora iſti velut fontes prophetíæ páriter erupérunt, quando regnum defécit Aſſyrium, cœpítque Románum: ut ſcílicet quemádmodum regni Aſſyriórum primo témpore éxtitit Abraham, cui promiſſiónes apertíſſimè fíerent in ejus ſémine benedictiónis ómnium géntium, ita Occidentális Babylónis exórdio, quâ fuérat Chriſtus imperánte ventúrus, in quo impleréntur illa promíſſa orácula Prophetárum, non ſolùm loquéntium, verùm étiam ſcribéntium in tantæ rei futúræ teſtimónium ſolveréntur.

℟. Fílius, 253.

Lectio v. *cap.* 28 30.

OSée ígitur prophéta, quantò profúndiùs quidem lóquitur, tantò operóſiùs penetrátur. Sed áliquid inde ſuméndum eſt, & hìc ex noſtra promiſſióne ponéndum. [Et erit (inquit) in loco quo dictum eſt eis, Non pópulus meus vos, vocabúntur & ipſi filii Dei vivi.] Hoc teſtimónium prophéticum de vocatióne pópuli géntium, qui priùs non pertinébat ad Deum, étiam Apóſtoli intellexérunt... Joël ómnia quæ prophétat, multis verbis compéllit expóni, ut quæ pértinent ad Chriſtum & Eccléſiam dilucéſcant. Unum tamen, quod étiam Apóſtoli

commemoravérunt, quando in congregátos credéntes Spíritus-ſanctus, ſicut à Chriſto promíſſus fúerat, déſuper venit, non prætermíttam. [Et erit (inquit) poſt hæc, & effúndam de ſpíritu meo ſuper omnem carnem: & prophetábunt filii veſtri, & filiæ veſtræ....] Amos quoque de rebus tálibus ſic prophétat: [Præpara (inquit) te, ut ínvoces Deum tuum Iſraël, quia ecce ego firmans tonítruum, & creans ſpíritum, & annúntians in homínibus Chriſtum ſuum.]

℟. Judícium, 254.

Lectio vj. *cap.* 30. 31.

Abdías, quantùm ad ſcriptúram ejus áttinet, ómnium breviſſimus Prophetárum, advérsùs Idumæam lóquitur, gentem ſcílicet Eſaü, ex duóbus géminis fíliis Iſaac, nepótibus Abrahæ, majóris illius reprobáti. Porrò ſi Idumæam modo locutiónis, qua intélligitur à parte totum, accipiámus póſitam eſſe pro géntibus; de Chriſto agnóſcere póſſumus, quod ait inter cétera: [In monte autem Sion erit ſalus, & erit ſanctum ...] Jonas autem prophéta non tam ſermóne Chriſtum, quàm ſuâ quâdam paſſióne prophetávit; profectò apértiùs quàm ſi ejus mortem & reſurrectiónem voce clamáret. Ut quid enim excéptus eſt ventre bellúino, & die tértio rédditus, niſi ut ſignificáret Chriſtum de profúndo inférni die tértio reditúrum? .... Michæas prophéta Chriſtum in figúra ponens cujúſdam magni montis, hæc lóquitur: [Erit in noviſſimis diébus maniféſtus mons Dómini parátus ſuper vértices móntium; & exaltábitur ſuper colles ...] Prædícens iſte prophéta & locum in quo natus eſt Chriſtus; [Et tu (inquit) Béthlehem domus Ephráta, mínima es, ut ſis in míllibus Juda, ex te mihi pródiet, ut ſit in príncipem Iſraël; & egréſſus ejus ab inítio, & ex diébus æternitátis.]

℟. Jacob, 254.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 9. 18. *ad* 28.

In illo témpore; Loquénte Jeſu ad diſcípulos Joánnis, ecce princeps unus accéſſit, & adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modò defúncta eſt; ſed veni, impóne manum tuam ſuper eam, & vivet. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii epíſcopi.

Expoſ. Evang ſec. Luc. lib. 6. *§.* 60. *&* 61.

Conſiderémus quòd Jeſus ſuſcitatúrus mórtuam, ad faciéndam fidem hæmorrhoúſſam antè curávit. Et ut ſcias, exémpli grátiâ, ſtetíſſe ſánguinis fluxum; dum illa pétitur, iſta curátur. Sic & reſurréctio

temporális in Dómini paſſióne celebrátur, ut & perpétua illa credátur. Sic & Maríæ paritúra ſterilis indicátur, ut conceptúra virgo credátur. Dénique audívit paritúram Elizabeth; nec de ſua generatióne dubitávit. [Venérunt (inquit) ſervi dicéntes princípi: Noli vexáre illum.] Adhuc & hi incréduli ad reſurrectiónem, quam Jeſus in Lege prædíxit, in Evangélio complévit. Itaque cum veníſſet in domum, paucos futúræ árbitros reſurrectiónis adſcívit; non enim à multis contínuò eſt crédita reſurréctio.

℟. Quidam de Archiſynagógis prócidit ad pedes Jeſu, dicens: Fília mea in extrémis eſt: * Veni, impóne manum ſuper eam, ut ſalva ſit. *Marc.* 5. 22. 23. ℣. Tu, Dómine, vitæ & mortis habes poteſtátem, dedúcis ad portas mortis, & redúcis. *Sap.* 16. 13. * Veni.

Lectio viij. §. 62.

Dicénte Dómino: [Non eſt mórtua puélla, ſed dormit; deridébant (inquit) eum.] Quicúnque enim non credit; irrídet. Fleant ígitur mórtuos ſuos, qui putant mórtuos: ubi reſurrectiónis fides eſt, non mortis eſt ſpécies, ſed quiétis. Nec abhórret illud Matthæi, quod ait tibícines fuiſſe in domo príncipis, & turbam tumultuántem: quia more véteri tibícines ad incendéndos excitandóſque luctus videbántur adhibéri.

℟. Venérunt ab Archiſynagógo, dicéntes: Fília tua mórtua eſt; quid ultrà vexas Magíſtrum? Jeſus ait: * Noli timére; tantúmmodo crede. *Marc.* 5. 35. 36. ℣. Dabit tibi Dóminus petitiónes cordis tui: ſpera in eo; & ipſe fáciet. *Pſ.* 36. 4. 5.* Noli timére.

Lectio ix. §. 63.

Tenens ergo manum puéllæ Jeſus ſanávit eam, & juſſit ei dari manducáre. Quod eſt teſtimónium vitæ: ut non phantáſma, ſed véritas crederétur. Beátus ille cui manum Sapiéntia tenet. Utinam meos quoque téneat actus, téneat manum juſtítia, téneat Dei Verbum, indúcat in penetrália ſua, ſpíritum avértat erróris, convértat ſalútis, dari mihi júbeat manducáre; panis enim cæléſtis, Dei Verbum eſt. Inde & illa Sapiéntia quæ divíni córporis & ſánguinis ſacroſáncta altária replévit aliméntis: [Veníte, (inquit) édite panes meos; & bibíte vinum quod míſcui vobis.]

℟. Cum veníſſet Jeſus domum, tenens manum puéllæ, * Clamávit, dicens: Puélla ſurge: & † Revérſus eſt ſpíritus ejus, & ſurréxit contínuò. *Luc.* 8. 51. 54. 55. ℣. In omni neceſſitáte ómnia obaúdiunt ei. *Eccli.* 42. 24. * Clamávit. Glória. † Revérſus eſt.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* Dicébat múlier intrà ſe : ſi tetígero tantùm veſtiméntum ejus, ſalva ero. *Matt.* 9. 21.

Oratio.

ABſólve, quæſumus, Dómine, tuórum delícta populórum; ut à peccatórum néxibus, quæ pro noſtra fragilitáte contráximus, tuâ benignitáte liberémur; Per.

CANON.

Ex Concílio Aquileiénſi. *An.* 1596. *cap.* 14. *de Feſtorum ſanctificatione.*

TEmpus diéi feſti in audiéndis conciónibus, Miſſæ ſacro, & divínis Officiis ponéndum eſt; non in comeſſatiónibus: multò minùs, peráсto prándio, ad ſaltatiónes & luſus declinándum; cùm ſit in Eccléſias ad Horas veſpertínas audiéndas diverténdum, & nomen Dei concórditer & devótè vel ſiléntii meditatióne, vel vocis exultatióne laudándum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G*. Jeſus convérſus, dixit: Confide fília, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt múlier ex illa hora. *Matt.* 9. 22.

FERIA SECUNDA.

De Oſée prophéta.

Lectio j. *c.* 6. 1. *ad* 6.

IN tribulatióne ſua manè conſúrgent ad me: Veníte, & revertámur ad Dóminum; quia ipſe cepit, & ſanábit nos; percútiet, & curábit nos: vivificábit nos poſt duos dies, in die tértia ſuſcitábit nos, & vivémus in conſpéctu ejus. Sciémus, sequemúrque ut cognoſcámus Dóminum; quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus ejus, & véniet quaſi imber nobis temporáneus & ſerótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraïm? Quid fáciam tibi, Juda? miſericórdia veſtra quaſi nubes matutína, & quaſi ros manè pertránſiens. Propter hoc doláví in prophétis, occídi eos in verbis oris mei: & judícia tua quaſi lux egrediéntur. Quia miſericórdiam vólui, & non ſacrifícium; & ſciéntiam Dei, pluſquam holocaúſta.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *c.* 11. 1. *ad* 4.

SIcut manè tránſiit, pertránſiit rex Iſraël. Quia puer Iſraël, & diléxi eum: & ex Ægypto vocávi filium meum. Vocavérunt eos, ſic abiérunt à fácie eórum. Báalim immolábant, & ſimulácris ſacrificábant. Et ego quaſi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis; & neſciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis: & ero eis quaſi exáltans jugum ſuper maxíllas eórum: & declinávi ad eum ut veſceréttur.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij. *c.* 13. 9. *ad* 14.

PErdítio tua, Iſraël: tantúmmodo in me auxílium tuum. Ubi eſt rex tuus? Ma-

ximè nunc ſalvet te in ómnibus úrbibus tuis ; & júdices tui, de quibus dixíſti : Da mihi regem & príncipes. Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne mea. Colligáta eſt iníquitas Ephraïm, abſcónditum peccátum ejus. Dolóres parturiéntis vénient ei : ipſe fílius non ſápiens ; nunc enim non ſtabit in contritióne filiorum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos : ero mors tua, ô mors ; morſus tuus ero, inférne : conſolátio abſcóndita eſt ab óculis meis.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénſi ſecúndo.

An. 813. *can.* 6.

Eccléſia ſancta non ſolùm fidéles ſpoliáre non debet ; quin pótiùs inópibus opem ferre ; quia res Eccléſiæ, quibus Epíſcopi, non ut própriis, ſed ut commendatítiis uti debent, prétia ſunt peccatórum, patrimónia páuperum, ſtipéndia fratrum in commúni vivéntium.

FERIA TERTIA.

Incipit Joël prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

Verbum Dómini, quod factum eſt ad Joël fílium Phátuel. Audíte hoc, ſenes ; & áuribus percípite, omnes habitatóres terræ : ſi factum eſt iſtud in diébus veſtris, aut in diébus patrum veſtrórum ? Super hoc fíliis veſtris narráte, & filii veſtri fíliis ſuis, & fílii eórum generatióni álteræ. Resíduum erúcæ comédit locúſta, & resíduum locúſtæ comédit bruchus, & resíduum bruchi comédit rubígo.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *c.* 2. 28. *ad fin.*

Et erit poſt hæc : Effúndam ſpíritum meum ſuper omnem carnem ; & prophetábunt fílii veſtri, & fíliæ veſtræ : ſenes veſtri ſómnia ſomniábunt, & júvenes veſtri viſiónes vidébunt. Sed & ſuper ſervos meos & ancíllas in diébus illis effúndam ſpíritum meum. Et dabo prodígia in cœlo & in terra, ſánguinem, & ignem, & vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, & luna in ſánguinem ; ántequam véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et erit : Omnis qui invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit ; quia in monte Sion, & in Jeruſalem erit ſalvátio, ſicut dixit Dóminus, & in resíduis quos Dóminus vocáverit.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *c.* 3. 12. *ad* 17.

Conſúrgant & aſcéndant gentes in vallem Jóſaphat : quia ibi ſedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit meſſis : veníte, & deſcéndite, quia plenum eſt tórcular, exúberant torculária ; quia

multiplicáta eſt malítia eórum. Pópuli, pópuli in valle conciſiónis, quia juxta eſt dies Dómini in valle conciſiónis. Sol & luna obtenebráti ſunt, & ſtellæ retraxérunt ſplendórem ſuum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabit vocem ſuam; & movebúntur cœli & terra: & Dóminus ſpes pópuli ſui, & fortitúdo filiórum Iſraël. Et ſciétis quia ego Dóminus Deus veſter hábitans in Sion monte ſancto meo: & erit Jerúſalem ſancta, & aliéni non tranſíbunt per eam ámpliùs.

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 12.

APóſtolus dixit ſic Dóminum diſpoſuiſſe, ut qui Evangélium annúntiant, de Evangélio vivant.... Unde ergo vívitur, neceſſitátis eſt accípere, caritátis eſt præbére.... Accípiant ſuſtentatiónem neceſſitátis à pópulo, mercédem diſpenſatiónis à Dómino.

FERIA QUARTA.

Incipit Amos prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 2.

VErba Amos, qui fuit in paſtóribus de Thécue, quæ vidit ſuper Iſraël in diébus Ozíæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Iſraël, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabit vocem ſuam: & luxérunt ſpecióſa paſtórum, & exſiccátus eſt vertex Carméli.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *c.* 6. 1. *ad* 7.

VÆ qui opuléndi eſtis in Sion, & confíditis in monte Samaríæ; optimátes cápita populórum, ingrediéntes pompáticè domum Iſraël. Tranſíte in Chálane, & vidéte, & ite inde in Emath magnam; & deſcéndite in Geth Palæſthinórum, & ad óptima quæque regna horum; ſi látior términus eórum término veſtro eſt. Qui ſeparáti eſtis in diem malum; & appropinquátis ſólio iniquitátis. Qui dormítis in lectis ebúrneis, & laſcivítis in ſtratis veſtris: qui coméditis agnum de grege, & vítulos de médio arménti: Qui cánitis ad vocem pſaltérii; ſicut David putavérunt ſe habére vaſa cántici. Bibéntes vinum in phíalis, & óptimo unguénto delibúti; & nihil patiebántur ſuper contritióne Joſeph. Quaprópter nunc migrábunt in cápite tranſmigrántium, & auferétur fáctio laſciviéntium.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij. *c.* 7. 10. *ad fin.*

ET miſit Amáſias ſacérdos Bethel ad Jeróboam regem Iſraël, dicens: Rebellávit contra te Amos in médio domûs Iſraël: non póterit terra ſuſtinére univérſos ſermónes ejus; hæc enim dicit

Amos: In gládio moriétur Jeróboam, & Iſraël captívus migrábit de terra ſua. Et dixit Amáſias ad Amos: Qui vides, grádere, fuge in terram Juda, & cómede ibi panem, & prophetábis ibi; & in Bethel non adjícies ultrà ut prophétes; quia ſanctificátio regis eſt, & domus regni eſt. Respondítque Amos, & dixit ad Amáſiam: Non ſum prophéta, & non ſum filius prophétæ; ſed armentárius ego ſum véllicans ſycómoros: & tulit me Dóminus cùm ſéquerer gregem; & dixit Dóminus ad me: Vade, prophéta ad pópulum meum Iſraël. Et nunc audi verbum Dómini: Tu dicis: Non prophetábis ſuper Iſraël, & non ſtillábis ſuper domum idóli. Propter hoc hæc dicit Dóminus: Uxor tua in civitáte fornicábitur, & filii tui & filiæ tuæ in gládio cadent; & humus tua funículo metiétur, & tu in terrá pollúta moriéris; & Iſraël captívus migrábit de terra ſua.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 116.

Fidéles fídei ardóre, & Chriſti amóre ſuccénſi, ob animárum ſuárum remédium & cœléſtis pátriæ deſidérium, ſuis própriis facultátibus, ſanctam locuplétem fecérunt Eccléſiam, ut his & mílites Chriſti alereńtur, & Eccléſiæ exornaréntur, paúperes recreaéntur, & captívi pro témporum opportunitáte redimeréntur.

FERIA QUINTA.

Incipit Abdias prophéta.

Lectio j. *v.* 1. *ad* 4.

Viſio Abdíæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes miſit: Súrgite, & conſurgámus advérsùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in géntibus: contemptíbilis tu es valde: ſupérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in ſciſſúris petrárum, exaltántem ſólium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, & ſi inter ſídera poſúeris nidum tuum; inde détraham te, dicit Dóminus.

℟. Filius, 253.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 11.

Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam ſapiéntes de Idumæa, & prudéntiam de monte Eſaü. Et timébunt fortes tui à merídie, ut intéreat vir de monte Eſaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúſio; & peribis in ætérnum. In die cùm ſtares advérsùs eum, quando capiébant alièni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & ſuper

Jeruſalem mittébant ſortem; tu quoque eras quaſi unus ex eis.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *v.* 17. *ad fin.*

IN monte Sion erit ſalvátio, & erit ſanctus: & poſſidébit domus Jacob eos qui ſe poſſéderant. Et erit domus Jacob, ignis; & domus Joſeph, flamma; & domus Eſaü, ſtípula: & ſuccendéntur in eis, & devorábunt eos; & non erunt relíquiæ domûs Eſaü; quia Dóminus locútus eſt. Et hereditábunt hi qui ad Auſtrum ſunt, montem Eſaü; & qui in campéſtribus Philiſthiim: & poſſidébunt regiónem Ephraïm, & regiónem Samaríæ: & Bénjamin poſſidébit Gálaad. Et tranſmigrátio exércitûs hujus filiórum Iſraël, ómnia loca Chananæórum uſque ad Saréptam: & tranſmigrátio Jeruſalem, quæ in Bóſphoro eſt, poſſidébit civitátes Auſtri. Et aſcéndent ſalvatóres in montem Sion judicáre montem Eſaü: & erit Dómino regnum.

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 18.

COnvenit Paſtóribus Eccleſiárum res Eccléſiæ poſſidére, non ab his poſſidéri; &, ut Proſper ſcribit, eas poſſidéndo debent contémnere; & non ſibi, ſed áliis poſſidére.

FERIA SEXTA.

Incipit Jonas prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

FActum eſt verbum Dómini ad Jonam filium Amáthi, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem grandem; & prædica in ea: quia aſcéndit malítia ejus coram me. Et ſurréxit Jonas, ut fúgeret in Tharſis à fácie Dómini; & deſcéndit in Joppen, & invénit navem eúntem in Tharſis; & dedit naulum ejus; & deſcéndit in eam ut iret cum eis in Tharſis à fácie Dómini. Dóminus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempéſtas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum ſuum; & miſérunt vaſa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis. Et Jonas deſcéndit ad interióra navis, & dormiébat ſopóre gravi. Et accéſſit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu ſopóre depríméris? ſurge, ínvoca Deum tuum, ſi forte recógitet Deus de nobis, & non pereámus.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij.

c. 1. 12. *ad fin.* & *c.* 2. 1. *ad* 2.

ET dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare, & ceſſábit mare à vobis; ſcio enim ego quóniam propter me tempéſtas hæc grandis venit ſuper vos. Et remigábant viri ut reverteré-

dam, & non valébant; quia mare ibat, & intumeſcébat ſuper eos. Et clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Quæſumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri iſtíus, & ne des ſuper nos ſánguinem innocéntem; quia tu, Dómine, ſicut voluíſti, fecíſti. Et tulérunt Jonam, & miſérunt in mare: & ſtetit mare à fervóre ſuo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum; & immolavérunt hóſtias Dómino, & vovérunt vota. Et præparávit Dóminus piſcem grandem ut deglutíret Jonam. Et erat Jonas in ventre piſcis tribus diébus & tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum ſuum de ventre piſcis.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij.

c. 2. v. 11. & c. 3. v. 1. ad fin.

ET dixit Dóminus piſci: & evómuit Jonam in áridam; Et factum eſt verbum Dómini ad Jonam ſecúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam; & prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Et ſurréxit Jonas, & ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus; & clamávit, & dixit: Adhuc quadragínta dies, & Nínive ſubvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum, & prædicavérunt jejúnium, & veſtíti ſunt ſaccis à majóre uſque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive; & ſurréxit de ſólio ſuo, & abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis, & príncipum ejus, dicens: Hómines, & juménta, & boves, & pécora non guſtent quidquam; nec paſcántur, & aquam non bibant: & operiántur ſaccis hómines, & juménta, & clament ad Dóminum in fortitúdine; & convertátur vir à via ſua mala, & ab iniquitáte quæ eſt in mánibus eórum. Quis ſcit ſi convertátur & ignóſcat Deus; & revertátur à furóre iræ ſuæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia convérſi ſunt de via ſua mala: & miſértus eſt Deus ſuper malítiam quam locútus fúerat ut fáceret eis, & non fecit.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816 *lib.* 1. *cap.* 145.

NUllus in Collégio Canónico inútilis appáreat, nec vota fidélium otióſus cómedat.

SABBATO.

¶ *Si ſequens Dominica fuerit ultima poſt Pentecoſten, hodie (niſi occurrat Feſtum Semiduplex aut ſuprà) pro primâ & ſecundâ Lectione, ex tribus Lectionibus ſequentibus fient duæ. Pro tertia verò Lectione legetur*

Homilia cum ℟. ſeptimo Dominicæ XXIV. Antiphona ad Benedictus, *& Oratio ipſius Dominicæ; cætera verò de Sabbato cum Oratione ejuſdem Dominicæ ad Horas.*

Si verò occurrat Feſtum Semiduplex aut ſuprà, fiet Officium de Feſto; Homilia autem Dominicæ XXIV. dicetur in præcedenti Feriâ non impeditâ, ritu ſuprà notato.

Incipit Michæas prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

VErbum Dómini quod factum eſt ad Michæam Moraſthítem in diébus Jóatham, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda; quod vidit ſuper Samaríam & Jerúſalem. Audíte pópuli omnes, & atténdat terra, & plenitúdo ejus: & ſit Dóminus Deus vobis in teſtem, Dóminus de templo ſancto ſuo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco ſuo, & deſcéndet, & calcábit ſuper excélſa terræ. Et conſuméntur montes ſubtus eum: & valles ſcindéntur ſicut cera à fácie ignis, & ſicut aquæ quæ decúrrunt in præceps. In ſcélere Jacob omne iſtud, & in peccátis domûs Iſraël. Quod ſcelus Jacob? nonne Samaría? & quæ excélſa Judæ? nonne Jerúſalem? Et ponam Samaríam, quaſi acérvum lápidum in agro cùm plantátur vínea, & détraham in vallem lápides ejus, & fundaméntum ejus revelábo.

Si fiat de Sabbato, ℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominicæ XXI. ſuprà*, 253.

Lectio ij. *c.* 3. 5. *ad* 8.

HÆc dicit Dóminus ſuper prophétas qui ſedúcunt pópulum meum; qui mordent déntibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non déderit in ore eórum quíppiam, ſanctíficant ſuper eum prælium. Proptérea nox vobis pro viſióne erit, & ténebræ vobis pro divinatióne; & occúmbet ſol ſuper prophétas, & obtenebrábitur ſuper eos dies. Et confundéntur qui vident viſiónes, & confundéntur divíni; & opérient omnes vultus ſuos, quia non eſt reſpónſum Dei. Verúntamen ego replétus ſum fortitúdine ſpíritûs Dómini, judício, & virtute; ut annúntiem Jacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccátum ſuum.

Lectio iij. *c.* 5. 2. *ad* 5.

ET tu, Béthlehem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda: ex te mihi egrediétur qui ſit dominátor in Iſraël, & egréſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus in quo partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad filios Iſraël. Et ſtabit, & paſcet in fortitúdine Dómini, in ſublimitáte nóminis Dómini Dei ſui; & converténtur, quia nunc magnificábitur uſque ad términos terræ. Et erit iſte pax.

CANON.

Ex Concílio Reménſi.

An. 630. *can.* 10.

QUi oblatiónes paréntum, aut donátas, aut teſtaménto relíctas retinére præſúmpſerint.... véluti necatóres paúperum, quoúſque reddant, ab Eccléſiis excludántur.

Si ſint tantùm XXIV. Dominicæ poſt Pentecoſten, Homilia Officii ſequentis anticipabitur ut dictum eſt ſuprà; Dominicâ verò XXIV. ſumetur Officium infrà poſitum pro Dominica ante Adventum, incipiendo à primis Veſperis, abſque Commemoratione Dominicæ. In I. tamen & II. Nocturno Dominicæ ante Adventum, legentur Lectiones I. & II. Nocturni Dominicæ XXIV.

Ad Magníficat, *Ant. 6. F.* Prophetavérunt Aggæus & Zacharías ad Judæos qui erant in Jeruſalem, in nómine Dei Iſraël. Et cœpérunt ædificáre templum Dei, & cum eis Prophétæ Dei adjuvántes eos. 1. *Eſdr.* 5. 1. 2.

Oratio, Excita, *infrà in Laud.*

DOMINICA XXIV. *poſt Pentecoſten.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit Nahum prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

ONus Nínive: Liber viſiónis Nahum Elceſæi. Deus æmulátor, & ulcíſcens Dóminus: ulcíſcens Dóminus, & habens furórem: ulcíſcens Dóminus in hoſtes ſuos, & iráſcens ipſe inimícis ſuis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempeſtáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exsíccans illud; & ómnia flúmina ad deſértum dedúcens. Infirmátus eſt Baſan & Carmélus, & flos Líbani elánguit. Montes commóti ſunt ab eo, & colles deſoláti ſunt: & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis ſtabit? & quis reſíſtet in ira furóris ejus? Indignátio ejus effúſa eſt ut ignis, & petræ diſſolútæ ſunt ab eo.

℟. Dies multos, 141.

Lectio ij. *v. 7. ad* 11.

BOnus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & ſciens ſperántes in ſe. Et in dilúvio prætereúnte conſummatiónem fáciet loci ejus: & inimícos ejus perſequéntur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? Conſummatiónem ipſe fáciet: non conſúrget duplex tribulátio. Quia ſicut ſpinæ ſe ínvicem complectúntur, ſic convívium eórum páriter potántium: conſuméntur quaſi ſtípula ariditáte plena. Ex te exíbit cógitans contra Dóminum malítiam, mente pertráctans prævaricatiónem.

℟. Nunquid, 142.

Lectio iij. *v.* 12. *ad fin.*

HÆc dicit Dóminus : Si perféĉti fúerint , & ita plures ; ſic quoque attondéntur , & pertranſíbit. Afflíxi te , & non afflígam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus de dorſo tuo , & víncula tua diſrúmpam. Et præcípiet ſuper te Dóminus : non ſeminábitur ex nómine tuo ámpliùs : de domo Dei tui interfíciam ſcúlptile , & conflátile : ponam ſepúlcrum tuum ; quia inhonorátus es. Ecce ſuper montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Célebra , Juda , feſtivitátes tuas , & redde vota tua ; quia non adjíciet ultrà ut pertránſeat in te Bélial : univérſus intériit.

℟. In odórem , 242.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi de Civitáte Dei.

Lectio iv. Lib. 18. *cap.* 31. 32.

NAhum prophéta , immo per illum Deus : [Exterminábo (inquit) ſculptília , & conflatília : ponam ſepultúram tuam ; quia velóces ecce ſuper montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Célebra , Juda , dies feſtos tuos , redde vota tua ; quia jam non adjícient ultrà , ut tránſeant in vetuſtátem. Conſummátum eſt , conſúmptum eſt , ablátum eſt. Aſcéndit qui inſúfflat in fáciem tuam , erípiens te ex tribulatióne.] Quis aſcénderit ab ínferis , & inſuffláverit in fáciem Judæ , hoc eſt , Judæórum diſcipulórum Spíritum ſanctum , récolat , qui méminit Evangélium ... Hábacum de quo álio , quàm de Chriſti advéntu , qui futúrus fúerat , intellígitur dícere : [Et reſpóndit Dóminus ad me , & dixit ; Scribe viſum apértè in buxo ; ut aſſequátur qui legit ea : quia adhuc víſio ad tempus , & oriétur in fine , & non in vácuum : ſi tardáverit , ſúſtine eum ; quia véniens véniet , & non morábitur ?] In oratióne autem ſua cum Cántico , cui niſi Dómino Chriſto dicit : [Dómine , audívi auditiónem tuam , & tímui ; Dómine conſiderávi ópera tua , & expávi ?] Quid enim hoc eſt , niſi præcógnitæ , novæ , ac repentínæ ſalútis hóminum ineffábilis admirátio ?

℟. Fílius , 253.

Lectio v. *cap.* 33 35.

SOphoníæ autem prophétæ , qui cum Jeremía prophetábat , hæc prædícta de Chriſto ínterim ponam : [Expécta me , dicit Dóminus , in die reſurrectiónis meæ in futúrum , quia judícium meum ut cóngregem gentes , & cólligam regna.] Et íterum : [Horríbilis (inquit) Dóminus ſuper eos , & exterminábit omnes deos terræ ; & adorábit eum vir de loco ſuo , omnes ínſulæ géntium ....] Reſtant tres

minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis; Aggæus, Zacharías, Malachías. Quorum Aggæus Chriſtum & Eccléſiam hâc apértiùs brevitáte prophétat: [Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum eſt, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes gentes; & véniet deſiderátus cunctis géntibus.]

℟. Judícium, 254.

Lectio vj.

ZAcharías de Chriſto & Eccléſia, [Exúlta (inquit) valde fília Sion, júbila fília Jerúſalem: ecce Rex tuus véniet tibi, juſtus & ſalvátor; ipſe pauper, & aſcéndens ſuper áſinam, & ſuper pullum fílium áſinæ: & poteſtas ejus à mari uſque ad mare, & à flumínibus uſque ad fines terræ.] Hoc quando factum ſit, ut Dóminus Chriſtus in itínere juménto hujus géneris uterétur, in Evangélio légitur... Malachías prophétans Eccléſiam, quam per Chriſtum cérnimus propagátam, Judæis apertíſſimè dicit ex perſóna Dei: [Non eſt mihi volúntas in vobis, & munus non ſuſcípiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in géntibus, & in omni loco ſacrificábitur, & offerétur nómini meo oblátio munda: quia magnum nomen meum in géntibus, dicit Dóminus.] Hoc ſacrifícium per ſacerdótium Chriſti ſecúndùm órdinem Melchíſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occáſum Deo jam videámus offérri; ſacrifícium autem Judæórum, quibus dictum eſt, [Non eſt mihi volúntas in vobis, nec accípiam de mánibus veſtris munus,] ceſſáſſe negáre non poſſunt; quid adhuc expéctant álium Chriſtum, cùm hoc quod prophetátum legunt & implétum vident, impléri non potúerit niſi per ipſum?

℟. Jacob, 254.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 24. 15. *ad* 35.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis, quæ dicta eſt à Daniéle prophéta, ſtantem in loco ſancto; qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini epíſcopi.

Epiſt. 199. §. 25. *Aliàs Epiſt.* 80.

INterrogántibus Dóminus ea reſpóndit, quæ jam ex illo témpore fúerant ſecutúra, ſive de excídio Jerúſalem, unde orta eſt ipsíus interrogatiónis occáſio; ſive de advéntu ſuo per Eccléſiam, in qua uſque ad finem veníre non ceſſat. In ſuis enim véniens agnóſcitur, dum ejus quotídie

membra

membra naſcúntur ; de quo advéntu ait : [Amodo vidébitis Fílium hóminis veniéntem in núbibus ;] de quibus núbibus dictum eſt per Prophétam : [Mandábo núbibus meis ne pluant ſuper eam.] Sive de ipſo fine, in quo apparébit vivos judicatúrus & mórtuos.

℟. Cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis, quæ dicta eſt à Daniéle prophéta, ſtantem in loco ſancto ; qui legit, intélligat. * Erit tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio, neque fiet. *Matt.* 24. 15. 21. ℣. Erit in templo abominátio deſolatiónis, & uſque ad conſummatiónem & finem perſeverábit deſolátio. *Dan.* 9. 27.* Erit tunc.

Lectio viij. §. 26.

CUm ítaque ſigna dicat, quæ ad iſta tria pértinent, id eſt, ad excídium illíus civitátis ; ad advéntum ejus in córpore ſuo, quod eſt Eccléſia ; ad advéntum ejus in cápite Eccléſiæ, quod eſt ipſe : quod eórum ſignórum ad quod horum trium referéndum ſit, diligénti consideratióne cernéndum eſt, ne fortè quod pértinet ad everſiónem Jeruſalem, ad finem ſéculi referéndum putémus ; aut è contrário quod ad finem ſéculi pértinet, affirmémus ad civitátis illíus excídium pertinére ; aut quod pértinet ad ejus advéntum in córpore ſuo, quod eſt Eccléſia, dicámus pertinére ad ejus advéntum noviſſimum in córpore ſuo, quod eſt caput Eccléſiæ ; aut rurſus quod pértinet ad advéntum ejus noviſſimum per ſeipſum, ad eum pertinére aſſeverémus advéntum qui eſt per Eccléſiam.

℟. Erit preſſúra magna, & ira pópulo huic ; & cadent in ore gládii, * Et captívi ducéntur in omnes gentes : & Jeruſalem calcábitur à géntibus, donec impleántur témpora natiónum. *Luc.* 21. 23. 24. ℣. Civitátem & ſanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro. *Dan.* 9. 26.* Et captívi.

Lectio ix. §. 26. 27.

IN quibus ómnibus ſunt quædam manifeſta, quædam verò ſic obſcúra, ut vel laborióſum ſit ea dijudicáre, vel temerárium, quándiu non intelligúntur, de his áliquid definíre. Quis enim non vídeat ad illam civitátem pertinére, quod dictum eſt : [Cúm autem vidéritis circúndari ab exércitu Jeruſalem, tunc ſcitóte quia appropinquávit deſolátio ejus ?] Item quis non vídeat ad advéntum Dómini noviſſimum pertinére quod dictum eſt : [Cùm vidéritis hæc fieri, ſcitóte quóniam propè eſt regnum Dei ?]

℟. Poſt tribulatiónem diérum illórum, ſol obſcurábitur, & luna non dabit lumen

ſuum ; * Et tunc † Vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cum virtúte multa, & majeſtáte. *Matt.* 24. 29. 30. ℣. Luna non ſplendébit in lúmine ſuo ; & viſitábo ſuper orbis mala, & contra ímpios iniquitátem eórum. *Iſai.* 13. 10. 11. * Et tunc. Glória. † Vidébunt.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Surgent pſeudochríſti, & pſeudoprophétæ ; & dabunt ſigna magna, ita ut in errórem indacántur, ſi fieri poteſt, étiam elécti. Ecce prædíxi vobis. *Matt.* 24. 24. 25.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, tuórum fidélium voluntátes ; ut divíni óperis fructum propénſiùs exequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant ; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Budénſi.

An. 1279. *cap.* 33.

PRæcípimus, ut Eccleſiárum Parochiáni ſíngulis diébus Domínicis & Feſtívis ad divína Offícia, ſpeciáliter ad Miſſam, vadant ad ſuas Parochiáles Eccléſias ; ibíque divína Offícia, prout Deus déderit, aúdiant diligénter.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. Cœlum & terra transíbunt ; verba autem mea non præteríbunt. *Matt.* 24. 34. 35.

FERIA SECUNDA.

Incipit Hábacuc prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

ONus quod vidit Hábacuc prophéta. Uſquequo Dómine clamábo, & non exaúdies ? vociferábor ad te vim pátiens, & non ſalvábis ? Quare oſtendiſti mihi iniquitátem, & labórem, vidére prædam & injuſtítiam contra me ? Et factum eſt judícium & contradíctio poténtior. Propter hoc laceráta eſt lex, & non pervénit uſque ad finem judícium : quia ímpius prævalet advérsùs juſtum, proptérea egréditur judícium pervérſum.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *c.* 2. 1. *ad* 6.

SUper cuſtódiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitiónem : & contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, & quid reſpóndeam ad arguéntem me. Et reſpóndit mihi Dóminus, & dixit : Scribe viſum, & explána eum ſuper tábulas, ut percúrrat qui légerit eum ; quia adhuc viſus procul, & apparébit in finem, & non mentiétur : ſi moram fécerit, expécta illum ; quia véniens véniet, & non tardábit. Ecce qui incrédulus eſt, non erit recta ánima ejus in ſemetípſo ; juſtus autem in fide ſua vivet. Et quómodo vinum potántem décipit ; ſic erit vir ſupérbus, & non decorábitur : qui dilatávit quaſi

ínfernus ánimam ſuam ; & ipſe quaſi mors, & non adimplétur ; & congregábit ad ſe omnes gentes, & coacervábit ad ſe omnes pópulos. Nunquid non omnes iſti ſuper eum parábolam ſument, & loquélam ænígmatum ejus, & dicétur : Væ ei qui multíplicat non ſua? úſquequo & ággravat contra ſe denſum lutum?

℞. Nunquid, 242.

Lectio iij. *v.* 7. *ad* 13.

NUnquid non repéntè conſúrgent qui mórdeant te : & ſuſcitabúntur lacerántes te, & eris in rapínam eis? Quia tu ſpoliáſti gentes multas, ſpoliábunt te omnes qui réliqui fúerint de pópulis, propter ſánguinem hóminis, & iniquitátem terræ civitátis, & ómnium habitántium in ea. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui ſuæ, ut ſit in excélſo nidus ejus, & liberári ſe putat de manu mali. Cogitáſti confuſiónem dómui tuæ, concidíſti pópulos multos, & peccávit ánima tua. Quia lapis de pariete clamábit ; & lignum quod inter junctúras ædificiórum eſt, reſpondébit. Væ qui ædíficat civitátem in ſanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. Nunquid non hæc ſunt à Dómino exercítuum? Laborábunt enim pópuli in multo igne, & gentes in vácuum, & deficient.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Nicæno primo œcuménico.

An. 325. *part.* 1. *can.* 17.

ÆQuum cénſuit ſancta & magna Synodus, ut ſi quis invéntus fúerit poſt ſtatútum uſúras ex mútuo ſúmere, vel eam rem áliter pérſequi, ... vel áliquid áliud excogitáre turpis quæſtûs grátiâ, è Clero deponátur, & ſit aliénus à Cánone.

FERIA TERTIA.

Incipit Sophonías prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

VErbum Dómini quod factum eſt ad Sophoníam fílium Chuſi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ, fílii Ezecíæ in diébus Josíæ fílii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus : cóngregans hóminem, & pecus, cóngregans volatília cœli, & piſces maris : & ruínæ impiórum erunt : & diſpérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitántes Jeruſalem ; & diſpérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æedituórum cum ſacerdótibus ; & eos qui adórant ſuper tecta milítiam cœli ; & adórant & jurant in Dómino, & jurant in Melchom. Et qui avertúntur de poſt tergum Dómini ; & qui non quæſiérunt Dóminum nec inveſtigavérunt eum.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *v.* 12. *ad* 18.

IN témpore illo ſcrutábor Jerúſalem in lucérnis: & viſitábo ſuper viros defíxos in fæcibus ſuis; qui dicunt in córdibus ſuis: Non fáciet benè Dóminus, & non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, & domus eórum in deſértum: & ædificábunt domos, & non habitábunt; & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà eſt dies Dómini magnus, juxtà eſt, & velox nimis: vox diéi Dómini amára, tribulábitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulatiónis & angúſtiæ, dies calamitátis & miſériæ, dies tenebrárum & calíginis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris ſuper civitátes munítas, & ſuper ángulos excélſos. Et tribulábo hómines, & ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt; & effundétur ſanguis eórum ſicut humus, & córpora eórum ſicut ſtércora. Sed & argéntum eórum, & aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *c.* 3. 8. *ad* 13.

EXpécta me, dicit Dóminus, in die reſurrectiónis meæ in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem gentes, & cólligam regna; & effúndam ſuper eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium eléctum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & ſérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ, inde ſúpplices mei; fílii diſperſórum meórum déferent munus mihi. In die illa non confundéris ſuper cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me; quia tunc aúferam de médio tuî magníloquos ſupérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámpliùs in monte ſancto meo. Et derelínquam in médio tuî pópulum paúperem & egénum; & ſperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Iſraël non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium; & non inveniétur in ore eórum lingua dolóſa: quóniam ipſi paſcéntur, & accubábunt; & non erit qui extérreat.

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénſi ſecundo.

An. 813. *can.* 5.

SAcerdótes irreprehensíbiles ſint, & móribus ornáti: & nequáquam túrpibus lucris deſérviant, juxta illud quod ait Scriptúra: Nemo mílitans Deo, ímplicat ſe negótiis ſeculáribus, ut ei pláceat cui ſe probávit; & à túrpibus lucris, & uſúris, non ſolùm ipſi abſtíneant, verùm étiam plebes ſibi ſúbditas abſtinére inſtítuant.

FERIA QUARTA.

Incipit Aggæus prophéta

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

IN anno ſecúndo Dárii regis, in menſe ſexto, in die una menſis, factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jeſum filium Jóſedec, ſacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iſte dicit: Nondum venit tempus domûs Dómini ædificándæ. Et factum eſt verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ, dicens: Nunquid tempus vobis eſt ut habitétis in dómibus laqueátis, & domus iſta deſérta?

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 10.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras: aſcéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus. Reſpexíſtis ad ámplius, & ecce factum eſt minus; & intuliſtis in domum, & exſufflávi illud: quam ob cauſam, dicit Dóminus exercítuum? quia domus mea deſérta eſt, & vos feſtinátis unuſquíſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohíbiti ſunt cœli ne darent rorem, & terra prohíbita eſt ne daret germen ſuum.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij. *c.* 2. 7. *ad* 10.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum eſt, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes gentes; & véniet deſiderátus cunctis géntibus: & implébo domum iſtam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. Meum eſt argéntum, & meum eſt aurum, dicit Dóminus exercítuum. Magna erit glória domûs iſtíus noviſſimæ pluſquam primæ, dicit Dóminus exercítuum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum.

℟. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénſi ſecúndo.

An. 813. *can.* 6.

IMputátur quibúſdam frátribus, eò quòd avarítiæ causâ homínibus perſuádeant, ut abrenuntiántes ſéculo, res ſuas Eccléſiæ cónferant; quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicándum eſt. Animárum quippe ſalútem inquírere ſacérdos, non lucra terréna, debet; quóniam fidéles ad res ſuas dandas non ſunt cogéndi, neque circumveniéndi; oblátio namque ſpontánea eſſe debet.

FERIA QUINTA.

Incipit Zacharías prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

IN menſe octávo, in anno ſecúndo Dárii regis, factum eſt verbum Dómini

ad Zacharíam fílium Barachíæ fílii Addo, prophétam, dicens: Irátus eſt Dóminus ſuper patres veſtros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne ſitis ſicut patres veſtri ad quos clamábant Prophétæ prióres, dicéntes: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis veſtris malis, & de cogitatiónibus veſtris péſſimis; & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus.

℟. Fílius, 253.

Lectio ij. *c.* 3. 7. *ad fin.*

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambulàveris, & cuſtódiam meam cuſtodíeris; tu quoque judicábis domum meam, & cuſtódies átria mea, & dabo tibi ambulántes de his qui nunc hìc aſsiſtunt. Audi, Jeſu ſacérdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendéntes ſunt; ecce enim ego addúcam ſervum meum Oriéntem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jeſu: ſuper lápidem unum ſeptem óculi ſunt: ecce ego cælábo ſculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum: & áuferam iniquitátem terræ illíus in die una. In die illa, dicit Dóminus exercítuum vocábit vir amícum ſuum ſubter vitem, & ſubter ficum.

℟. Judícium, 254.

Lectio iij. *c.* 9. 9. *ad* 17.

EXúlta ſatis, fília Sion, júbila fília Jeruſalem, ecce Rex tuus véniet tibi juſtus & ſalvátor; ipſe páuper, & aſcéndens ſuper áſinam & ſuper pullum fílium áſinæ. Et diſpérgam quadrígam ex Ephraim, & equum de Jeruſalem; & diſſipábitur arcus belli: & loquétur pacem géntibus; & poteſtas ejus à mari uſque ad mare, & à fluminibus uſque ad fines terræ. Tu quoque in ſánguine teſtaménti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. Convertímini ad munitiónem, vincti ſpei; hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi. Quóniam exténdi mihi Judam quaſi arcum; implévi Ephraim; & ſuſcitábo fílios tuos, Sion, ſuper fílios tuos, Græcia; & ponam te quaſi gládium fórtium. Et Dóminus Deus ſuper eos vidébitur; & exíbit ut fulgur jáculum ejus: & Dóminus Deus in tuba canet, & vadet in túrbine Auſtri. Dóminus exercítuum próteget eos; & devorábunt, & ſubjícient lapídibus fundæ: & bibéntes inebriabúntur quaſi à vino; & replebúntur ut phialæ, & quaſi córnua altáris. Et ſalvábit eos Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli ſui; quia lápides ſancti elevabúntur ſuper terram ejus. Quid enim bonum ejus eſt,

& quid pulcrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℟. Jacob, 254.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *can.* 10.

Clérici uſúris nequáquam incúmbant, neque túrpium occupatiónes lucrórum, fraudíſque cujúſquam ſtúdium áppetant. Amórem pecúniæ, quaſi matériam cunctórum críminum fúgiant; ſeculária offícia, negotiáque abjíciant.

FERIA SEXTA.

De Zacharía prophéta.

Lectio j. *c.* 11. 10. *ad* 17.

Tuli virgam meam quæ vocabátur Decus; & abſcídi eam ut írritum fácerem fœdus meum quod percúſſi cum ómnibus pópulis. Et in írritum dedúctum eſt in die illa: & cognovérunt ſic paúperes gregis, qui cuſtódiunt mihi, quia verbum Dómini eſt. Et dixi ad eos: Si bonum eſt in óculis veſtris, afférte mercédem meam; & ſi non, quiéſcite. Et appendérunt mercédem meam trigínta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad ſtatuárium, decórum prétium, quo appretiátus ſum ab eis. Et tuli trigínta argénteos, & projéci illos in domum Dómini ad ſtatuárium. Et præcídi virgam meam ſecúndam quæ appellabátur Funículus, ut diſſólverem germanitátem inter Judam & Iſraël. Et dixit Dóminus ad me: Adhuc ſume tibi vaſa paſtóris ſtulti; quia ecce ego ſuſcitábo paſtórem in terra, qui derelícta non viſitábit, diſpérſum non quæret, & contrítum non ſanábit, & id quod ſtat non enútriet, & carnes pínguium cómedet, & úngulas eórum diſſólvet. O paſtor, & idólum, derelínquens gregem: gládius ſuper bráchium ejus, & ſuper óculum dextrum ejus; bráchium ejus ariditáte ſiccábitur, & óculus dexter ejus tenebréſcens obſcurábitur.

℟. Dies multos, 242.

Lectio ij. *c.* 12. 8. *ad* 10.

In die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúſalem; & erit qui offénderit ex eis in die illa, quaſi David; & domus David quaſi Dei, ſicut ángelus Dómini in conſpéctu eórum. Et erit in die illa, quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jeruſalem. Et effúndam ſuper domum David, & ſuper habitatóres Jerúſalem ſpíritum grátiæ & precum: & aſpícient ad me quem confixérunt. Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigénitum, & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet in morte primogéniti.

℟. Nunquid, 242.

Lectio iij. *c.* 13. 4. *ad* 7.

Et erit: In die illa confundéntur prophétæ, unuſquíſque ex viſióne ſua cùm

prophetáverit ; nec operiéntur pállio ſáccino , ut mentiántur ; ſed dicet : Non ſum prophéta , homo agrícola ego ſum : quóniam Adam exémplum meum ab adoleſcéntia mea. Et dicétur ei : Quid ſunt plagæ iſtæ in médio mánuum tuárum ? Et dicet : His plagátus ſum in domo eórum qui diligébant me. Frámea ſuſcitáre ſuper paſtórem meum , & ſuper virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum : pércute paſtórem , & diſpergéntur oves ; & convértam manum meam ad párvulos.

℞. In odórem, 242.

CANON.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 13.

CUm nullus Chriſtiánus theſáuros in terra , ſed pótiùs , ſecúndùm Dómini ſenténtiam , in cœlo recóndere débeat ; cavéndum ſummópere Sacerdótibus eſt , ut ab avarítiæ peſte , quæ eſt idolórum ſérvitus , & cupiditáte , quæ radix ómnium malórum eſt , ſuóſque ſectatóres à regno Chriſti exclúdunt , ſe compéſcant.

SABBATO.

Incipit Malachías prophéta.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 7.

ONus verbi Dómini ad Iſraël in manu Malachíæ. Diléxi vos, dicit Dóminus ; & dixíſtis : In quo dilexíſti nos ? Nonne frater erat Eſaü Jacob , dicit Dóminus ? & diléxi Jacob ; Eſaü autem ódio hábui : & póſui montes ejus in ſolitúdinem , & hereditátem ejus in dracónes deſérti. Quòd ſi díxerit Idumæa : Deſtrúcti ſumus , ſed reverténtes ædificábimus quæ deſtrúcta ſunt. Hæc dicit Dóminus exercítuum : Iſti ædificábunt , & ego déſtruam : & vocabúntur términi impietátis , & pópulus cui irátus eſt Dóminus uſque in ætérnum. Et óculi veſtri vidébunt ; & vos dicétis : Magnificétur Dóminus ſuper términum Iſraël. Fílius honórat patrem , & ſervus dóminum ſuum : ſi ergo pater ego ſum , ubi eſt honor meus ? & ſi Dóminus ego ſum , ubi eſt timor meus ? dicit Dóminus exercítuum. Ad vos , ô ſacerdótes , qui deſpícitis nomen meum , & dixíſtis : In quo deſpéximus nomen tuum ? Offértis ſuper altáre meum panem pollútum , & dícitis : In quo pollúimus te ? In eo quòd dícitis : Menſa Dómini deſpécta eſt.

Si fiat de Sabbato , ℞℞℞. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica XXI. ſuprà* , 253.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 11.

SI offerátis cæcum ad immolándum , nonne malum eſt ? & ſi offerátis claudum , & lánguidum , nonne malum eſt ? Offer illud duci tuo , ſi placúerit ei , aut ſi ſuſcéperit fáciem tuam , dicit Dóminus exerci-

tuum. Et nunc deprecámini vultum Dei ut miſereátur veſtri (de manu enim veſtra factum eſt hoc) ſi quómodo ſuſcípiat fácies veſtras, dicit Dóminus exercítuum. Quis eſt in vobis qui claudat óſtia, & incéndat altáre meum gratúitò? Non eſt mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non ſuſcípiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in géntibus; & in omni loco ſacrificátur & offértur nómini meo oblátio munda; quia magnum eſt nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

Lectio iij. *c.* 4. 1. *ad* 6.

ECce dies véniet ſuccénſa quaſi camínus; & erunt omnes ſupérbi, & omnes faciéntes impietátem, ſtípula; & inflammábit eos dies véniens, dicit Dóminus exercítuum, quæ non derelínquet eis radícem & germen. Et oriétur vobis timéntibus nomen meum, Sol juſtítiæ, & ſánitas in pennis ejus; & egrediémini, & ſaliétis ſicut vítuli de arménto. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis ſub planta pedum veſtrórum in die quâ ego fácio, dicit Dóminus exercítuum. Mementóte legis Móyſi ſervi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnem Iſraël, præcépta & judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et convértet cor patrum ad filios, & cor filiórum ad patres eórum; ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate.

CANON.

Ex Concílio Pariſiénſi.

An. 1212. *part.* 2. *cap.* 25.

OMnes ſive Cléricos, ſive Láïcos, qui merces ſuas vendunt ad términum, ut propter ipſum términum eas cáriùs vendant; tam pœnâ quàm culpâ uſurariórum apud Deum & hómines decérnimus obligátos.

¶ *Si Dominica poſt Pentecoſten fuerint plures quàm viginti quatuor, tunc poſt vigeſimam quartam Hebdomadam, reſumentur quæ eo anno ſuperfuerint poſt Epiphaniam, incipiendo à Veſperis Sabbati, & ordine infrà poſito.*

Si igitur fuerint Dominicæ viginti quinque, reſumentur Lectiones I. & II. Nocturni Dominicæ VI. poſt Epiphaniam, ut legantur in I. & II. Nocturno Dominicæ ante Adventum.

Si viginti ſex, reſumetur Officium Dom. V. & de Dominica VI. fiet ut modò dictum eſt.

Si viginti ſeptem, reſumetur Officium Dominicæ IV. & V. & de Dom. VI. fiet ut ſuprà.

Si denique viginti octo, reſumetur Officium Dominicæ III. IV. & V. De Dominica autem VI. fiet ut ſuprà.

HEBDOMADÆ POST EPIPHANIAM RESUMENDÆ,

Quando fuerint plures quàm viginti-quatuor.

SABBATO

Ante Dominicam tertiam quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

AD VESPERAS.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixérunt cum vítiis, & concupiſcéntiis. *Gal.* 5. 24.

Oratio. Omnípotens ſempitérne Deus, *infrà in Laud.*

DOMINICA III.

quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 5.

PAulus Apóſtolus non ab homínibus, neque per hóminem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem qui ſuſcitávit eum à mórtuis; & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccléſiis Galátiæ; Grátia vobis & pax à Deo Patre, & Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetípſum pro peccátis noſtris, ut eríperet nos de præſénti ſéculo nequam, ſecúndùm voluntátem Dei & Patris noſtri, cui eſt glória in ſécula ſeculórum: amen.

℟. Cum metu & tremóre veſtram ſalútem operámini; * Deus eſt enim qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte. *Philipp.* 2. 12. 13. ℣. Opera juſtórum in manu Dei, & neſcit homo utrùm amóre an ódio dignus ſit. *Eccle.* 9. 1. * Deus eſt enim qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 10.

MIror quòd ſic tam citò transferímini, ab eo qui vos vocávit in grátiam Chriſti, in áliud Evangélium; quod non eſt áliud, niſi ſunt áliqui qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangélium Chriſti. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anáthema ſit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepíſtis, anáthema ſit. Modò enim homínibus ſuádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Chriſti ſervus non eſſem.

℟. Eſt quæſtus magnus, píetas cum ſufficiéntia; * Nihil enim intúlimus in hunc mundum, haud dúbium quòd nec auférre quid póſſumus. 1. *Tim.* 6. 6. 7. ℣. Eſt infírmitas péſſima, divítiæ conſervátæ

in malum dómini ſui. Sicut egréſſus eſt nudus de útero matris ſuæ, ſic revertétur, & nihil aúferet ſecum. *Eccle.* 5. 12. 14. * Nihil enim.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 16.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum eſt à me, quia non eſt secúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti. Audíſtis enim converſatiónem meam aliquándo in Judaíſmo: quóniam ſupra modum perſequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam; & proficiébam in Judaíſmo ſupra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exíſtens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei, qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam, ut reveláret Fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in géntibus; continuò non acquiévi carni & ſánguini.

℟. Vocávit vos Deus in acquiſitiónem glóriæ Dómini noſtri Jeſu Chriſti: ítaque, fratres, * State, & tenéte traditiónes quas didiciſtis ſive per ſermónem, ſive per epíſtolam noſtram. 2. *Theſſ.* 2. 13. 14. ℣. State ſuper vias, & vidéte, & interrogáte de ſémitis antíquis, quæ ſit via bona; & ambuláte in ea. *Jer.* 6. 16. * State. Glória. * State.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Auguſtíni epíſcopi, in Epíſtolam ad Gálatas.

Lectio iv. *Præfat. initio.*

CAuſa propter quam ſcribit Apóſtolus ad Gálatas, hæc eſt, ut intélligant grátiam Dei id ſecum ágere, ut ſub lege jam non ſint. Cùm enim prædicáta eis eſſet Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumciſióne, quamvis Chriſtiáni nómine, nondum tamen tenéntes ipſum grátiæ beneficium, & adhuc voléntes eſſe ſub onéribus legis, quæ Dóminus Deus impoſúerat, non juſtitiæ ſerviéntibus, ſed peccáto, juſtam ſcílicet legem injúſtis homínibus dando ad demonſtránda peccáta eórum, non auferénda. Non enim aufert peccáta niſi grátia fidei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Habéntes aliménta, & quibus tegámur, his conténti ſumus; * Radix enim ómnium malórum eſt cupíditas. 1. *Tim.* 6. 8. 10. ℣. Nihil iníquius quàm amáre pecúniam. *Eccli.* 10. 10. * Radix.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas conſtitútos, illi volébant conſtitúere ſub onéribus legis, aſſeverántes nihil eis prodéſſe Evangélium, niſi circumcideréntur, & céteras carnáles Judáici ritûs obſervatiónes ſubírent.

Paulum apóſtolum ſuſpéctum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquam non tenéntem diſciplínam ceterórum Apoſtolórum, qui gentes cogébant judaïzáre.

℟. Voluntáriè peccántibus poſt accéptam notítiam veritátis, jam * Non relínquitur pro peccátis hóſtia, terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio quæ conſumptúra eſt adverſários. *Hebr.* 10. 26. 27. ℣. Conſummátio peccántium flamma; & in fine illórum ínferi, ténebræ, & pœnæ. *Eccli.* 21. 10. 11. * Non relínquitur.

Lectio vj. *Paulò pòſt.*

TAlis quidem quæſtio eſt & in Epíſtola ad Romános: verúntamen vidétur áliquid interéſſe, quòd ibi contentiónem ipſam dírimit, litémque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex géntibus crediderant, orta erat, cùm illi tanquam ex méritis óperum legis ſibi rédditum Evangélii præmium arbitraréntur, quod præmium incircuncíſis tanquam imméritis nolébant dari; illi contrà Judæis ſe præférre geſtírent, tanquam interfectóribus Dómini: in hac verò Epíſtola ad eos ſcribit, qui jam commóti erant autoritáte illórum qui ex Judæis erant, & ad obſervatiónes legis cogébant.

℟. Sint mores ſine avarítia, conténti præſéntibus; * Deus enim † Dixit: Non te déſeram, neque derelínquam. *Hebr.* 13. 5. ℣. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet. *Pſ.* 54. 23. * Deus enim. Glória. † Dixit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 8. 1. *ad* 13.

IN illo témpore; Cùm deſcendíſſet Jeſus de monte, ſecútæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce lepróſus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, ſi vis, potes me mundáre. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi presbyteri.

Lib. 1. *Comment. in cap.* 8. *Matt.*

DE monte Dómino deſcendénte, occúrrunt turbæ; quia ad altióra aſcéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit lepróſus. Necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre ſermónem. Et notándum, quòd hic primus ſpeciáliter curátus ſit: ſecúndò, puer Centuriónis: tértiò, ſocrus Petri fébriens in Capharnaüm: quarto loco, qui obláti ſunt ei à dæmónio vexáti; quorum ſpíritus verbo ejiciébat, quando omnes malè habéntes curávit.

℟. Cùm deſcendíſſet Jeſus de monte, ecce lepróſus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, * Si vis, potes me

mundáre. *Matt.* 8. 1. 2. ℣. Dómine Deus, non erit tibi difficile omne verbum. *Jer.* 32. 17. * Si vis.

Lectio viij.

ET ecce leproſus véniens adorábat eum, dicens.] Rectè poſt prædicatiónem atque doctrínam, ſigni offértur occáſio; ut per virtútem miráculi, prætéritus apud audiéntes ſermo firmétur. [Dómine, ſi vis, potes me mundáre.] Qui voluntátem rogat, de virtúte non dubitat. [Et exténdens Jeſus manum, tétigit eum, dicens: Volo; Mundáre.] Extendénte manum Dómino, ſtatim lepra fugit. Simúlque consídera quàm húmilis & ſine jactántia reſpónſio. Ille díxerat: [Si vis;] Dóminus reſpóndit: [Volo.] Ille Præmíſerat: [Potes me mundáre;] Dóminus jungit, & dicit: [Mundáre.]

℟. Jeſus miſértus ejus, exténdit manum ſuam; & tangens eum, * Ait illi: Volo; Mundáre. Et ſtatim mundátus eſt. *Marc.* 1. 41. 42. ℣. Omne, quod volúerit, fáciet: & ſermo illíus poteſtáte plenus eſt. *Eccle.* 8. 34. * Ait illi.

Lectio ix.

ET ait illi Jeſus: Vide, némini díxeris.] Et revéra quid erat necéſſe ut ſermóne jactáret, quod córpore præferébat? [Sed vade; oſténde te Sacerdóti.] Várias ob cauſas mittit eum ad Sacerdótem. Primùm propter humilitátem, ut Sacerdótibus deférre honórem videátur. Erat enim lege præcéptum, ut qui mundáti fúerant à lepra, offérrent múnera Sacerdótibus. Deinde ut mundátum vidéntes lepróſum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent: ſi créderent, ſalvaréntur; ſi non créderent, inexcuſábiles forent: & ſimul ne, quod in eo ſæpíſſime criminabántur, legem viderétur infríngere.

℟. Ait Jeſus: Vide, némini díxeris; ſed vade, * Oſténde te Sacerdóti, & † Offer munus quod præcépit Móyſes, in teſtimónium illis. *Matt.* 8. 4. ℣. Hic eſt ritus lepróſi, quando mundándus eſt: Adducétur ad Sacerdótem, qui præcípiet ei ut ófferat. *Levit.* 14. 2. 3. 4. * Oſténde te. Glória. † Offer.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jeſus: Ego véniam, & curábo eum. *Matt.* 8. 6. 7.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, infirmitátem noſtram propítius réſpice; atque ad protegéndum nos, détteram tuæ majeſtátis exténde; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 5. *cap.* 2. *de reform.*

QUicúnque Parochiáles, vel álias curam animá-

rum habéntes Eccléſias quocúnque modo óbtinent, per ſe, vel álios idóneos, ſi legitimè impedíti fúerint, diébus ſaltem Domínicis, & Feſtis ſolémnibus plebes ſibi commíſſas pro ſua & eórum capacitáte paſcant ſalutáribus verbis.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Dixit Jeſus Centurióni: Vade, & ſicut credidíſti fiat tibi. Et ſanátus eſt puer in illa hora. *Matt.* 8. 13.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. *c.* 2. 16. *ad fin.*

EX opéribus legis non juſtificábitur omnis caro. Quòd ſi quæréntes juſtificári in Chriſto, invénti ſumus & ipſi peccatóres, nunquid Chriſtus peccáti miníſter eſt: Abſit. Si enim quæ deſtrúxi, íterum hæc ædífico; prævaricatórem me conſtítuo. Ego enim per legem legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confíxus ſum cruci. Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne; in fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, & trádidit ſemetípſum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem juſtítia, ergo gratìs Chriſtus mórtuus eſt.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *c.* 3. 1. *ad* 6.

O Inſenſáti Gálatæ, quis vos faſcinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jeſus Chriſtus præſcríptus eſt, in vobis crucifíxus? Hoc ſolum à vobis volo díſcere; Ex opéribus legis Spíritum accepíſtis, an ex audítu fídei? Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpíritu cœpéritis, nunc carne conſummémini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis, ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut ſcriptum eſt: Abraham crédidit Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v.* 23. *ad fin.*

PRiùs autem quàm veníret fides, ſub lege cuſtodiebámur conclúſi, in eam fidem quæ revelánda erat. Itaque lex pædagógus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificémur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagógo. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicúnque enim in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induíſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt máſculus, neque fémina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Si autem vos Chriſti; ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecúndùm promiſſiónem herédes.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

C A N O N.

Ex Concílio Carthaginénſi tértio.

An. 397. *cap.* 15.

PLácuit ut Epíſcopi, & Preſbyteri, & Diáconi, vel Clérici non ſint conductóres, neque procuratóres, neque ullo turpi vel inhonéſto negótio victum quærant; quia reſpícere debent ſcriptum eſſe: Nemo mílitans Deo, ímplicat ſe negótiis ſeculáribus.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. *c.* 5. 13. *ad* 16.

VOs in libertátem vocáti eſtis, fratres: tantùm ne libertátem in occaſiónem detis carnis, ſed per caritátem Spíritûs ſervíte ínvicem. Omnis enim lex in uno ſermóne implétur. Díliges próximum tuum ſicut teípſum. Quòd ſi ínvicem mordétis, & coméditis, vidéte ne ab ínvicem conſumámini. Dico autem: Spíritu ambuláte, & deſidéria carnis non perficiétis.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *v.* 19. *ad* 23.

MAniféſta ſunt autem ópera carnis; quæ ſunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum ſérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, diſſenſiónes, ſectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comeſſatiónes, & his ſimília: quæ prædíco vobis, ſicut prædíxi, quóniam qui tália agunt, regnum Dei non conſequéntur. Fructus autem ſpíritûs eſt, cáritas, gaúdium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, manſuetúdo, fides, modéſtia, continéntia, cáſtitas.

℟. Voluntárie, 300.

Lectio iij. *c.* 6. 1. *ad* 5.

FRatres, & ſi præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui ſpirituáles eſtis, hujúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitátis; consíderans teípſum, ne & tu tentéris. Alter altérius ónera portáte; & ſic adimplébitis legem Chriſti. Nam ſi quis exíſtimat ſe áliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſedúcit. Opus autem ſuum probet unuſquíſque, & ſic in ſemetípſo tantùm glóriam habébit, & non in áltero. Unuſquíſque enim onus ſuum portábit.

℟. Sint mores, 300.

C A N O N.

Ex Concílio Lateranénſi ſecúndo œcuménico.

An. 1139. *can.* 2.

SI quis Præbéndam, vel Priorátum, vel Decanátum, aut honórem vel promotiónem áliquam Eccleſiáſticam, ſeu quòdlibet Sacraméntum Eccleſiáſticum, útpote Chriſma, vel óleum ſanctum, Conſecratiónes Altárium vel Eccleſiárum, interveniénte execrábili ardóre avarítiæ per pecúniam acquiſívit, honóre

malè acquiſíto cáreat; & emptor, atque vénditor & intervéntor, notâ infámiæ percellántur.

FERIA QUARTA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ómnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidélibus in Chriſto Jeſu; Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto; ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in caritáte.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 10.

QUi prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum; ſecúndùm propóſitum voluntátis ſuæ; in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio ſuo, in quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecúndùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis in omni ſapiéntia & prudéntia; ut notum fáceret nobis ſacraméntum voluntátis ſuæ, ſecúndùm beneplácitum ejus, quod propóſuit in eo, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 14.

IN quo étiam & nos ſorte vocáti ſumus, prædeſtináti ſecúndùm propóſitum ejus, qui operátur ómnia ſecúndùm consílium voluntátis ſuæ; ut ſimus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè ſperávimus in Chriſto. In quo & vos, cùm audiſſétis verbum veritátis, (Evangélium ſalútis veſtræ) in quo & credéntes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hereditátis noſtræ, in redemptiónem acquiſitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Arelaténſi.

An. 1275. *cap.* 14.

STatúimus quòd nullus Cléricus beneficiátus, nullus in ſacris Ordínibus conſtitútus, per ſe vel per álium emat bladum vel vinum causâ revendéndi, vel negotiándi, vel huic ſtatúto fraudem áliquam adhíbeat. Quòd ſi contrà fécerit, incúrrat ſenténtiam excommunicatiónis.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. *c.* 1. 16. *ad* 20.

NOn ceſſo grátias agens pro vobis, memóriam veſtrì fáciens in oratiónibus meis, ut Deus

Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ & revelatiónis, in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis veſtri, ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hereditátis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſuperéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus ſecúndùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus eſt in Chriſto, ſúſcitans illum à mórtuis, & conſtítuens ad déxteram ſuam in cœléſtibus.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *c.* 2. 4. *ad* 10.

DEus autem qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos; &, cùm eſſémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto, (cujus grátiâ eſtis ſalváti) & conreſuſcitávit, & conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu; ut oſténderet in ſǽculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ, in bonitáte ſuper nos in Chriſto Jeſu. Grátiâ enim eſtis ſalváti per fidem & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsius enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 16.

PRopter quod mémores eſtóte, quòd aliquándo vos gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab ea quæ dícitur circumcíſio in carne, manu facta; quia erátis illo in témpore ſine Chriſto, alienáti à converſatióne Iſraël, & hóſpites teſtamentórum promiſſiónis, ſpem non habéntes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquándo erátis longè, facti eſtis propè in ſánguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ ſolvens, inimícitias in carne ſua, legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in ſemetípſo in unum novum hóminem, fáciens pacem; & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in ſemetípſo.

℟. Sint mores, 306.

CANON.

Ex Concílio Tridentino.

Seſſ. 25. *cap.* 1. *de reform.*

OMnino Paſtóribus & Cléricis ſancta Synodus intérdicit, ne ex redítibus Eccléſiæ, conſanguíneos, familiaréſve ſuos augére ſtúdeant; cùm & Apoſtolórum Cánones prohíbeant, ne res Eccleſiáſticas, quæ Dei ſunt, conſanguíneis donent; ſed ſi páuperes ſint, iis ut paupéribus diſtríbuant; eas autem non di-

ſtrahant, nec diſſipent illórum causâ.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. *c.* 4. 1. *ad* 6.

Obſecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti eſtis; cum omni humilitáte, & manſuetúdine, cum patiéntia, ſupportántes ínvicem in caritáte, ſolíciti ſerváre unitátem ſpíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis, in una ſpe vocatiónis veſtræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptíſma. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 10.

Unicuíque autem noſtrûm data eſt grátia ſecúndùm menſúram donatiónis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcéndens Chriſtus in altum, captívam duxit captivitátem; dedit dona homínibus. Quòd autem aſcéndit, quid eſt, niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut implé-ret ómnia.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v.* 11. *ad* 15.

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas, alios verò Evangeliſtas, álios autem paſtóres, & doctóres; ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti; donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Filii Dei, in virum perféctum, in menſúram ætátis plenitúdinis Chriſti; ut jam non ſimus párvuli, fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in aſtútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, creſcámus in illo per ómnia, qui eſt caput Chriſtus.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *cap.* 1. *de reform.*

Quàm máximè poteſt, Paſtóres & Cléricos omnes ſancta Synodus monet, ut omnem humánum erga fratres, nepótes, propinquóſque carnis affféctum, unde multórum malórum in Eccléſia ſeminárium extat, pénitùs depónant.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. *c.* 5. 1. *ad* 4.

Estóte imitatóres Dei, ſicut filii caríſſimi; & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetípſum pro nobis oblatiónem, & hóſtiam Deo in odórem ſuavitátis. Fornicátio autem, & omnis

immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitúdo, aut ſtultilóquium, aut ſcurrílitas, quæ ad rem non pértinet; ſed magìs gratiárum áctio.

Si fiat de Sabbato, ℟.℟.℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 11.

HOc enim ſcitóte intelligéntes, quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod eſt idolórum ſérvitus, non habet hereditátem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte: fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítia, & veritáte: probántes quid ſit beneplácitum Deo; & nolíte communicáre opéribus infructúoſis tenebrárum; magìs autem redargúite.

Lectio iij. *c.* 6. 10. *ad* 13.

DE cétero, fratres, confortámini in Dómino, & in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut poſsítis ſtare advérsùs inſídias diáboli; quóniam non eſt nobis colluctátio advérsùs carnem & ſánguinem, ſed advérsùs príncipes & poteſtátes, advérsùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpirituália nequítiæ, in cœléſtibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut poſsítis reſíſtere in die malo, & in ómnibus perfécti ſtare.

CANON.

Ex Concílio Bituricénſi.

An. 1584. *tit.* 41. *de Simoniacis*, *can.* 2.

BEneficia prétio obténta, & in confidéntiam, ſeù cuſtódiam, occúltè aut apértè trádita, ipſo jure vacent: qui percípiunt eórum fructus, ſuos non fáciant, ſed ad reſtitutiónem teneántur.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Impléte gaúdium meum, eándem caritátem habéntes, in humilitáte ſuperióres ſibi ínvicem arbitrántes; non quæ ſua ſunt ſínguli conſiderántes, ſed quæ aliórum. *Philipp.* 2. 2. 3. 4.

Oratio, Deus, qui nos in tantis, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA IV.

quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Philippénſes.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

PAulus & Timótheus, ſervi Jeſu Chriſti; ómnibus ſanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philíppis, cum Epíſcopis, & Diacónibus; Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo in omni memória veſtrì, ſem-

per in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens ſuper communicatióne veſtra in Evangélio Chriſti à prima die uſque nunc: confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 20. *ad* 24.

MAgnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi enim vívere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi vívere in carne, hic mihi fructus óperis eſt; & quid éligam ignóro. Coárctor autem è duóbus; deſidérium habens diſſólvi, & eſſe cum Chriſto, multò magìs mélius: permanére autem in carne, neceſſárium propter vos.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v.* 27. *ad fin.*

TAntùm dignè Evangélio Chriſti converſámini; ut, ſive cùm vénero & vídero vos, ſive abſens, aúdiam de vobis quia ſtatis in uno ſpíritu unánimes, collaborántes fidei Evangélii: & in nullo terreámini ab adverſáriis, quæ illis eſt cauſa perditiónis, vobis autem ſalútis: & hoc à Deo; quia vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen habéntes, quale & vidíſtis in me, & nunc audíſtis de me.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium ſancti Gregórii papæ.

Lib. 4. *cap.* 30. *poſt med.*

Lectio iv.

REplémus refectiónibus corpus, ne extenuátum deficiat: extenuámus abſtinéntiâ, ne nos replétum premat. Vegetámus hoc mótibus, ne ſitu immobilitátis intéreat: ſed cítiùs hoc collocándo ſíſtimus, ne ipsâ ſuâ vegetatióne ſuccúmbat. Adjuméntis hoc véſtium tégimus, ne frigus intérimat: & quæſíta adjuménta projícimus, ne calor exúrat. Tot ígitur diverſitátibus occurréntes, quid ágimus, niſi corruptibilitáti ſervímus; ut ſaltem multiplícitas impénſi obſéquii corpus ſuſtíneat, quod anxíetas infírmæ mutabilitátis gravat?

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio v.

UNde bene per Paulum dícitur: [Vanitáti enim ſubjécta eſt creatúra non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.] Vanitáti quippe creatúra non volens ſúbditur; quia homo, qui ingénitæ conſtántiæ ſtatum volens deſéruit, preſſus juſtæ mortalitátis póndere, nolens mutabilitátis ſuæ corruptióni

ſervit. Sed creatúra hæc tunc à ſervitúte corruptiónis erípitur, cùm ad filiórum Dei glóriam incorrúpta reſurgéndo ſublevátur.

℞. Voluntáriè peccántibus, 300.

Lectio vj.

HIc ítaque elécti moléſtiâ vincti ſunt; quia adhuc corruptiónis ſuæ pœnâ deprimúntur. Sed cùm corruptíbili carne exúimur, quaſi ab his, quibus nunc aſtríngimur, moléſtiæ vínculis relaxámur. Præſentári namque jam Deo cúpimus, ſed adhuc mortális córporis obligatióne præpedímur. Jure ergo vincti dícimur; quia adhuc incéſſum noſtri deſidérii ad Deum líberum non habémus. Unde bene Paulus ætérna desíderans, ſed tamen adhuc corruptiónis ſuæ ſárcinam portans, vinctus clamat: [Cúpio diſſólvi, & eſſe cum Chriſto.] Diſſólvi enim non quæreret, niſi ſe procul dúbio vinctum vidéret.

℞. Sint mores, 300.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 8. 23. *ad* 27.

IN illo témpore; Aſcendénte Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum diſcípuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipſe verò dormiébat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Præfat. Enarrat. 2. *in Pſ.* 25. *§.* 4.

AUdíſtis in Evangélio: Periclitabátur navígium in ſtagno, & dormiébat Jeſus. Navigámus enim per quoddam ſtagnum, & ventus & procéllæ non deſunt: tentatiónibus quotidiánis hujus ſéculi propè opplétur noſtrum navígium. Unde autem fit, niſi quia dormit Jeſus? Si non dormíret in te Jeſus, tempeſtátes iſtas non pateréris; ſed tranquillitátem habéres intériùs, convigilánte tecum Jeſu.

℞. Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, Jeſus verò dormiébat. Et diſcípuli ejus ſuſcitavérunt eum, dicéntes: * Dómine, ſalva nos, perímus. *Matt.* 8. 24. 25. ℣. Exúrge, quare obdórmis Dómine? exúrge Dómine ádjuva nos. *Pſ.* 43. 23. 26. * Dómine.

Lectio viij.

QUid eſt autem, Dormit Jeſus? Fides tua, quæ eſt de Jeſu, obdormívit. Surgunt procéllæ ſtagni hujus, vides malos florére, bonos laboráre; tentátio eſt, fluctus eſt. Et dicit ánima tua: O Deus, ipſa eſt juſtítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo: Ipſa eſt juſtítia tua? Et Deus tibi: Ipſa eſt fides tua? Hæc enim tibi promíſi?

ad hoc Chriſtiánus factus es, ut in ſéculo iſto floréres? torquéris, quia hìc mali florent, qui cum diábolo póſtea torquebúntur? ſed unde hoc dicis? unde flúctibus ſtagni & tempeſtáte turbáris? Quia dormit Jeſus, id eſt, quia fides tua, quæ eſt de Jeſu, ſopíta eſt in corde tuo.

℟. Exúrgens Jeſus ait diſcípulis: * Quid tímidi eſtis? necdum habétis fidem? *Marc.* 4. 39. 40. ℣. Qui confídit in Dómino, non timébit cùm vénerit æſtus. *Jer.* 17. 7. 8. * Quid.

Lectio ix.

QUid facis ut liberéris? Excita Jeſum, & dic: [Magíſter, perímus.] Movent enim incérta ſtagni; perímus. Evigilábit ille, id eſt, rédiet ad te fides tua; & adjuvánte illo, conſiderábis in ánima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perſeverábunt. Aut enim vivéntes eos déſerunt, aut à moriéntibus deſerúntur. Tibi autem quod promíttitur, manébit in ætérnum. Illis quod temporáliter concéditur, citò tóllitur.

℟. Clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; * Et ſtátuit procéllam in auram, & † Siluérunt fluctus maris. *Pſ.* 106. 28. 29. ℣. Comminátus eſt Jeſus vento, & dixit mari: Tace, obmutéſce. *Marc.* 4. 39. * Et ſtátuit. Glória. † Siluérunt.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Surgens Jeſus imperávit ventis & mari; & facta eſt tranquíllitas magna. *Matt.* 8. 26.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitútos, pro humána ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere; da nobis ſalútem mentis & corporis, ut ea quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Synodo Autiſſiodorénſi. *An.* 1552. *part.* 1. *num.* 31.

DOmínicis & Feſtis diébus, ne ante finítum ſacrum de templo éxeat pópulus, neve ínterim fabulétur: aut divínum ſervítium quoquo modo turbet ac impédiat. A Choro proptérea, & ab altári ſubducéndi láïci.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Hómines miráti ſunt, dicéntes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matt.* 8. 27.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Philippénſes.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 4.

SI qua ergo conſolátio in Chriſto, ſi quod ſolátium caritátis, ſi qua ſocietas ſpíritûs, ſi qua víſcera miſeratiónis, impléte gaúdium meum; ut idem ſapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípſum ſentiéntes. Nihil per contentiónem, ne-

que per inánem glóriam; ſed in humilitáte ſuperióres ſibi ínvicem arbitrántes. Non quæ ſua ſunt ſínguli conſiderántes, ſed ea quæ aliórum.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 12. *ad* 15.

Itaque, caríſſimi mei, (ſicut ſemper obedíſtis) non ut in præſéntia meî tantùm, ſed multò magìs nunc in abſéntia mea, cum metu & tremóre veſtram ſalútem operámini. Deus eſt enim, qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite ſine murmuratiónibus, & hæſitatiónibus; ut ſitis ſine queréla, & símplices fílii Dei, ſine reprehenſióne, in médio natiónis pravæ & pervérſæ, inter quos lucétis ſicut luminária in mundo.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *c.* 4. 8. *ad* 13.

De cétero, fratres, quæcúnque ſunt vera, quæcúnque pudíca, quæcúnque juſta, quæcúnque ſancta, quæcúnque amabília, quæcúnque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didicíſtis, & accepíſtis, & audíſtis, & vidíſtis in me, hæc ágite; & Deus pacis erit vobíſcum. Gavíſus ſum autem in Dómino veheménter, quóniam tandem aliquándo refloruíſtis pro me ſentíre, ſicut & ſentiebátis; occupáti autem erátis. Non quaſi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliári, ſcio & abundáre. (Ubíque & in ómnibus inſtitútus ſum,) & ſatiári, & eſuríre; & abundáre, & penúriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confórtat.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Chalcedonénſi œcuménico.

An. 451. *part.* 2. *actione* 15. *can.* 9.

Si quis Cléricus habet cum Cléricο litem aut negótium, próprium Epíſcopum ne relínquat, & ad ſeculária judícia ne excúrrat; ſed cauſam priùs apud próprium Epíſcopum agat; vel de Epíſcopi ſenténtia, apud eos quos útraque pars elégerit, judícium agitétur.

FERIA TERTIA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Coloſſénſes.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

Paulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Timótheus frater; eis qui ſunt Colóſſis, ſanctis & fidélibus frátribus in Chriſto Jeſu; Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágimus Deo, & Patri Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orántes, audiéntes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectiónem quam habétis

In ſanctos omnes, propter ſpem quæ repóſita eſt vobis in cœlis; quam audíſtis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, ſicut & in univérſo mundo eſt, & fructíficat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die quâ audíſtis, & cognovíſtis grátiam Dei in veritáte.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *v. 9. ad* 12.

IDeo, & nos ex qua die audívimus, non ceſſámus pro vobis orántes & poſtulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni ſapiéntia & intelléctu ſpiritáli; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes, & creſcéntes in ſciéntia Dei: in omni virtúte confortáti ſecúndùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia & longanimitáte cum gaúdio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine.

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio iij. *v. 13. ad* 17.

QUi erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum Fílii dilectiónis ſuæ, in quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum. Qui eſt imágo Dei inviſíbilis, primogénitus omnis creatúræ; quóniam in ipſo cóndita ſunt univérſa in cœlis, & in terra; viſibília, & inviſibília; ſive throni, ſive dominatiónes, ſive principátus, ſive poteſtátes: ómnia per ipſum, & in ipſo creáta ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ipſo conſtant.

℟. Sint mores, 300.

C A N O N.

Ex Concílio Turonénſi ſecúndo.

An. 567. can. 2.

DEcérnitur propter illud cœléſte mandátum; Pacem meam do vobis, ut Pontificális afféctus inter Sacerdótes inviolabíliter conſervétur. Verùm ſi pro peccátis, ut áſſolet, ex cauſa livor emérſerit, ut pendénte certámine ſibi ínvicem reconciliári non poſſint; eléctis ab utráque parte frátribus, id eſt, Preſbyteris, præponderánte dulcédine, litis jácula fíniant, & vota pacis acquírant.

FERIA QUARTA,

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Coloſſénſes.

Lectio j. *c. 3. 12. ad* 15.

INdúite vos ſicut elécti Dei, ſancti & dilécti, viſcera miſericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéſtiam, patiéntiam; ſupportántes ínvicem, & donántes vobiſmetípſis, ſi quis advérsùs áliquem habet querélam; ſicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod eſt vínculum perfectiónis. Et pax Chriſti exúltet in córdibus veſtris, in qua & vo-

cáti eſtis in uno córpore: & grati eſtóte.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 16. *ad* 21.

VErbum Chriſti hábitet in vobis abundánter, in omni ſapiéntia; docéntes, & commonéntes voſmetipſos in pſalmis, hymnis, & cánticis ſpirituálibus, in grátia cantántes in córdibus veſtris Deo. Omne quodcúnque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum. Mulíeres, ſúbditæ eſtóte viris, ſicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres veſtras, & nolíte amári eſſe ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia; hoc enim plácitum eſt in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre filios veſtros, ut non puſíllo ánimo fiant.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij.

v. 22. *ad fin.* & *c.* 4. *v.* 1. & 2.

SErvi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus; non ad óculum ſerviéntes, quaſi homínibus placéntes, ſed in ſimplicitáte cordis, timéntes Deum. Quodcúnque fácitis, ex ánimo operámini, ſicut Dómino, & non homínibus; ſciéntes quòd à Dómino, accipiétis retributiónem hereditátis: Dómino Chriſto ſervíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè geſſit: & non eſt perſonárum accéptio apud Deum. Dómini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtáte; ſciéntes quòd & vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni inſtáte, vigilántes in ea in gratiárum actióne.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *can.* 4.

MIníſtri altáris Dómini, vel mónachi, nobis plácuit ut à negótiis ſeculáribus omníno abſtíneant.

FERIA QUINTA.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 5.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus; Eccléſiæ Theſſalonicénſium, in Deo Patre, & Dómino Jeſu Chriſto; Grátia vobis & pax. Grátias ágimus Deo ſemper pro ómnibus vobis, memóriam veſtrî faciéntes in oratiónibus noſtris ſine intermiſſióne; mémores óperis fidei veſtræ, & labóris, & caritátis, & ſuſtinéntiæ ſpei Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum; ſciéntes, fratres diléƈti à Deo, electiónem veſtram: quia Evangélium noſtrum non fuit ad vos in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte, & in Spíritu-ſancto, & in plenitúdine multa: ſicut ſcitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *c.* 2. 3. *ad* 6.

EXhortátio noſtra, non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; ſed, ſicut probáti ſumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, non quaſi homínibus placéntes, ſed Deo qui probat corda noſtra. Neque enim aliquándo fúimus in ſermóne adulatiónis, ſicut ſcitis, neque in occaſióne avarítiæ; Deus teſtis eſt: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis.

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio iij. *v.* 7. *ad* 12.

CUm poſſémus vobis óneri eſſe ut Chriſti Apóſtoli: ſed facti ſumus párvuli in médio veſtrûm, tanquan ſi nutrix fóveat filios ſuos. Ita deſiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras, quóniam cariſſimi nobis facti eſtis. Mémores enim eſtis, fratres, labóris noſtri & fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem veſtrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine queréla, vobis, qui credidiſtis, fúimus: ſicut ſcitis, quáliter unumquémque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos) deprecántes vos, & conſolántes teſtificáti ſumus ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in ſuum regnum & glóriam.

℟. Sint mores, 300.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *cap.* 18.

SEnténtiam ſánguinis nullus Cléricus dictet, aut próferat; ſed nec ſánguinis vindíctam exérceat: aut ubi exercétur, intérſit.... Nec quiſquam Cléricus lítteras ſcribat, aut dictet pro vindícta ſánguinis deſtinándas.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio j. *c.* 4. 1. *ad* 7.

DE cétero, fratres, rogámus vos & obſecrámus in Dómino Jeſu, ut quemádmodum accepiſtis à nobis quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, ſic & ambulétis ut abundétis magìs. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jeſum. Hæc eſt enim volúntas Dei, ſanctificátio veſtra; ut abſtineátis vos à fornicatióne; ut ſciat unuſquíſque veſtrûm vas ſuum poſſidére in ſanctificatióne, & honóre; non in paſſióne deſidérii, ſicut & gentes quæ ignórant Deum. Et ne quis ſupergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem ſuum; quóniam vindex eſt Dóminus de his ómnibus, ſicut prædíximus vobis, & teſtificáti ſumus. Non

enim vocávit nos Deus in immundítiam, ſed in ſanctificatiónem.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *c. 5. 1. ad 6.*

DE tempóribus autem & moméntis, fratres, non indigétis ut ſcribámus vobis, Ipſi enim diligénter ſcitis, quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint: Pax, & ſecúritas; tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habénti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non eſtis in ténebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehéndat: omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diéi: non ſumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus ſicut & céteri, ſed vigilémus, & ſóbrii ſimus.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v. 12. ad 22.*

ROgámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, & præſunt vobis in Dómino, & monent vos; ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórum. Pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, conſolámini puſillánimes, ſuſcípite infirmos, patiéntes eſtóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat; ſed ſemper quod bonum eſt ſectámini in ínvicem, & in omnes. Semper gaudéte. Sine intermiſſióne oráte. In ómnibus grátias ágite; hæc eſt enim volúntas Dei in Chriſto Jeſu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetías nolíte ſpérnere. Omnia autem probáte: quod bonum eſt tenéte. Ab omni ſpécie mala abſtinéte vos.

℟. Vocávit, 299.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. part. 3. cap. 2.

NE, cùm neces & cruciaménta ímprobis homínibus magiſtrátuum judício illáta, multitúdini ſpectánda proponúntur, ullo modo Eccleſiáſtici Ordinis viri intérſint; niſi eórum pia ópera, conſolandíque officium úſui futúrum illis ſit, qui ad ſupplícium ducúntur.

SABBATO.

Incipit Epiſtola ſecúnda beáti Pauli apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio j. *c. 1. 1. ad 5.*

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Eccléſiæ Theſſalonicénſium, in Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto; Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágere debémus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quóniam ſupercréſcit fides veſtra, & abúndat cáritas uniuſcujúſque veſtrûm in ínvicem: ita ut & nos ipſi in vobis gloriémur in Eccle-

ſiis Dei, pro patiéntia veſtra, & fide, & in ómnibus perſecutiónibus veſtris, & tribulatiónibus quas ſuſtinétis, in exémplum juſti judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini.

Si fiat de Sabbato, ℟.℟.℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica III. ſuprà*, 299.

Lectio ij. *v. 6. ad* 10.

SI tamen juſtum eſt apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant: & vobis qui tribulámini, réquiem nobíſcum in revelatióne Dómini Jeſu de cœlo cum Angelis virtútis ejus, in flamma ignis dantis vindíctam iis, qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini noſtri Jeſu Chriſti: qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas à fácie Dómini, & à glória virtútis ejus, cùm vénerit glorificári in ſanctis ſuis, & admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt.

Lectio iij. *c. 3. 7. ad* 12.

NOn inquiéti fúimus inter vos: neque gratis panem manducávimus ab áliquo, ſed in labóre, & in fatigatióne, nocte & die operántes, ne quem veſtrûm gravarémus. Non quaſi non habuérimus poteſtátem, ſed ut noſmetípſos formam darémus vobis ad imitándum nos. Nam & cùm eſſémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis: quóniam ſi quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quoſdam ambuláre inquiétè, nihil operántes, ſed curióſè agéntes. Iis autem qui ejúſmodi ſunt, denuntiámus, & obſecrámus in Dómino Jeſu Chriſto, ut cum ſiléntio operántes, ſuum panem mandúcent.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *cap.* 40.

GEnerâliter prohibémus, ne ſuper rebus ſpirituálibus compromittátur in Láicum; quia non decet ut Láicus in tálibus arbitrétur.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Finis præcépti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntia bona, & fide non ficta. 1. *Tim.* 1. 5.

Oratio, Famíliam tuam, *infrà in Laudibus.*

DOMINICA V.

quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epiſtola prima beáti Pauli apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 7.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti ſecúndùm impérium Dei Salvatóris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ; Timótheo dilécto filio in fide; Grátia, miſericórdia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Sicut rogávi te ut remanéres Epheſi, cùm irem in Macedóniam, ut

denuntiáres quibúſdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, & genealógiis interminátis; quæ quæſtiónes præſtant magis quàm ædificatiónem Dei, quæ eſt in fide. Finis autem præcépti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrántes, convérſi ſunt in vanilóquium, voléntes eſſe legis doctóres, non intelligéntes neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant.

℞. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 12. *ad* 16.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério: qui priùs blaſphémus fui, & perſecútor, & contumelióſus: ſed miſericórdiam Dei conſecútus ſum, quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia Dómini noſtri, cum fide & dilectióne quæ eſt in Chriſto Jeſu. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus, Quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, quórum primus ego ſum: ſed ídeo miſericórdiam conſecútus ſum; ut in me primò oſténderet Chriſtus Jeſus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri ſunt illi in vitam ætérnam.

℞. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *c.* 2. 1. *ad* 6.

OBſecro ígitur primùm ómnium, fieri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt; ut quiétam & tranquíllam vitam agámus in omni pietáte, & caſtitáte. Hoc enim bonum eſt, & accéptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus & mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, teſtimónium tempóribus ſuis.

℞. Vocávit vos Deus, 299.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 175. *de Verbis Apoſtoli, §.* 1. *aliàs Serm.* 9.

Lectio iv.

FIdélis ſermo, & omni acceptióne dignus, Quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum.] Nulla cauſa fuit veniéndi Chriſto Dómino, niſi peccatóres ſalvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla cauſa eſt medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus. Ipſe ægrótus, genus humánum eſt.

℞. Habéntes aliménta, 299.

Lectio v.

Serm. 176. de Verbis Apoſtoli, §. 4. aliàs Serm. 10.

DIcit Paulus unicuíque ægróto, & de ſe volénti deſperáre: Qui curávit me, miſit me ad te, & dixit mihi: Illi deſperánti vade, & dic quid habuíſti, quid in te ſanávi, quàm citò ſanávi. De cœlo vocávi; unâ voce percúſſi, & dejéci; áliâ eréxi, & elégi; tértiâ implévi, & miſi; quartâ liberávi, & coronávi. Vade, dic ægrótis, clama deſperátis: [Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus, Quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere.] Quid timétis? Quid trepidátis? [Quorum primus ego ſum.] Ego, inquit, vobis loquor, ſanus ægrotántibus, ſtans jacéntibus, ſecúrus deſperántibus: [Ideo] enim [miſericórdiam conſecútus ſum, ut in me oſténderet Chriſtus Jeſus omnem longanimitátem.]

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio vj. §. 5.

NOlíte ergo deſperáre. Ægróti eſtis; accédite ad eum, & ſanámini: cæci eſtis; accédite ad eum, & illumináimini. Et qui ſani eſtis, ei grátias ágite: & qui ægrotátis, ad eum ſanándi cúrrite: dícite omnes: [Veníte, adorémus, & proſternámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos,] & hómines, & ſalvos. Nam ſi ille nos fecit hómines, nos autem ipſi nos fécimus ſalvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior eſt enim ſalvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te feciſti bonum hóminem; quod tu feciſti, mélius eſt. Noli te extóllere ſuper Deum: ſubde te Deo, adóra, proſtérnere, confitére illi qui fecit te; quia nemo récreat, niſi qui creat; nemo réficit, niſi qui fecit.

℟. Sint mores, 300.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. c. 13. 24. ad 30.

IN illo témpore; Parábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens: Símile factum eſt regnum cœlórum hómini, qui ſeminávit bonum ſemen in agro ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 47. de ovibus, in Ezech. 34. §. 6. aliàs in tomo 9.

DIxérunt ſervi: Nonne bonum ſemen ſemináſti? unde ergo apparuérunt zizánia?] Ille ratiónem réddidit unde apparuérunt; non tamen permíſit ut ante tempus evelleréntur. Quamvis & ipſi ſervi ſtomacháti advérsùs zizánia; consílium tamen & præcéptum à Dómino expetivérunt. Diſplicébant illa inter ſégetem: ſed vidébant ſervi, quia ſi vel in ipſis zizániis evellén-

dis áliquid ſuâ ſponte fácerent, ipſi zizániis annumeraréntur.

℟. Símile factum eſt regnum cœlórum hómini, qui * Seminávit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormírent hómines, inimícus ſuperſeminávit zizánia. *Matt.* 13.24.25. ℣. Ad imáginem ſimilitúdinis ſuæ Deus fecit hóminem; invidiâ autem diáboli mors introívit in mundum. *Sap.* 2. 23. 24. * Seminávit.

Lectio viij.

A Dómino expectavérunt præcéptum, juſſiónem regis ſui quæſiérunt: [Vis, imus, & collígimus ea?] Et ille: Non. Et réddidit inde cauſam; [Ne fortè, cùm vultis collígere zizánia, eradicétis ſimul & tríticum.] Sedávit ab indignatióne, nec relíquit in dolóre. Grave enim videbátur ſervis eſſe zizánia inter frruméntum; & verè grave erat. Sed ália eſt condítio agri, ália quies hórrei. Tólera, ad hoc enim natus es: tólera, quia fortè tolerátus es. Si ſemper bonus fuíſti, habéto miſericórdiam: ſi aliquándo malus fuíſti, noli pérdere memóriam. Et quis eſt ſemper bonus? Facíllius, ſi te Deus diligénter diſcútiat, invéniet te étiam nunc malum, quàm tu te ſemper bonum.

℟. Zizánia, filii ſunt nequam; inimícus autem, qui ſeminávit ea, eſt diábolus. * Sicut colligúntur zizánia, & igni comburúntur; ſic erit in conſummatióne ſéculi. *Matt.* 13. 38. 39. 40. ℣. In diem perditiónis ſervátur malus, & ad diem furóris ducétur. *Job* 21. 30. * Sicut.

Lectio ix. *Paulò pòſt.*

CUm vénerit Fílius hóminis, & omnes Angeli cum eo, ſedébit in ſede glóriæ ſuæ, & congregabúntur ante eum omnes gentes, & ſeparábit eas, ſicut paſtor ſéparat oves ab hœdis.] Et véniet, & ſeparábit: véniet meſſis, & ſeparabúntur. Modò ergo tempus ſeparatiónis non eſt, ſed toleratiónis. Nec ídeo iſta dícimus, fratres, ut corripiéndi dórmiat diligéntia: imò verò ne in illud judícium incaúti veniámus, & cæci negligéntes cæcitátem noſtram ſúbitò nos ad ſiníſtram inveniámus, diſciplína exerceátur, judícium non præcipitétur.

℟. Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos, & qui fáciunt iniquitátem mittent eos in camínum ignis. * Tunc † Juſti fulgébunt ſicut ſol in regno Patris eórum. *Matt.* 13. 41. 42. 43. ℣. Juſtum, & ímpium judicábit Deus, & tempus omnis rei tunc erit. *Eccli* 3. 17. * Tunc juſti. Glória. † Juſti fulgébunt.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. g. Dómine, nonne bonum ſemen ſemináſti in agro tuo? unde ergo habet zizánia? Et ait

illis : Inimícus homo hoc fecit. *Matt.* 13. 27. 28.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæſumus, Dómine, continuâ pietáte cuſtódi ; ut quæ in ſola ſpe grátiæ cœléſtis innítitur, tuâ ſemper protectióne muniátur ; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Avenionénſi. *An.* 1281. *cap.* 5.

QUilibet Parochiáni, ſaltem quibúſlibet diébus Domínicis & Solémnibus veníre ad ſuas Parochiáles Eccléſias, ceſſánte impediménto canónico, teneántur.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Collígite primúm zizánia, & alligáte ea in faſcículos ad comburéndum ; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matt.* 13. 30.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola prima beáti Pauli apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. *c.* 3. 1. *ad* 7.

FIdélis ſermo : Si quis Epiſcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epiſcopum irreprehensíbilem eſſe, unius uxóris virum, ſóbrium ; prudéntem, ornátum, pudícum, hoſpitálem, doctórem ; non violéntum, non percuſſórem, ſed modéſtum ; non litigióſum, non cúpidum, ſed ſuæ dómui bene præpóſitum, filios habéntem ſúbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præéſſe neſcit, quómodo Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit ? Non neóphytum ; ne, in ſupérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum & teſtimónium habére bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum diáboli.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *c.* 4. 12. *ad fin.*

NEmo adoleſcéntiam tuam contémnat ; ſed exémplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetíam, cum impoſitióne mánuum Preſbytérii. Hæc meditáre, in his eſto ; ut proféctus tuus maniféſtus ſit ómnibus. Atténde tibi, & doctrínæ : inſta in illis; hoc enim fáciens, & teípſum ſalvum fácies, & eos qui te aúdiunt.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *c.* 5. 17. *ad* 22.

QUi bene præſunt Preſbyteri, dúplici honóre digni habeántur ; máximè qui labórant in verbo & doctrína. Dicit enim Scriptúra : Non alligábis os bovi trituránti ; Et : Dignus eſt operárius mercéde ſuâ. Advérsùs Preſbyterum accuſatiónem noli recípere, niſi ſub duóbus aut tribus téſtibus. Peccántes, coram ómnibus, árgue ; ut & céteri

céteri timórem hábeant. Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & eléctis Angelis, ut hæc cuſtódias ſine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinándo. Manus citò némini impoſúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teípſum caſtum cuſtódi.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Venético.

An. 465. *can.* 5. *&* 6.

CLéricis ſine commendatítiis epíſtolis Epíſcopi ſui, licéntia non páteat evagándi; & in omni loco, ad quem ſine epíſtolis Epíſcopi ſui vénerint, à communióne habeántur aliéni. In Mónachis quoque par ſenténtiæ forma ſervétur.

FERIA TERTIA.

Incipit Epíſtola ſecúnda beáti Pauli apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 6.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ſecúndùm promiſſiónem vitæ quæ eſt in Chriſto Jeſu; Timótheo cariſſimo fílio; Grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Grátias ago Deo, cui ſérvio à progenitóribus in conſciéntia pura, quòd ſine intermiſſióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die: deſíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio implear; recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitávit primùm in ávia tua Lóide, & matre tua Eúnice; certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admóneo te, ut reſúſcites grátiam Dei, quæ eſt in te per impoſitiónem mánuum meárum.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *v.* 8. *ad* 11.

NOli ítaque erubéſcere teſtimónium Dómini noſtri, neque me vinctum éjus; ſed collabóra Evangélio ſecúndùm virtútem Dei; qui nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ; non ſecúndùm ópera noſtra, ſed ſecúndùm propóſitum ſuum, & grátiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante témpora ſeculária. Manifeſtáta eſt autem nunc per illuminatiónem Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem per Evangélium: in quo pópoſitus ſum ego prædicátor, & Apóſtolus, & magíſter géntium.

℟. Voluntárie, 300.

Lectio iij. *v.* 12. *ad* 14.

OB quam cauſam étiam hæc pátior, ſed non confúndor: ſcio enim cui crédidi; & certus ſum quia potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem. Formam habe ſanórum verbórum, quæ à me audíſti in fide & in dilectióne in Chriſto Jeſu. Bonum depó-

ſitum cuſtódi per Spíritum-ſanctum qui hábitat in nobis.

℟. Sint mores, 300.

CANON.

Ex Concílio Epaonénſi.

An. 517. can. 5.

NE Préſbyter territórii aliéni, ſine conſciéntia ſui Epíſcopi, in altérius civitátis território præſúmat Baſílicis atque Oratóriis intervenire; niſi fortè Epíſcopus ſuus illum cedat Epíſcopo illi, in cujus território habitáre diſpóſuit.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. *c. 3. 1. ad 5.*

HOc autem ſcito, quòd in noviſſimis diébus inſtábunt témpora periculóſa: erunt hómines ſeipſos amántes, cúpidi, eláti, ſupérbi, blaſphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, ſceléſti, ſine affectióne, ſine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, ſine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, & voluptátum amatóres magìs quàm Dei; habéntes ſpéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v. 6. ad 9.*

EX his enim ſunt qui pénetrant domos, & captívas ducunt muliérculas, onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis deſidériis; ſemper diſcéntes, & nunquam ad ſciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes & Mambres reſtitérunt Móyſi, ita & hi resíſtunt veritáti; hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem; ſed ultrà non profícient: inſipiéntia enim eórum maniféſta erit ómnibus, ſicut & illórum fuit.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v. 10. ad 13.*

TU autem aſſecútus es meam doctrínam, inſtitutiónem, propóſitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, perſecutiónes, paſſiónes: quália mihi facta ſunt Antiochíæ, Icónii, & Lyſtris: quales perſecutiónes ſuſtínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, & seductóres profícient in pejus, errántes, & in errórem mitténtes.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON

Ex Concílio Autiſſiodorénſi.

Circa an. 580. can. 46. MS. in Biblioth. Colb codice 2576.

SI quis Préſbyter, aut Diáconus, aut quíſlibet de número Clericórum, relínquens próprìam Paróchiam, pergat ad aliénam; & omníno demígrans præter Epíſcopi ſui conſciéntiam, in aliéna Paróchia commorétur, hunc alté-

riùs miniſtráre non pátimur; præcípuè ſi vocátus ab Epíſcopo, redíre contémpſerit, in ſua inquietúdine perſevérans.

FERIA QUINTA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Titum.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

PAulus, ſervus Dei, Apóſtolus autem Jeſu Chriſti ſecúndùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis quæ ſecúndùm pietátem eſt, in ſpem vitæ ætérnæ quam prómíſit, qui non mentítur Deus, ante témpora ſeculária: manifeſtávit autem tempóribus ſuis verbum ſuum in prædicatióne, quæ crédita eſt mihi ſecúndùm præcéptum Salvatóris noſtri Dei; Tito dilécto fílio ſecúndùm commúnem fidem; Grátia & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatóre noſtro.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 9.

HUjus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt córrigas, & conſtítuas per civitátes Preſbyteros, ſicut & ego diſpóſui tibi. Si quis ſine crímine eſt; uníus uxóris vir; fílios habens fidéles, non in accuſatióne luxúriæ, aut non ſúbditos: Opórtet enim Epíſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem; non ſupérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percuſſórem, non turpis lucri cúpidum; ſed hoſpitálem, benígnum, ſóbrium, juſtum, ſanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui ſecúndùm doctrínam eſt, fidélem ſermónem; ut potens ſit exhortári in doctrína ſana, & eos, qui contradícunt, argúere.

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio iij. *v.* 10. *ad fin.*

SUnt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, & ſeductóres; máximè qui de circuncisióne ſunt: quos opórtet redárgui; qui univérſas domos ſubvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis, próprius ipſórum prophéta: Creténſes ſemper mendáces, malæ béſtiæ, ventres pigri. Teſtimónium hoc verum eſt. Quam ob cauſam íncrepa illos durè; ut ſani ſint in fide, non intendéntes Judáïcis fábulis, & mandátis hóminum averſántium ſe à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem & infidélibus nihil eſt mundum; ſed inquinátæ ſunt eórum & mens, & conſciéntia. Confiténtur ſe noſſe Deum; factis autem negant; cum ſint abomináti, & incredíbiles, & ad omne opus bonum réprobi.

℟. Sint mores, 300.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *cap.* 16. *de reform.*

SI Preſbyter locum cui aſcríptus eſt, inconſúlto Epíſcopo, deſerúerit; ei ſacrórum exercítium interdicátur. Nul-

lus prætérea Cléricus peregrínus ſine commendatítiis ſui Ordinárii lítteris ab ullo Epíſcopo ad divína celebránda & Sacraménta adminiſtránda admittátur.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Titum.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 8.

TU autem lóquere quæ decent ſanam doctrínam: Senes ut ſóbrii ſint, pudíci, prudéntes; ſani in fide, in dilectióne, in patiéntia: Anus ſimíliter in hábitu ſancto, non criminatríces, non multo vino ſerviéntes, bene docéntes, ut prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, fílios ſuos díligant, prudéntes, caſtas, ſóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, ſúbditas viris ſuis; ut non blaſphemétur verbum Dei: Júvenes ſimíliter hortáre ut ſóbrii ſint. In ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum, irreprehensíbile; ut is qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 11. *ad fin.*

APpáruit enim grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, & ſeculária deſidéria, ſóbriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc ſéculo, expectántes beátam ſpem, & advéntum glóriæ magni Dei & Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti; qui dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, & exhortáre, & árgue cum omni império. Nemo te contémnat.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *c.* 3. 1. *ad* 7.

ADmone illos princípibus & poteſtátibus ſúbditos eſſe, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos eſſe; néminem blaſphemáre, non litigióſos eſſe ſed modéſtos, omnem oſtendéntes manſuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquándo & nos inſipiéntes, incréduli, errántes, ſerviéntes deſidériis & voluptátibus váriis, in malítia & invídia agéntes, odíbiles, odiéntes ínvicem. Cum autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei; non ex opéribus juſtítiæ, quæ fécimus nos, ſed ſecúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs-ſancti, quem effúdit in nos abúndè per Jeſum Chriſtum Salvatórem noſtrum; ut juſtificáti grátiâ ipsíus, herédes ſimus ſecúndùm ſpem vitæ ætérnæ.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 105.

ADmonéndi ſunt Clérici, ne Præpoſitórum ſuórum vitam témerè júdicent, ſi quid eos fortáſſe ágere reprehenſibíliter vident; ne unde rectè mala redárguunt, inde per elatiónis impúlſum in profundióra mergántur.

SABBATO.

¶ *Hodie, niſi occurrat Feſtum Semiduplex, aut ſuprà, ex tribus ſequentibus Lectionibus fient duæ;* iij. *Lectio erit de Evangelio cum Homilia Dominica VI.*

Si verò occurrat Feſtum Semiduplex, pro j. *Lectione legentur ſequentes tres Lectiones;* ij. *erit de Feſto;* iij. *de Evangelio cum Homilia & ℟. Evang. Dominicæ, & poſt Laudes fiet Commemoratio ejuſdem, per Ant.* Simíle eſt, ℣. *de Pſalterio, & Orationem,* Præſta, *infrà*, 326.

Si denique occurrat Feſtum ix. *Lectionum, tunc pro* ix. *Lectione legetur Homilia cum ℟. Evang. Dominicæ VI. & Commemoratione ejuſdem poſt Laudes, ut modò dictum eſt.*]

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Philémonem.

Lectio j. *v.* 1. *ad* 6.

PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timótheus frater; Philémoni diléƈto, & adjutóri noſtro, & Appiæ ſorórí caríſſimæ, & Archíppo commilitóni noſtro; & Eccléſiæ quæ in domo tua eſt; Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo, ſemper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, aúdiens caritátem tuam, & fidem quam habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctos; ut communicátio fidei tuæ évidens fiat, in agnitióne omnis óperis boni quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.

℟℟. j. & ij. *ex II. Nocturno Dominicæ III. ſuprà,* 299. *Tertium* ℟. Locútus eſt Jeſus, *infrà*, 326.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 12.

GAúdium enim magnum hábui, & conſolatiónem in caritáte tua; quia víſcera ſanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Chriſto Jeſu imperándi tibi quod ad rem pértinet, propter caritátem magis óbſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti: óbſecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onéſimo, qui tibi aliquándo inútilis fuit, nunc autem & mihi & tibi útilis, quem remíſi tibi.

Lectio iij. *v.* 12. *ad* 19.

TU autem illum, ut mea víſcera, ſúſcipe; quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi miniſtráret in vínculis Evangélii: ſine consílio autem tuo nihil vólui fácere, uti ne velut ex neceſ-

ſitáte bonum tuum eſſet, ſed voluntárium. Fórſitan enim ídeo diſcéſſit ad horam à te, ut ætérnum illum recíperes; jam non ut ſervum, ſed pro ſervo caríſſimum fratrem, máximè mihi; quantò autem magìs tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me ſócium, ſúſcipe illum ſicut me. Si autem áliquid nócuit tibi, aut debet; hoc mihi ímputa. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quòd & teipſum mihi debes.

Pro ultima Lectione legitur Evangelium & Homilia ſequens.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio ix. *c.* 13. 31. *ad* 35.

IN illo témpore; Parábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens: Símile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi presbyteri.

Lib. 2. *Comment. in cap.* 13. *Matt.*

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii eſt, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam; & de qua dícitur ad Judæos: [Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus.] Símile eſt ergo hujuſcémodi regnum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Homo qui ſéminat in agro ſuo, à pleríſque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium ſéminet. Ab áliis, ipſe homo ſéminans in agro ſuo, hoc eſt, in ſemetipſo, & in corde ſuo. Quis eſt iſte qui ſéminat, niſi ſenſus noſter & ánimus; qui ſuſcipiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fídei, facit in agro ſui péctoris pullulláre?

℟. *Evang.* Locútus eſt Jeſus in parábolis ad turbas, ut implerétur quod dictum eſt per Prophétam: * Eructábo abſcóndita à conſtitutióne mundi. *Matt.* 13. 34. 35. ℣. Apériam in parábolis os meum, loquar propoſitiónes ab inítio. *Pſ.* 77. 2. * Eructábo. Glória. * Eructábo.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* Símile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod mínimum quidem eſt ómnibus ſemínibus; cùm autem créverit, majus eſt ómnibus oléribus. *Matt.* 13. 31. 32.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſemper rationabília meditántes, quæ tibi ſunt plácita, & dictis exequámur & factis; Per.

Hæc Oratio dicitur etiam ad Horas.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *cap.* 1. *de reform.*

HOnéſtius ac tútius eſt ſubjécto, débitam Præ-

póſitis obediéntiam impendéndo in inferióri miniſtério deſervíre, quàm cum Præpoſitórum ſcándalo, gráduum altiórum appétere dignitátem.

Veſpera de Dominica ante Adventum, infrà.

¶ *Si poſt Pentecoſten fuerint Dominicæ plures quàm viginti quatuor, tunc in Officio Dominicæ ante Adventum, reſumuntur ex Dominica VI. poſt Epiphaniam ſequentes Lectiones.*

In I. Nocturno.

Incipit Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c.* 1. 1. *ad* 4.

MUltifáriàm, multíſque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis; novíſſimè diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit herédem univerſórum, per quem fecit & ſécula. Qui cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excélſis: tantò mélior Angelis effĕctus, quantò differéntius præ illis nomen hereditávit.

℟. Quis ignórat, 329.

Lectio ij. *v.* 5. *ad* 9.

CUi enim dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Fílium? Et cùm íterum intródúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpíritus, & Miníſtros ſuos flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in ſéculum ſéculi; virga æquitátis, virga regni tui. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem; proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ partícipibus tuis.

℟. O altitúdo, 329.

Lectio iij. *v.* 10. *ad fin.*

ET: Tu in princípio, Dómine, terram fundáſti; & ópera mánuum tuárum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanébis; & omnes ut veſtiméntum veteráſcent; & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúſque ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum? Nonne omnes ſunt adminiſtratórii ſpíritus, in miniſtérium miſſi propter eos, qui hereditátem cápient ſalútis?

℟. Sublevátis óculis, 330.

In II. Nocturno.

De Sermóne ſancti Athanáſii epíſcopi.

Orat. 1. *contra Arianos*, §. 55. *Aliàs Orat.* 2. *Lectio* iv.

SI perſónam, rem, & tempus verbórum Apóſtoli cognovíſſent hærétici, non ea,

quæ ad humánam pértinent natúram, tranſtuliſſent in divinitátem, nec eò impietátis inſáni deveniſſent. Id autem is fácilè perſpíciet, qui inítium hujus loci rectè intelléxerit. En enim Apóſtoli verba: [Multifáriàm multíſque modis olim Deus locútus pátribus per Prophétas, hiſce últimis diébus locútus eſt nobis in Fílio.] Deínde paulò pòſt ait: [Per ſeípſum purgatióne peccatórum noſtrórum factâ, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excélſis, tantò præſtántior factus Angelis, quantò excelléntius præ illis nomen hereditáte accépit.] Itaque Apóſtoli dictum témporis méminit, quo nobis Deus in Fílio locútus eſt, & peccatórum facta eſt purgátio.

℟. Pater amat vos, 330.

Lectio v.

DEínde cùm ſermo ſit de diſpenſatióne, quæ noſtrî causâ ſuſcépta eſt; de últimis tempóribus verba fáciens, conveniénter ádmonet, neque prióribus tempóribus Deum tacuiſſe; síquidem per Prophétas locútus eſt. Quóniam ígitur Prophétæ miniſtravére, & lex promulgáta per Angelos eſt, deindéque advénit Fílius ut ipſe miniſtráret, neceſſáriò hæc verba íntulit: [Tantò præſtántior factus Angelis;] ut ſcílicet oſténderet quantùm ſervo præſtet Fílius, tantò étiam Fílii adminiſtratiónem, ſervórum adminiſtratióne præſtantiórem fuiſſe.

℟. Dóminus poſſédit me, 330.

Lectio vj.

VEterem ítaque & novam adminiſtratiónem diſtínguens Apóſtolus, fidénter hæc ad Judæos ſcribit; [Tantò præſtántior factus Angelis.] Quaprópter nullâ hìc uſus eſt comparatióne, nec dixit: [Major, vel honorátior,] ne quis illum ejúſdem ac illos eſſe géneris ſuſpicarétur; ſed [Præſtántior] dixit, ut natúræ Fílii & rerum creatárum differéntiam demonſtráret.

℟. Dóminus dixit ad me, 330.

DOMINICA ANTE ADVENTUM, ſeu ultima poſt Pentecoſten.

Officium ſemper fit ut ſequitur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Sabbato.

Antiphona 3. *toni.* a.

EGo ſum Deus, & non eſt ultrà Deus, nec eſt ſímilis meî. *Iſai.* 46. 9.

Ant. 2. D. Ego Dóminus; glóriam meam álteri non dabo. *Iſai.* 42. 8.

Ant. 1. D. Ego ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti, de domo ſervitútis. Non habébis deos aliénos coram me. *Exod.* 20. 2. 3.

Ant. 2. D. Non fácies tibi ſcúlptile, neque omnem ſimi-

litúdinem. Non adorábis ea, neque coles: Ego ſum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes. *Exod.* 20 4. 5.

Ant. 5. a. Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabéllum pedum meórum: ómnia hæc manus mea fecit. *Iſai.* 66. 1. 2.

Capitulum. *Apoc.* 1. 8.

EGo ſum Alpha & Oméga, princípium & finis, dicit Dóminus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt, omnípotens.

℟. Audi Iſraël: Dóminus Deus tuus, unus eſt: & * Díliges Dóminum Deum ex toto corde tuo. *Marc.* 12. 29. 30. ℣. Scito ergo hódie, & cogitáto in corde tuo, quòd Dóminus ipſe ſit Deus in cœlo ſurſum, & in terra deórſum, & non ſit álius. *Deut.* 4. 39.* Díliges. Glória.* Díliges.

Hymnus, O ſempitérna Trínitas, *in Pſalterio*, 135.

℣. Deum abſque me néſcies, ℟. Et ſalvátor non eſt præter me. *Oſee* 13. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *f.* * Ego ſum qui ſum: hoc nomen mihi eſt in ætérnum, & hoc memoriále meum in generatiónem & generatiónem. *Exod.* 3. 14. 15.

Oratio, Omnípotens, *infrà in Laudibus.*

Non ſit alia Commemoratio Dominicæ.

COMPLETORIUM, *ut in Pſalterio.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Magnum consílio, & incomprehensíbilem cogitátu Dóminum, * Veníte, adorémus. *Jerem.* 32. 19.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Primo die, *in Pſalterio*, 2.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum. *Epheſ.* 1. 3. 5.

Ant. 2. D. Flecto génua ad Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Epheſ.* 3. 14.

Ant. 3. g. Ex Patre Dómini noſtri Jeſu Chriſti omnis patérnitas in cœlis, & in terra nominátur. *Epheſ.* 3. 15.

℣. Nunquid non pater unus ómnium noſtrûm? ℟. Nunquid non Deus unus creávit nos? *Malach.* 2. 10.

Lectiones de Scriptura ex Dominica hodie occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Quis ignórat quòd ómnia manus Dómini fécerit? * Apud ipſum eſt ſapiéntia & fortitúdo, ipſe habet consílium & intelligéntiam. *Job* 12. 9. 13. ℣. Omne datum óptimum, & omne donum perféctum, deſúrſum eſt, deſcéndens à Patre lúminum. *Jac.* 1. 17.* Apud ipſum.

Poſt 2. *Lect.* ℟. O altitúdo divitiárum ſapiéntiæ & ſcién-

tiæ Dei! * Quàm incomprehenſibília ſunt judícia ejus, & inveſtigábiles viæ ejus! *Rom.* 11. 33. ℣. Excélſior cœlo eſt, & profúndior inférno, & unde cognóſces? lóngior terrâ menſúra ejus, & látior mari, quis contradícet ei? *Job* 11. 8. 9. 10. * Quàm.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Sublevátis óculis in cœlum, Jeſus dixit: * Pater, † Hæc eſt vita ætérna, ut cognóſcant te ſolum Deum, & quem miſíſti Jeſum Chriſtum. *Joan.* 17. 1. 3. ℣. Noſſe te conſummáta juſtítia eſt, & ſcire juſtítiam & virtútem tuam, radix eſt immortalitátis *Sap.* 15. 3. * Pater. Glória. † Hæc eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Ego & Pater unum ſumus: quia Pater in me eſt, & ego in Patre. *Joan.* 10. 30. 38.

Ant. 5. a. Eſt Pater meus, qui gloríficat me; quem vos dícitis, quia Deus veſter eſt. *Joan.* 8. 54.

Ant. 6. F. Amen, amen, dico vobis; Antequam Abraham fieret, ego ſum. *Joan.* 8. 58.

℣. Egréſſus ejus ab inítio, ℟. A diébus æternitátis. *Mich.* 5. 2.

Lectiones ex II. Nocturno Dominicæ occurrentis.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Pater amat vos, quia vos me amáſtis, & credidíſtis quia à Deo exívi: * Exívi à Patre, & veni in mundum. *Joan.* 16. 27. 28. ℣. Ego ex ore Altíſſimi prodívi. *Eccli.* 24. 5. * Exívi.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Dóminus poſſédit me in inítio viárum ſuárum, * Antequam quidquam fáceret à princípio: cum eo eram cuncta compónens. *Prov.* 8. 22. 30. ℣. Pater meus uſque modò operátur, & ego óperor. *Joan.* 5. 17. * Antequam.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, * Ego hódie génui te. *Pſ.* 2. 7. ℣. Cui dixit aliquándo Angelórum; Fílius meus es tu? *Hebr.* 1. 5. * Ego. Glória. * Ego.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Rogábo Patrem meum, & álium Paraclétum dabit vobis Spíritum veritátis. *Joan.* 14. 16. 17.

Ant. 7. a. Paraclétus Spíritus-ſanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, & ſúggeret vobis ómnia quæcúnque díxero vobis. *Joan.* 14. 26.

Ant. 8. G. Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, qui à Patre procédit, ille teſtimónium perhibébit de me. *Joan.* 15. 26.

℣. Spíritus ómnia ſcrutátur, ℟. Etiam profúnda Dei. 1. *Cor.* 2. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 6. 14. & 15.

IN illo témpore; Hómines cùm vidíſſent quod Jeſus

fécerat ſignum, dicébant: Quia hic eſt verè Prophéta, qui ventúrus eſt in mundum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 24. §. 7.

ERat Chriſtus Dóminus Prophetárum, implétor Prophetárum, ſanctificátor Prophetárum, ſed & Prophéta. Nam & Móyſi dictum eſt: [Suſcitábo eis Prophétam ſímilem tuî] ſecúndùm carnem, non ſecúndùm majeſtátem. Et de ipſo Chriſto illam Dómini promiſſiónem habére intelléctum, apértè in Actibus Apoſtolórum expónitur, & légitur. Et ipſe Dóminus de ſe ait: [Non eſt prophéta ſine honóre niſi in pátria ſua.]

℟. Hómines cùm vidíſſent quod Jeſus fécerat ſignum, * Dicébant: Quia hic eſt verè Prophéta, qui ventúrus eſt in mundum. *Joan.* 6. 14. ℣. Tu Deus, ſpíritum tuum bonum dedíſti qui docéret eos: paviſti eos in deſérto, & nihil eis défuit. 2. *Eſdr.* 9. 17. 20. 21. * Dicébant.

Lectio viij.

PRophéta Dóminus, & Verbum Dei Dóminus, & nullus Prophéta ſine Verbo Dei prophétat. Cum Prophétis Verbum Dei, & Prophéta Verbum Dei. Meruérunt prióra témpora Prophétas afflátos & implétos Verbo Dei; meruímus nos Prophétam ipſum Verbum Dei. Sic autem Prophéta Chriſtus, dóminus Prophetárum; ſicut Angelus Chriſtus, dóminus Angelórum. Nam & ipſe dictus eſt magni consílii Angelus. Verúntamen álibi quid dicit Prophéta? [Quia non legátus, neque Angelus, ſed ipſe véniens ſalvos fáciet eos:] id eſt, ad ſalvos eos faciéndos, non mittet legátum, non mittet Angelum; ſed véniet ipſe. Quis véniet? Ipſe Angelus. Certè non per Angelum, niſi quia iſte ſic Angelus, ut étiam dóminus Angelórum.

℟. Móyſes dixit: Quóniam Prophétam ſuſcitábit vobis Dóminus de frátribus veſtris, tanquam me, ipſum audiétis. Et * Omnes prophétæ à Sámuel, & deínceps annuntiavérunt dies iſtos. *Act.* 3. 22. 24. ℣. Flos de radíce Jeſſe aſcéndet: & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini, ſpíritus ſapiéntiæ, ſpíritus consílii & fortitúdinis. *Iſai.* 11. 1. 2. * Omnes.

Lectio ix.

ANgeli Latínè núntii ſunt. Si Chriſtus nihil annuntiáret, Angelus non dicerétur: ſi Chriſtus nihil prophetáret, Prophéta non dicerétur. Exhortátus eſt nos ad fidem, & ad capeſſéndam vitam ætérnam: áliquid præſens annuntiávit, áliquid futúrum prædíxit. Ex eo quod præſens annuntiávit, Angelus erat: ex

eo quod futúrum prædíxit, Prophéta erat: ex eo quòd Verbum Dei caro factum eſt, & Angelórum & Prophetárum dóminus erat.

℟. Dóminus factus eſt dómui Iſraël ſalvátor: & * Angelus faciéi ejus ſalvávit eos: póſuit in médio ejus Spíritum ſancti ſui. Spíritus Dómini ductor ejus fuit. *Iſai.* 63. 8. 9. 11. 14. ℣. Sequebátur Jeſum multitúdo magna, quia vidébant ſigna quæ faciébat. *Joan.* 6. 2. * Angelus. Glória. * Angelus.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: ℟. Et métuant eum omnes fines terræ. *Pſ.* 66. 6.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona 7. toni. a.

NArráte in cunctis pópulis mirabília Dómini, quia magnus Dóminus, & laudábilis nimis. 1. *Par.* 16. 24. 25.

Ant. 8. G. Afférte Dómino glóriam & impérium: leváte ſacrifícium, & veníte in conſpéctu ejus, & adoráte Dóminum. 1. *Par.* 16. 28. 29.

Ant. 5. a. Exaltáte Dóminum quantùm potéſtis; major enim eſt omni laude. *Eccli.* 43. 33.

Ant. 3. *a.* Exaltántes eum replémini virtúte, ne laborétis; non enim comprehendétis. *Eccli.* 43. 34.

Ant. 6. C. Benedíctus Dóminus Deus Iſraël ab ætérno uſque in ætérnum; & dicat omnis pópulus: Amen. 1. *Par.* 16. 66.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 16.

SOlus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inacceſſíbilem; quem nullus hóminum vidit, ſed nec vidére poteſt; cui honor, & impérium ſempitérnum. Amen.

Hymnus, Ætérne rerum cónditor, *in Pſalterio*, 12.

℣. Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; ℟. Neque enim eſt álius extra te. 1. *Reg.* 2. 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt. Dignus es Dómine Deus noſter, accípere glóriam, & honórem, & virtútem. *Apoc.* 4. 8. 11.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui dedíſti fámulis tuis in confeſſióne veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóſcere, & in poténtia Majeſtátis adoráre Unitátem; quæſumus, ut ejúſdem fídei firmitáte, ab ómnibus ſemper muniámur advérſis; Per Dóminum.

Non fit alia Commemoratio de Dominica.

AD HORAS, *Pſalmi de Dominica.*

AD PRIMAM, *Ant.* Narráte.

Dicitur Symbolum, Quicúnque.

CANON.

Ex Concílio Autiſſiodorénſi.

Circa an. 580. *can.* 7.

MEdio Máio omnes Preſbyteri ad Synodum véniant, & Caléndis Novémbris omnes Abbátes ad Concílium convéniant.

AD TERTIAM, *Ant.* Afférte.

Capitulum. Rom. 15. ℣. 6.

DEus det vobis idípſum ſápere in altérutrum ſecúndùm Jeſum Chriſtum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

℟. *breve*, Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, * Allelúia, allelúia. ℟. Exaltáte. ℣. Et adoráte in monte ſancto ejus; quóniam ſanctus Dóminus. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Exaltáte. *Pſ.* 98. 9.

℣. Per Jeſum offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, ℟. Id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. *Hebr.* 13. 15.

AD SEXTAM, *Ant.* Exaltáte Dóminum.

Capitulum. Hebr. 1. 2. 3.

FIlium Deus conſtítuit herédem univerſórum, per quem fecit & ſécula: qui cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excélſis.

℟. *breve*, Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, * Allelúia, allelúia. ℟. Verbo. ℣. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Verbo. *Pſ.* 32. 6.

℣. Fide intellígimus aptáta eſſe ſécula Verbo Dei, ℟. Ut ex inviſibílibus viſibília fierent. *Hebr.* 11. 3.

AD NONAM, *Ant.* Benedíctus.

Capitulum. Epheſ. 5. 18. 19. 20.

IMplémini Spíritu-ſancto, loquéntes vobiſmetípſis in pſalmis, & hymnis, & cánticis ſpirituálibus, cantántes & pſalléntes in córdibus veſtris Dómino, grátias agéntes ſemper pro ómnibus in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri.

℟. *breve*, Signávit nos Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Signávit. ℣. Et dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Signávit. 2. *Cor.* 1. 22.

℣. Spíritus-ſanctus eſt pignus hereditátis noſtræ, ℟. In redemptiónem acquiſitiónis, in laudem glóriæ Chriſti. *Epheſ.* 1. 14.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona 3. *toni.* a.

NObis unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum: & unus Dóminus Jeſus Chriſtus, per quem ómnia, & nos per ipſum. 1. *Cor.* 8. 6.

Ant. 4. E. Unus Deus, unus & mediátor Dei & hóminum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Ant. 7. a. Ipſe Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei : ſi filii, & herédes ; herédes quidem Dei, coherédes autem Chriſti. *Rom.* 8. 16. 17.

Ant. 2. D. In ipſo vívimus, & movémur, & ſumus ; ipſíus enim & genus ſumus. *Act.* 17. 28.

Ant. 5. a. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt ómnia : ipſi glória in ſécula. Amen. *Rom.* 11. 36.

Capitulum. 2. *Cor.* 13. 13.

GRátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti-Spíritûs ſit cum ómnibus vobis.

℟. Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuum ; † Plena eſt omnis terra glóriâ ejus. *Iſai.* 6. 2. 3. ℣. Tres ſunt qui teſtimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spíritus-ſanctus ; & hi tres unum ſunt. 1. *Joan.* 5. 7. * Sanctus. Glória. † Plena.

Hymnus, Lucis Creátor, *in Pſalterio*, 26.

℣. Benedictum nomen majeſtátis ejus in ætérnum ; ℟. Et replébitur majeſtáte ejus omnis terra. *Pſ.* 71. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Electis ſecúndùm præſciéntiam Dei Patris, in ſanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & aſperſiónem ſánguinis Chriſti : grátia vobis & pax multiplicétur. 1. *Petr.* 1. 1. 2.

Oratio, Omnípotens, *ſuprà ad Laudes.*

Non fit alia Commemoratio de Dominica.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c.* 2. 1. *ad* 4.

PRoptérea abundántiùs opórtet obſerváre nos ea quæ audívimus, ne fortè ſupereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricátio & inobediéntia accépit juſtam mercédis retributiónem ; quómodo nos effugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalutem ? quæ cum inítium accepíſſet enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs-ſancti diſtributiónibus ſecúndùm ſuam voluntátem.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 9. *ad* 13.

EUm, qui módico quàm Angeli minorátus eſt vidémus Jeſum, propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum ; ut grátiâ Dei, pro ómnibus guſtáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem

ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, autórem ſalútis eórum per paſſiónem conſummáre. Qui enim ſanctíficat, & qui ſanctificántur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio Eccléſiæ laudábo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, & púeri mei quos dedit mihi Deus.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v. 14. ad fin.*

QUia ergo púeri communicavérunt carni & ſánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem; ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum; & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. Nuſquam enim Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miſéricors fíeret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis qui tentántur, auxiliári.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

Oratio.

EXcita, Dómine, poténtiam tuam, & veni; & quod Eccléſiæ tuæ promiſíſti, uſque in finem ſǽculi cleménter operáre; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Hæc Oratio dicitur in Feriis per Hebdomadam.

C A N O N.

Ex Capituláribus Cároli magni.

Lib. 7. tit. 306.

VOlumus atque præcípimus ut omnes ſuis Sacerdótibus, tam majóris órdinis, quàm & inferióris, à mínimo uſque ad máximum, ut ſummo Deo, cujus vice in Eccléſia legatióne fungúntur, obediéntes exíſtant.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c. 3. 1. ad 6.*

FRatres ſancti, vocatiónis cœléſtis partícipes, conſideráte Apóſtolum & Pontíficem confeſſiónis noſtræ Jeſum; qui fidélis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Móyſes in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iſte præ Móyſe dignus eſt hábitus, quantò ampliórem honórem habet domus, qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo: qui autem ómnia creávit, Deus eſt. Et Móyſes quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in teſtimónium eórum quæ dicénda erant: Chriſtus verò tanquam fílius in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fidúciam & glóriam ſpei, uſque ad finem, firmam retineámus.

℟. Habéntes aliménta, 299.

Lectio ij. *v. 12. ad 16.*

VIdéte, fratres, ne fortè ſit in áliquo veſtrûm cor malum incredulitátis, diſcedéndi à Deo vivo: ſed adhortámini voſmetípſos per ſíngulos dies, donec hódie cognominátur; ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti. Partícipes enim Chriſti efféćti ſumus, ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus, uſque ad finem, firmum retineámus: dum dícitur: Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, quemádmodum in illa exacerbatióne. Quidam enim audiéntes, exacerbavérunt; ſed non univérſi qui proféćti ſunt ex Ægypto per Móyſen.

℟. Voluntárie, 300.

Lectio iij. *c. 4. 12. ad fin.*

VIvus eſt ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti; & pertíngens uſque ad diviſiónem ánimæ ac ſpíritûs, compágum quoque ac medullárum; & diſcrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non eſt ulla creatúra inviſíbilis in conſpéćtu ejus; ómnia autem nuda & apérta ſunt óculis ejus, ad quem nobis ſermo. Habéntes ergo Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum fílium Dei, teneámus confeſſiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine, abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut miſericórdiam conſequámur; & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Sint mores, 300.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi ſecúndo.

An. 836. cap. 3. can. 20.

LAïci monéndi ſunt ne Sacerdótes contémptui hábeant, neve eórum mónita deſpíciant, & tam túrpiter traćtent, uti háćtenus; ne ſupervéniat quod dicit Prophéta: Pópulus tuus ſicut hi qui contradícunt Sacerdóti; & córrues hódie; córruet étiam Prophéta tecum.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c. 6. 1. ad 3.*

INtermitténtes inchoatiónis Chriſti ſermónem, ad perfećtióra ferámur, non rurſum jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fídei ad Deum, baptíſmatum doćtrínæ, impoſitiónis quoque mánuum, ac reſurrećtiónis mortuórum, & judícii ætérni. Et hoc faciémus, ſi quidem permíſerit Deus.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v. 4. ad 6.*

IMpoſſíbile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illumináti, guſtavérunt étiam donum cœléſte,

léſte, & partícipes facti ſunt Spíritûs-ſancti, guſtavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutéſque ſéculi ventúri, & prolápſi ſunt; rurſus renovári ad pœniténtiam, rurſum crucifigéntes ſibimetípſis Fílium Dei, & oſténtui habéntes.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v. 7. ad* 10.

TErra enim ſæpe veniéntem ſuper ſe bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo: próferens autem ſpinas ac tríbulos, réproba eſt, & maledícto próxima; cujus conſummátio in combuſtiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíſſimi, melióra & vicinióra ſalúti; tamétſi ita lóquimur. Non enim injúſtus Deus, ut oblivíſcátur óperis veſtri, & dilectiónis quam oſtendíſtis in nómine ipſíus, qui miniſtráſtis ſanctis, & miniſtrátis.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Lateranénſi ſecúndo œcuménico.

An. 1139. *cap.* 15.

SI quis, ſuadénte diábolo, hujus ſacrilégii reátum incúrrit, quòd in Clércum vel Mónachum, violéntas manus injécerit, anathématis vínculo ſubjáceat: & nullus Epiſcopórum illum præſúmat abſólvere, niſi mortis urgénte perículo, donec Apoſtólico conſpéctui præſentétur, & ejus mandátum ſuſcípiat.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c.* 10. 26. *ad* 31.

VOluntárie peccántibus nobis poſt accéptam nótitiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóſtia; terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio quæ conſumptúra eſt adverſários. Irritam quis fáciens legem Móyſi, ſine ulla miſeratióne duóbus vel tribus téſtibus móritur: quantò magìs putátis deterióra meréri ſupplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & ſánguinem teſtaménti pollútum dúxerit, in quo ſanctificátus eſt; & ſpirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Et íterum: Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum. Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis.

℟. Habéntes, 299.

Lectio ij. *c.* 11. 1. *ad* 6.

EST fides ſperandárum ſubſtántia rerum, arguméntum non apparéntium. In hac enim teſtimónium conſecúti ſunt Senes. Fide intellígimus aptáta eſſe ſécula verbo Dei; ut ex inviſibílibus viſibília fierent. Fide plúrimam hóſtiam Abel quàm Caïn óbtulit Deo; per quam teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimó-

nium perhibénte munéribus ejus Deo; & per illam defúnctus adhuc lóquitur. Fide Henoch tranſlátus eſt ne vidéret mortem, & non inveniebátur, quia tránſtulit illum Deus: ante translatiónem enim teſtimónium hábuit placuiſſe Deo. Sine fide autem impoſsíbile eſt placére Deo. Crédere enim opórtet accedéntem ad Deum quia eſt, & inquiréntibus ſe remunerátor ſit.

℟. Voluntáriè, 300.

Lectio iij. *v.* 7. *ad* 10.

FIde Noë, reſpónſo accépto de iis quæ adhuc non videbántur, métuens aptávit arcam in ſalútem domûs ſuæ, per quam damnávit mundum; & juſtítiæ, quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitútus. Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem; & éxiit, néſciens quò iret. Fide demorátus eſt in terra repromiſſiónis, tanquam in aliéna, in caſulis habitándo cum Iſaac & Jacob coherédibus repromiſſiónis ejúſdem. Expectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex, & cónditor Deus.

℟. Sint mores, 300.

C A N O N.

Ex Concílio Autiſſiodorénſi.

Circa an. 580. *can.* 33.

NOn licet Preſbytero, nec Diácono ad Trepálium ubi rei torquéntur ſtare.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c.* 12. 1. *ad* 6.

ASpiciéntes in autórem fidei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ, átque in déxtera ſedis Dei ſedet. Recogitáte enim eum, qui talem ſuſtínuit à peccatóribus advérsùm ſemetipſum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis veſtris deficiéntes. Nondum enim uſque ad ſánguinem reſtitiſtis, advérsùs peccátum repugnántes: & obliti eſtis conſolatiónis, quæ vobis tanquam filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini; neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, caſtígat; flagéllat autem omnem fílium, quem récipit.

℟. Cum metu, 298.

Lectio ij. *v.* 7. *ad* 11.

IN diſciplína perſeveráte. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim fílius, quem non córripit pater? Quòd ſi extra diſciplínam eſtis, cujus partícipes facti ſunt omnes: ergo adúlteri, & non filii eſtis. Deinde patres quidem carnis noſtræ, eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri ſpirítuum, & vivémus? Et illi quidem in

tèmpore paucórum diérum, ſecúndùm voluntátem ſuam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile eſt in recipiéndo ſanctificatiónem ejus. Omnis autem diſciplína in præſénti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris: póſtea autem fructum pacatíſſimum, exercitátis per eam, reddet juſtítiæ.

℟. Eſt quæſtus magnus, 298.

Lectio iij. *v.* 12. *ad* 17.

PRopter quod remíſſas manus & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris; ut non claúdicans quis erret, magis autem ſanétur. Pacem ſequímini cum ómnibus, & ſanctimóniam, ſine qua nemo vidébit Deum: contemplántes ne quis deſit grátiæ Dei: ne qua radix amaritúdinis ſurſum gérminans impédiat, & per illam inquinéntur multi: Ne quis fornicátor, aut profánus, ut Eſaü, qui propter unam eſcam véndidit primitíva ſua. Scitóte enim quóniam & póſtea cúpiens hereditáre benedictiónem, reprobátus eſt; non enim invénit pœniténtiæ locum, quanquam cum lácrymis inquiſíſſet eam.

℟. Vocávit vos Deus, 299.

CANON.

Ex Concílio Autiſſiodorénſi.

Circa an. 580. *can.* 34.

NOn licet Preſbytero in judício illo ſtare, unde homo ad mortem tradátur.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *c.* 13. 1. *ad* 6.

CAritas fraternitátis máneat in vobis. Et hoſpitalitátem nolíte oblivíſci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio recéptis. Mementóte vinctórum, tanquam ſimul vincti, & laborántium, tanquam & ipſi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus: Fornicatóres enim & adúlteros judicábit Deus. Sint mores ſine avarítia; conténti præſéntibus; ipſe enim dixit: Non te déſeram, neque derelínquam. Ita ut confidéntur dicámus: Dóminus mihi adjútor; non timébo quid fáciat mihi homo.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *ſumentur ex II. Nocturno Dominica III. ſuprà,* 299.

Lectio ij. *v.* 9. *ad* 14.

DOctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo deſérviunt. Quorum enim animálium infértur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra caſtra. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem

pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus ígitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hìc manéntem civitátem, ſed futúram inquírimus.

Lectio iij. *v.* 17. *ad* 21.

OBedíte præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis; ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris reddituri; ut cum gaúdio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis; confidimus enim quia bonam conſciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes converſari. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quò celériùs reſtítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Paſtórem magnum óvium, in ſánguine teſtaménti ætérni, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono; ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis quod pláceat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſécula ſeculórum: Amen.

CANON.

Ex Concílio Autiſſiodorénſi.

Circa an. 580. *can.* 35.

NOn licet Preſbytero, aut Diácono, vel cuíquam Clericórum, de quálibet cauſa conclériсum ſuum ad júdicem ſeculárem tráhere.

PROPRIUM SANCTORUM.

Pars Autumnalis.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

In feſto

S. LUPI, SENONENSIS epiſcopi.

Simplex, ſeu trium Lectionum, ſine Te Deum.

Omnia de Communi S. Pontificis, xx.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Pſalmi novem de Feria, tres Antiphonæ, ℣. *&* ℟℟℟. *ex Nocturno Officii de Communi, ſecundùm Feriam.*

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente: de tribus fiunt duæ.*

Lectio iij.

Ex S. Lupi vita apud Ducheſn. tom. 1. *Hiſt. Franc.*

LUpus in território Aurelianénſi natus eſt ex nobiliſſimis paréntibus, Bettóne, & Agia ſeu Auſtregíldi. Ab avúnculis ſuis Auſtréno Aurelianénſi, & Aunário Autiſſiodorénſi epíſcopis, propter déditos religióni mores in Clerum cooptátus eſt. Creſcéntibus cum ætáte méritis, Arthémio in Cáthedra Senonénſi ſuffectus eſt, Clero & pópulo id apud Regem agéntibus. Quo in múnere admirándis tum pietátis, tum ſollicitúdinis paſtorális, tum patiéntiæ opéribus elúxit. Mórtuo Theoderíco, Clotárius ſecúndus váriis decéptus calúmniis, Lupum in Neúſtriam relegávit; ubi multos infidéles ſanctus Præſul ad fidem addúxit. Agnitâ ejus innocéntiâ Clotárius eum ab exilio revocávit; & ad ejus pedes advolútus, véniam deprecátus eſt. In prædio Brienonénſi ſuæ diœcéſis, advérsâ corréptus valetúdine óbiit. Plúrimis clarus miráculis ſepúltus eſt, ut ipſe júſſerat, ſub ſtillicídio Baſílicæ ſanctæ Colúmbæ mártyris, quam ſingulári cultu ſemper fúerat proſecútus.

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola, Fuit máximus, *prima de Laudibus in Communi.*

Pſalmi de Feria.

Oratio, Exaúdi, xxv.

Fit Commemoratio S. Ægidii, Ant. Fugit ipſe, ℣. Habitábit, *in Communi SS. Abbatum*, xlvj.

Oratio.

PReténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; & beáti Ægídii abbátis, cujus

nos dediſti patrocíniis adjuvári, tríbue ſuffrágiis gratulári; Per Chriſtum.

Deinde fiunt Suffragia de omnibus Sanctis, ut in Pſalterio, 136.

Poſt Nonam nihil fit ampliùs de hoc Feſto.

[*Qui omnis ritus ſervatur in aliis Feſtis ſimplicibus.*]

Die III.

In feſto S. GREGORII, PAPÆ & Eccleſiæ doctoris.

Duplex-Majus.

De Communi SS. Doctorum, xxxij.

Oratio, Deus, qui beátum Gregórium, *infrà poſt Lectiones.*

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex ejus vita per Gregor. Turon. & alios ſcripta.

Gregórius magnus, Gordiáni ex Senatório génere, & ſanctæ Sylviæ filius, urbis Romæ præfectúrâ functus, mórtuo patre, ex própriis facultátibus ſex in Sicilia monaſtéria, ſéptimum Romæ, ſancti Andréæ nómine, in ſuis ædibus ad clivum Scauri extrúxit; ubi ſub Valentióne abbáte mónachi vitam proféſſus, póſtea Abbas fuit, & evocátus inde, Diáconus ordinátur. Paulò pòſt à Pelágio ſecúndo Conſtantinópolim Apocriſiárius míttitur, Sedis apoſtólicæ reſpónſa factúrus; ubi ne aulæ conſuetúdine & curis ſeculáribus píetas refrigéſceret, Scripturárum meditatióni & conſcribéndis Morálium libris ánimum adhíbuit. Ea in urbe Eutychium patriárcham qui contra veram & contrectábilem córporum reſurrectiónem ſcripſerat, ita convícit, ut, & Imperátor Eutychii librum flammis addíxerit; & ipſe paulò pòſt Eutychius inter morbi dolóres, inſtánte morte, pellem manûs ſuæ contréctans, multis aſtántibus díxerit: Confíteor, quia omnes in hac carne reſurgémus.

Lectio v.

Romam revérſus Gregórius, Pelágio peſtiléntiâ ſubláto, ómnium votis Póntifex elígitur anno Chriſti quingentéſimo nonagéſimo, totíſque licèt víribus rénitens conſecrátur. In Epíſtola Synódica quam pro more tunc ſcripſit ad Patriárchas, proféſſus eſt ſe ſicut ſancti Evangélii quátuor libros, ſic ſuſcípere quátuor Concília, Nicænum nempe, Conſtantinopolitánum, Ephesínum & Chalcedonénſe; quintum quoque páriter venerári: quas illa Concília perſónas réſpuunt, ſe reſpúere; quaſque venerántur, ampléćti. Vétuit ne ullus in Sicília Subdiáconus fieret, niſi qui continéntiam

ſervatúrum ſe pollicerétur. Joánni patriárchæ Conſtantinopolitáno fórtiter óbſtitit, qui ſibi univerſális Epíſcopi nomen arrogábat; quod ipſe præ modéſtia réſpuens, ſervum ſervórum Dei ſe primus Romanórum Pontíficum Epíſtolis ſuis inſcripſit

Lectio vj.

DIvíni officii órdinem, cantúſque eccleſiáſtici méthodum melióri formæ reſtítuit. Scripſit ad Theodorícum & Theodobértum reges, ut Synodum in Gálliis congregárent, in qua conſtituerétur, ne ullus pro eccleſiáſtico Ordine áliquid unquām daret aut accíperet, nec quiſquam de láïcis ad ſacerdótium contínuò transíret; prohiberéntque ne Judæi Chriſtiána mancípia poſſidérent. Donatíſtas repréſſit in Africa. Manichæos in poſſeſſiónibus ſuis in Sicília degéntes, ab erróre revocári curávit. Cénſuit ut Judæi prædicatióne pótiùs quàm vi ac neceſſitáte ad baptíſmum compelleréntur. Anglórum gentem, miſſis in Británniam Auguſtíno & áliis mónachis, ad fidem addúxit; unde Anglórum Apóſtolus à Beda vocátus eſt. Mira ſunt quæ dixit, fecit, ſcripſit, decrévit, præſértim infirmâ ſemper valetúdine. Dénique multis éditis miráculis, pontificátûs anno décimo tertio, menſe ſexto, ad cœléſtem beatitúdinem eſt evocátus. Caput ejus honoríficè ſervátur in theſaúro abbatiális Eccléſiæ ſancti Petri prope Sénonas, à Joánne papa octávo, Anſegíſo archipræſuli Senonénſi concéſſum. Huic étiam idem Papa primátum per univérſam Gálliam concéſſerat. Ejúſdem ſancti Gregórii os inſígne póſſidet Eccléſia Senonénſis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 13. *ad* 19.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quod ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 17. *in Evang. hab. in Baſil. Lateran.*

VOs eſtis ſal terræ.] Si cibus Dei eſt pópulus, condiméntum cibi Sacerdótes eſſe debuérunt... Penſémus ergo qui unquam per linguam noſtram convérſi, qui de pervérſo ſuo ópere noſtrâ increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt; quis luxúriam ex noſtra eruditióne deſéruit; quis avarítiam, quis ſupérbiam declinávit? Penſémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui accépto talénto ab eo, ad negótium miſſi ſumus. Etenim dicit: [Negotiámini dum vénio.] Ecce jam venit, ecce de noſtro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucru-

de noſtra negotiatióne monſtrábimus?

Lectio viij. *Poſt pauca.*

POnámus ante óculos noſtros illum tantæ diſtrictiónis diem, quo judex véniet, & ratiónem cum ſervis ſuis, quibus talénta crédidit, ponet.... In illo tanto exámine, electórum ómnium & reprobórum multitúdo deducétur; & unuſquíſque quid ſit operátus, oſtendétur. Ibi Petrus cum Judæa convérſa, quam poſt ſe traxit, apparébit. Ibi Paulus convérſum, ut ita díxerim, mundum ducens. Ibi Andréas poſt ſe Achäïam, ibi Joánnes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpéctum ſui Júdicis convérſam ducet. Ibi omnes Domínici gregis aríetes cum animárum lucris apparébunt, qui ſanctis ſuis prædicatiónibus Deo poſt ſe ſúbditum gregem trahunt. Cùm ígitur tot paſtóres cum grégibus ſuis ante ætérni Paſtóris óculos vénerint, nos míſeri quid dictúri ſumus, qui ad Dóminum noſtrum poſt negótium vácui redímus, qui paſtórum nomen habúimus, & oves quas nutriménto noſtro debeámus oſténdere, non habémus? Hìc paſtóres vocáti ſumus, & ibi gregem non dúcimus?

Lectio ix. *Poſt pauca.*

ET per nos quidem fidéles ad ſanctum baptíſma véniunt, noſtris précibus benedicúntur, & per impoſitiónem noſtrárum mánuum à Deo Spíritum-ſanctum percípiunt; atque ipſi ad regnum cœlórum pertíngunt, & ecce nos per negligéntiam noſtram deórſum téndimus. Ingrediúntur elécti, Sacerdótum mánibus expiáti, cœléſtem pátriam: & Sacerdótes ipſi per vitam réprobam ad inférni ſupplícia feſtínant. Cui ergo rei, cui símiles díxerim Sacerdótes malos, niſi aquæ baptíſmatis, quæ peccáta baptizatórum díluens, illos ad regnum cœléſte mittit, & ipſa póſtea in clóacas deſcéndit? Timeámus hæc, fratres, convéniat actióni noſtræ ipſum miniſtérium noſtrum.

Oratio.

DEus, qui beátum Gregórium pontíficem, príncipis Apoſtólorum non dignitátis tantùm, ſed humilitátis ac caritátis herédem effecíſti; da nobis ejus méritis & exémplo, ut ſincérâ humilitáte tibi ſubjécti, quæ tua ſunt, líberâ caritáte exercére valeámus. Per Dóminum.

Die VII.

S. REGINÆ VIRGINIS & Martyris

Commemoratio.

Pridie Post Vesperas, *Ant.* Vincénti, ℣. Heréditas, *in Communi*, lviij. *Oratio*, Omnípotens, lix.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* Factus eſt, ℣. Deus præcínxit me, *Oratio*, Omnípotens, lix.

DIE VIII.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 3. toni. a. *Duplicatur.*

DOminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Iſai.* 44. 2.

Ant. 5. a. Quàm pulcra es, & quàm decóra, caríſſima, in delíciis. *Cant.* 7. 6.

Ant. 1. D. Ex te egrediétur qui ſit dominátor in Iſraël. *Mich.* 5. 2.

Ant. 6. F. Soror noſtra es, creſcas in mille míllia, & poſſídeat ſemen tuum portas inimicórum ſuórum. *Gen.* 24. 60.

Ant. 8. G. Benedícta es tu filia à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith* 13. 23.

Capitulum. Iſai. 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet, & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

℟. Benedícam tibi, complens juraméntum quod ſpopóndi Abraham patri tuo.* Et benedicéntur in ſémine tuo omnes gentes terræ. *Gen.* 26. 3. 4. ℣. Erit radix Jeſſe, & qui exúrget régere gentes; in eum gentes ſperábunt. *Rom.* 15. 12. * Et benedicéntur. Glória. *Repetitur* ℟. Benedícam.

Hymnus, Auróra, *infrà in II. Veſperis.*

℣. Effúndam ſpíritum meum ſuper ſemen tuum, ℟. Et benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam. *Iſai.* 44. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* *Duplicatur.* Magnificábo nomen tuum: benedícam benedicéntibus tibi; atque in te benedicéntur univérſæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 2. 3.

Oratio, Deus, qui ſecúndùm, *infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM *ut in die*, *infrà*, 353.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Jeſum de María natum,* Veníte, adorémus. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

QUIS ore te puro ſatis,
Virgo, canat, Dei parens?
Adéſte puri Spíritus,
Veſtri ſit illud múneris.

Quis intret auguſtíſſima
Mentis tuæ ſacrária?
Dotes quis enárrans tuas,
Pertérritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
De Patris ætérni ſinu,
Mortális in matris ſinum?

Ad hos honórum te gradus
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas;

Sed, quæ ſibi nunquam placet,
Deo placens modéſtia;
Quâ tu tibi ſis vílior,
Hâc digna ſis mater Dei.

Quam celſa! quæ ſe déprimens,
Altum Tonántem deprimit!
In te, ſuî jam non memor,
Deſcéndit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis. Amen.

Pſalmi de Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis, lxxviij.

In I. Nocturno.

Ant. 4. E. *Duplicatur.* Una eſt colúmba mea, perfécta mea, una eſt matris ſuæ, eléCta genitríci ſuæ. *Cant.* 6. 8.

Ant. 2. D. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2, 2.

Ant. 1. a. Sicut lux auróræ, oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23. 4.

℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus; ℟. In fimbriis aúreis circumamícta varietátibus, *Pſ.* 44. 14. 15.

De Cántico Canticórum.

Lectio j, *c.* 2. 13. *ad fin.*

Surge amíca mea, ſpecióſa mea, & veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, oſténde mihi fáciem tuam, ſonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliúntur víneas: nam vínea noſtra flóruit. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páſcitur inter lília donec aſpíret dies, & inclinéntur umbræ. Revértere; símilis eſto, diléćte mi, cápreæ hinnulóque cervórum ſuper montes Bether.

℟. Benedícam ei, & ex illa dabo fílium cui benedictúrus ſum; * Conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempitérnum, & ſémini ejus poſt eum. *Gen.* 17. 16. 19. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur, & regnábit in domo Jacob in ætérnum, *Luc.* 1. 32. * Conſtítuam.

Lectio ij, *c.* 4. 11. *ad fin.*

Favus diſtíllans lábia tua, ſponſa, mel & lac ſub lingua tua; & odor veſtimentórum tuórum ſicut odor thuris. Hortus conclúſus ſoror mea ſponſa, hortus conclúſus, fons ſignátus. Emiſſiónes tuæ paradíſus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cypri cum nardo; nardus & cro-

cus, fiſtula & cinnamómum cum univérſis lignis Líbani, myrrha & áloë cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum: púteus aquárum viventium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. Surge áquilo, & veni auſter; perfla hortum meum, & fluant aromáta illíus.

℟. Quod in María natum eſt, de Spíritu-ſancto eſt: hoc autem totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétam dicéntem: Ecce virgo in útero habébit, & páriet Fílium: * Et vocábunt nomen ejus Emmánuël. *Matt.* 1. 20. 22. 23. ℣. Audíte domus David; Dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concípiet, & páriet fílium. *Iſai.* 7. 13. 14. * Et vocábunt.

Lectio iij. *c.* 5. 1. *ad* 3.

VEniat diléctus meus in hortum ſuum, & cómedat fructum pomórum ſuórum. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, méſſui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comédite amíci, & bíbite, & inebriámini cariſſimi. Ego dórmio, & cor meum vígilat: vox dilécti mei pulſántis: Aperi mihi ſoror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincínni mei guttis nóctium. Expoliávi me túnicâ meâ, quómodo índuar illâ? Lavi pedes meos, quómodo inquinábo illos?

℟. Páriet María fílium; & vocábis nomen ejus, Jeſum; * Ipſe enim † Salvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. *Matt.* 1. 21. ℣. Partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Iſraël. *Mich.* 5. 3. * Ipſe. Glória. † Salvum.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. *Duplicatur.* Appáruit Móyſi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. *Exod.* 3. 2.

Ant. 8. G. Cùm virgas poſuíſſet Móyſes coram Dómino, invénit germináſſe virgam Aáron. *Num.* 17. 7. 8.

Ant. 5. a. Abſcíſſus eſt lapis de monte ſine mánibus; lapis autem factus eſt mons magnus; & implévit univérſam terram. *Dan.* 2. 34. 35.

℣. Fons parvus crevit in flúvium máximum, ℟. Et in aquas plúrimas redundávit. *Eſther* 11. 10.

De Sermóne ſancti Bernárdi abbátis.

De 12. *prærog. B. M. V.* §. 8.

Lectio iv.

QUid micat in generatióne Maríæ? Planè quòd ex régibus orta, quòd ex ſémine Abrahæ; quòd generóſa ex ſtirpe David. Si id parum vidétur, adde quòd generatióni illi ob ſinguláre privilé-

gium ſanctitátis divínitus nóſcitur eſſe concéſſa; quòd longè ante eíſdem pátribus cœlitus repromíſſa; quòd myſticis præfiguráta miráculis; quòd oráculis prænuntiáta prophéticis.

℟. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84. 11. 12. ℣. De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. *Matt.* 1. 16. * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Lectio v.

HAnc Maríam ſacerdotális virga, dum ſine radíce flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio ſiccæ áreæ mádduit; hanc in Ezechiélis viſióne orientális porta; quæ nulli unquam pátuit, præſignábat. Hanc dénique præ céteris Iſaías nunc virgam de radíce Jeſſe oritúram promittébat; nunc evidéntiùs vírginem paritúram. Méritò ſignum hoc magnum in cœlo apparuíſſe ſcríbitur, quod tantò antè de cœlo nóſcitur fuíſſe promíſſum. Dóminus ait; [Ipſe dabit vobis ſignum. Ecce virgo concípiet.] Magnum proféctò ſignum dedit, quia & magnus ipſe qui dedit.

℟. Chriſti generátio ſic erat: Mater ejus * María invénta eſt in útero habens de Spíritu-ſancto. *Matt.* 1. 18. ℣. Creávit Dóminus novum ſuper terram: fémina circúndabit virum. *Jer.* 31. 22. * María.

Lectio vj. §. 9.

NIhilóminus fulget étiam novus ille conceptiónis modus, ut non in iniquitáte, quemádmodum céteræ omnes, ſed ſuperveniénte Spíritu-ſancto, ſola, & de ſola ſanctificatióne María concíperet. Nam quòd verum Deum, & Dei Fílium génuit, ut idem ipſe Dei atque hóminis Fílius, unus omníno Deus & homo prodíret ex María, abyſſus eſt lúminis: nec fácilè díxerim, quòd vel Angélicus óculus ad hujus fulgóris veheméntiam non calíget. De cétero ſanè & virginitátem carnis & propóſitum virginitátis, máximè & ipsíus quoque propóſiti nóvitas evidénter illúſtrat: quòd vidélicet in libertáte ſpíritûs legis Moſaïcæ decréta tranſcéndens, illibátam Deo córporis ſimul & ſpíritûs ſanctimóniam vovit.

℟. Deus, ex ſémine David * Secúndùm promiſſiónem † Edúxit Iſraël ſalvatórem Jeſum. *Act.* 13. 23. ℣. Jurávit Dóminus David veritátem: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11. * Secúndùm. Glória. † Edúxit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. *d. Duplicatur.* Ego ſum, ego ſum quæ Dómino canam: ceſſavérunt fortes, donec ſúrgeret mater in Iſraël. *Judic.* 5. 3. 7.

Ant. 6. F. Ego mater pulcræ dilectiónis, & timóris,

& agnitiónis, & ſanctæ ſpei. *Eccli.* 24. 24.

Ant. 5. a. Fructificávi ſuavitátem odóris: & flores mei fructus honóris & honeſtátis. *Eccli.* 24. 23.

℣. Ego dilécto meo, ℟. Et diléctus meus mihi. *Cantic.* 6. 2.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 1. 1. *ad* 16.

LIber generatiónis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham génuit Iſaac, Iſaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

De conſenſu Evangeliſt. lib. 2. §. 2.

MAtthæus Evangeliſta ſic orſus eſt: [Liber generatiónis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham.] Quo exórdio ſatìs oſténdit, generatiónem Chriſti ſecúndùm carnem ſe ſuſcepiſſe narrándam. Secúndùm hanc enim Chriſtus fílius hóminis eſt, quòd étiam ſe ipſe ſæpiſſimè appéllat, comméndans nobis quid miſericórditer dignátus ſit eſſe pro nobis. Nam illa ſupérna & ætérna generátio, ſecúndùm quam Fílius Dei unigénitus eſt ante omnem creatúram, quia ómnia per ipſum facta ſunt, ita ineffábilis eſt, ut de illa dictum à Prophéta intelligátur; [Generatiónem ejus quis enarrábit?] Exéquitur ergo humánam generatiónem Chriſti Matthæus ab Abraham generatóres commémorans, quos perdúcit ad Joſeph virum Maríæ, de qua natus eſt Jeſus.

℟. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo; quia * Reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ. *Luc.* 1.47.48. ℣. Ecce nubécula parva quaſi veſtígium hóminis aſcendébat de mari; & facta eſt plúvia grandis. 3. *Reg.* 18. 44. 45.* Reſpéxit.

Lectio viij. §. 4.

CUm evidénter dicat Apóſtolus Paulus, ex ſémine David ſecúndùm carnem Chriſtum; ipſam quoque Maríam de ſtirpe David áliquam conſanguinitátem duxíſſe, dubitáre útique non debémus. Cujus féminæ quóniam nec ſacerdotále genus tacétur, inſinuánte Lucâ, quòd cognáta eſſet Eliſabeth, quam dicit de filiábus Aáron; firmiſſimè tenéndum eſt, carnem Chriſti ex utróque génere propagátam, & regum ſcílicet & ſacerdótum, in quibus perſónis apud illum pópulum Hebræórum étiam myſtica únctio figurabátur, id eſt, chriſma, unde Chriſti nomen elúcet, tantò antè étiam illâ evidentíſſimâ ſignificatióne prænuntiátum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes; quia * Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

48. 49. ℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. *Pſ.* 65. 16. * Fecit.

Lectio ix. §. 5. 6.

QUos movet, quòd álios progeneratóres Matthæus enúmerat, deſcéndens à David uſque ad Joſeph; álios autem Lucas, aſcéndens à Joſeph uſque ad David; fácilè eſt ut advértant duos patres habére potuíſſe Joſeph, unum à quo génitus, álterum à quo fúerit adoptátus.... Neque verò étiam nos quibus dedit Deus poteſtátem fílios ejus fíeri, de natúra atque ſubſtántia ſua nos génuit, ſicut únicum Fílium; ſed útique dilectióne adoptávit. Quo verbo Apóſtolus ſæpe uti non ob áliud intellígitur, niſi ad diſcernéndum Unigénitum ante omnem creatúram, per quem facta ſunt ómnia, qui ſolus de ſubſtántia Patris natus eſt, ſecúndùm æqualitátem divinitátis hoc omníno quod Pater: quem miſſum dicit ad ſuſcipiéndam carnem ex illo génere, quo & nos ſecúndùm natúram noſtram ſumus, ut illo participánte mortalitátem noſtram per dilectiónem, nos effíceret partícipes divinitátis ſuæ per adoptiónem. Ita enim dicit: [Cùm autem venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum factum ex mulíere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.]

℟. Miſericórdia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum. * Fecit poténtiam in bráchio ſuo; diſpérſit ſupérbos, & exaltávit húmiles. *Luc.* 1. 50. 51. 52. ℣. Non deſéruit ſperántes in ſe; & interfécit in manu mea hoſtem pópuli ſui. *Judith* 13. 17. 18. * Fecit. Glória. *Repet.* ℟. Miſericórdia.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona 2. *toni.* D.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias: tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Ant. 4. *irreg.* c. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vulnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. *Judith* 13. 24.

Ant. 7. c. Per manum féminæ percúſſit illum Dóminus Deus noſter. *Judith* 13. 19.

Ant. 5. F. Benedícta tu.

Canticum. *Judic.* 5. 3.

AUdíte reges; áuribus percípite príncipes: * Ego ſum, ego ſum quæ Dómino canam, pſallam Dómino Deo Iſraël.

Dómine, cùm exíres de

Seir, * & tranſiles per regiónes Edom,

Terra mota eſt, * cœlíque ac nubes diſtillavérunt aquis;

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sinai à fácie Dómini Dei Iſraël...

Ceſſavérunt fortes in Iſraël, & quievérunt; * donec ſúrgeret mater in Iſraël.

Nova bella elégit Dóminus, * & portas hóſtium ipſe ſubvértit...

Salvátæ ſunt reliquiæ pópuli, * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Et dicitur per Octavam, cùm ſit de Octava.

Ant. Benedicta tu in muliéribus; inveníſti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 28. 30.

Ant. 1. a. Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch* 5. 3.

Capitulum. *Cant.* 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulcra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

Hymnus. *Santol. Vict.*

VAtum patent orácula,
Promiſſa priſcis Pátribus:
En Virgo, quæ gravis Deo,
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, homo Deus?
Quo náſcitur partu puer,
Hoc náſcitur mundi ſalus.

Ut nocte calígántibus
Cœléſte lumen témperet,
Velo tegi vult córporis,
Hoc, Virgo, velum præparas.

Quod prima mater pérdidit,
Mater refórmas áltera:
Mors ipſa nobis próſuit,
Dum vita per te rédditur.

Per te Deo conjúngimur;
Cui corpus aptáſti parens:
Per te Dei nos fílii,
Per te Dei fratres ſumus.

Tu dux Olympi prævia,
Clauſas diu pandis fores:
Nos éxules, ſi nos amas,
Reddas patérnis ſédibus.

Sit laus Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Elégit eam Dóminus
℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Ad Benedictus, Ant. 1. *f.* * *Duplicatur.* Ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. *Gal.* 4. 4. 5.

Oratio.

DEus, qui ſecúndùm propóſitum voluntátis tuæ, mundum tibi reconciliáre voluíſti; præſta, quæſumus, ut qui Nativitátem Vírginis Maríæ de qua natus eſt nobis Chriſtus Salvátor, cum gáudio celebrámus, ipſam quam Fílius operátus eſt ſalútem, Matris interceſſióne conſéquamur; Per eúndem Dómi

Ad Horas, *in fine Hymnorum, Doxologia,*

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu tibi ſit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

Pſalmi de Dominica.

Ad Primam, *Ant.* Multæ filiæ.

In ℟. *brevi,* Qui natus es de María vírgine.

Orationes, Deus, qui ſecúndùm, *ſuprà, &* Dómine ſancte, Pater omnípotens, *ſub una concluſione.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 6. cap. 23.

SI quis hóminem ſemel juſtificátum díxerit . . . poſſe in tota vita peccáta, étiam veniália, vitáre, niſi ex ſpeciáli Dei privilégio, quemádmodum de Beáta Vírgine tenet Eccléſia, anáthema ſit.

Ad Horas, *Ant. Capitula,* ℟℟. *brev. ut in Officio B. Mariæ in Sabbato,* lxxvj. *addendo* ℟℟. *brev. duo* Allelúia.

Oratio, Deus, qui ſecúndùm, *ſuprà.*

AD VESPERAS.

Pſalmi de Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis, lxxxvj.

Antiphona 4. toni. E.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith* 13. 31.

Ant. 7. a. In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſraël. *Judith* 13. 31.

Ant. 6. F. Peccávimus Dómino: ne ceſſes pro nobis clamáre ad Dóminum Deum noſtrum, ut ſalvet nos. 1. *Reg.* 7. 6. 8.

Ant. 5. a. Invoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte. *Eſther* 15. 3.

Ant. 1. D. Propter angúſtias & tribulatiónem géneris tui, ſubveníſti ruínæ ante conſpéctum Dei noſtri. *Judith* 13. 25.

Capitulum. Eccli. 24. 12. 13.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Iſraël hereditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

℟. Laudáte Dóminum Deum noſtrum, qui * In me ancílla ſua adimplévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſraël. *Judith* 13. 17. 18. ℣. Suſcépit Iſraël púerum ſuum, recordátus miſericórdiæ ſuæ, ſicut locútus eſt ad patres noſtros. *Luc.* 1. 54. 55. * In me. Glória. *Repetitur* ℟. Laudáte.

Hymnus. *Santol. Vict.*

AUrora, quæ Solem paris,
Et ipſa Solis filia,
Quàm ſpléndidum, cùm náſceris,
Affers diem mortálibus!

Te luce Sol veſtit ſuâ,
Tibíque Luna ſtérnitur:
Aptáta ſacro vértici
Nectunt corónam ſídera.

Te mille Virtútum chori,
Te turma cingit Cœlitum;
Ambit ſuo te númine,
Qui te facit matrem Deus.

Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóſtium;
Te ſic obumbrátam Deo
Pavent tremúntque tártara.

Qui tabe nos inſécerat,
Serpéntis elídis caput;
Attrítus ætérno jacet,
Non jam timéndus, vúlnere.

Fac, Virgo, quem ſcimus Deum
Veníſſe terris hóſpitem,
Per te, manens nobis adhuc,
Noſtri ſit hoſpes péctoris.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Vultum tuum deprecabúntur ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44. 13.

Ad Magníf. *Ant.* 5. F. *Duplic.* Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſraël, tu honorificéntia pópuli noſtri: eò quòd caſtitátem amáveris, ídeo & manus Dómini confortávit te, & ídeo eris benedícta in ætérnum. *Judith* 15. 10. 11.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. *a.* Benedicéntur in te, & in fémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28. 14.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut in Officio parvo*, lxxxviij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 4. *irreg.* c. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Orationes, Deus, qui fecúndùm, *ſuprà in Laudibus*, & Véritas, *ſub eadem concluſione.*

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
NATIVITATIS B. MARIÆ
VIRGINIS.

Omnia ut in die Feſti, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria. Nihil duplicatur.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. *ex Nocturno Diei ſecundùm Feriam occurrente.*

Lectio j. & ij. *de Scriptura occurrente; ex tribus fiunt duæ.*

Lectio iij. *infrà habetur quâlibet die.*

Dicitur, Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnificáte, *ut in die.*

Ant. ſola, Multæ filiæ, *prima de Laudibus Diei.*

AD HORAS, *omnia ut in Die, præter Canonem.*

AD VESPERAS.

Antiphona ſola, Benedícta tu, *prima de ſecundis Veſperis Diei.*

Non dicitur Reſponſorium.

Completorium ut in Die.

DOMINICA *intrà Octavam, aut in ipſa Octava, occurrente; totum Officium de Dominica ut in Pſalterio, incipiendo à primis Veſperis*, q

erunt integra de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum Commemoratione Octavæ beatæ Mariæ poſt utraſque Veſperas, & Laudes.

Ad Primam dicitur unica Oratio de Pſalterio.

Ad Completorium, Antiphona, Hymnus, & unica Oratio de Pſalterio.

DIE IX.

De Octava NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

De Sermóne ſancti Joánnis Damaſcéni.

Serm. 2. in Nativit. B. Mariæ.

Lectio iij. §. 1. 2.

GRatiárum actiónis cántica depromámus: cum Davíde [exultémus Dómino, jubilémus Deo ſalvatóri noſtro.] Omnium Conditóri templum quo excipiátur, extrúctum eſt: quia Verbo rerum opífici hoſpítii domus eſt paráta... David Deíparens, gaude ánimo: Iſáia Prophetárum primas, exhilaráre; alter quidem, quòd tuis ex lumbis, uti jurátum erat, Regína procédat, ex qua Deus fructum tuum ſuper ſedem tuam poſitúrum promíſerat: alter verò, quòd finem hábeat vaticínium illud tuum: [Egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce aſcéndet.] Virga virgo eſt, ex qua íntegro decóre mulíebri flóridus perenníſque flos Chriſtus aſſúrgit.

DIE X.

De Octava NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex Libro ſancti Joánnis Damaſcéni, de Fide Orthodóxa.

Lib. 4. cap. 14.

Lectio iij.

IPſa virgo María quæ ante omne ævum præſciéntiæ Dei conſílio prædeſtináta erat; variíſque Prophetárum imagínibus & ſermónibus à Spíritu-ſancto adumbráta & prænuntiáta, præfiníto tandem témpore ex radíce Davídis, juxta ac illi promíſſum erat, orta eſt. Dictum quippe eſt: [Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam; De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.]

DIE XI.

De Octava NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi, de ſancta Virginitáte.

Lectio iij. §. 5. 6.

MAría fáciens voluntátem Dei, corporáliter Chriſti tantùmmodo mater eſt, ſpirituáliter autem & ſoror & mater. Ac per hoc illa una fémina, non ſolùm ſpíritu, verùm étiam córpore, & mater eſt & virgo. Et mater quidem ſpíritu, non cápitis noſtri, quod eſt ipſe Salvátor, ex quo magis illa

ſpiritáliter nata eſt; quia omnes qui in eum credíderint, in quibus & ipſa eſt, rectè filii ſponſi appellántur: ſed planè mater membrórum ejus, quod nos ſumus; quia cooperáta eſt caritáte, ut fidéles in Eccléſia naſceréntur, quæ illíus cápitis membra ſunt: córpore verò ipsíus cápitis mater.

DIE XII.

De Octava

NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

De Sermóne ſancti Petri Chryſólogi.

Serm. 143. de Annunt. S. M. V.

Lectio iij.

Vidétis quibus eſt Virgo oppigneráta munéribus. [Ave grátiâ plena, Dóminus tecum.] Ave, hoc eſt, áccipe. Quid? Virtútes múnerum, non pudóris. [Ave grátiâ plena.] Hæc eſt grátia, quæ dedit cœlis grátiam, terris Deum, fidem géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus diſciplínam. Hanc grátiam détulit Angelus, accépit Virgo, ſalútem ſæculis redditúra. [Ave grátiâ plena.] Quia ſíngulis grátia ſe eſt largíta per partes: Maríæ verò ſimul ſe totam dedit grátiæ plenitúdo. [Omnes (inquit Evangeliſta) de plenitúdine ejus accépimus.] Unde & David dicit: [Deſcéndit ſicut plúvia in vellus.]

DIE XIII.

De Octava

NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

De Sermóne ſancti Joánnis Damaſcéni.

Serm. 1. in Nativit. B. Mariæ,

Lectio iij. §. 6.

Hodie mundi ſalus inchoátur. [Jubiláte omnis terra, cantáte, & exultáte, & pſállite;] quóniam nobis nata eſt Dei mater in ſancta probática, ex qua Dei Agnus, qui mundi peccáta tollit, in lucem edi vóluit. Exultáte montes, hoc eſt, ratióne prædítæ natúræ, quæque ad ſpiritális contemplatiónis faſtígium aſſúrgitis: ſiquidem claríſſimus Dei mons páritur, qui collem omnem ac montem, id eſt, Angelórum & hóminum ſublimitátem exúperat, ex quo citra ullam mánuum óperam corpóreo modo exſcíndi vóluit lapis anguláris Chriſtus, unâ perſónâ diſtínctas natúras cópulans, divinitátem nimírum & humanitátem, [mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo.]

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XIV.

In Feſto

EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Duplex majus.

[*Hoc Feſtum non transfertur, etiamſi venerit in Domínica.*]

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 2. toni. D.

RAdix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum: ipſum gentes deprecabúntur, & erit ſepúlcrum ejus glorióſum. *Iſai.* 11. 10.

Ant. 3. g. Aſcéndet ſicut virgúltum coram Dómino, & ſicut radix de terra ſitiénti: non eſt ſpécies ei, neque decor. *Iſai.* 53. 2.

Ant. 1. f. Ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondénte ſe, non apériet os ſuum. *Iſai.* 53. 7.

Ant. 1. D. Si poſúerit pro peccáto ánimam ſuam, vidébit ſemen longævum, & volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. *Iſai.* 53. 10.

Ant. 4. d. Juſtificábit ipſe juſtus multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſai.* 53. 11.

Capitulum. *Iſai.* 11. 12.

LEvábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſraël; & diſpérſos Juda cólliget à quátuor plagis terræ.

℞. Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, & Scribis, & condemnábunt eum morte; & * Tradent eum géntibus ad crucifigéndum, & † Tértiâ die reſúrget. *Matt.* 20. 18. 19. ℣. Occidétur Chriſtus: & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus eſt. *Dan.* 9. 26. * Tradent eum. Glória. † Tértiâ die.

Hymnus.

CRUX alma ſalve, crux
venerábilis,
Torrénte Chriſti ſánguinis
ébria;
Teſtis dolórum tu ſupréma
Verba Dei moriéntis audis.

TU celſa ſedes unde ſuos docet;
Vitális in quo nos péperit
thorus,
Currus triumphántis, tribúnal
Júdicis, atque litántis ara.

NON rapta cæſis hóſtibus
ímpia
Hìc arma fulgent, nec dómiti duces
Graves caténis hìc trahúntur;
Nobílior Crucis eſt triúmphus.

ORBIS redémpti quália pignora!
Crux tincta Chriſti ſánguine,
adhuc madet:
Sperâte mortáles, ſalútem
Plena necis monuménta
præſtant.

CRUX, certa cœli ſémita,
quæ Patris
Thronum peténti pandis iter
Deo:
Nunc álterâ nobis nefas eſt
Ire viâ malè delicátos.

LAUS ſumma Patri, qui creat
ómnia;
Natóque, mundum qui répa-
rat Cruce;
Qui cuncta replet, ſumma
ſancto

Spirítui ; tribus una ſemper. Amen.

℣. Accípere ánimam meam conſiliáti ſunt. ℟. Ego autem in te ſperávi Dómine. *Pſ.* 30. 14. 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Ego quaſi agnus, qui portátur ad víctimam. Cogitavérunt ſuper me consília, dicéntes: Eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. *Jer.* 11. 19.

Oratio, Dómine Deus, *infrà ad Laudes.*

Fit Commemoratio Octavæ Nativ. B.M.V. Ant. Tu glória, ℣. Vultum tuum, 353. *Oratio*, Deus, qui ſecúndùm, 351.

Deinde S. Cornelii papæ & martyris, *Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Omnípotens, xj.

Completorium de Pſalterio. Ad Hymnum, *Doxologia*, Qui per Crucem, &c. 362. *unica Oratio*, Véritas.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Jeſum, qui crucifixus eſt, * Veníte, adorémus. *Matt.* 28. 5.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

UNCTA Crux Dei cruóre,
Quàm potens & éfficax!
Hujus attáctu jacéntes
Erigunt ſe mórtui.
Chriſtus olim quâ pepéndit,
Tanta vis fuit Crucis!

PUBLICI fontes ſalútis,
Sacra Chriſti vúlnera;
Vulnerátos illa ſanant,
Inſtar anguis ænei:
Quiſquis æger ſperet, & ſpe
Non ſuâ fraudábitur.

CRUX tribúnal, quo ſedébit
Juſtus ultor críminum;
Sponte ſed nos judicémus,
Cedet ira júdicis;
Noſque primi puniámus,
Ne ſecúndus púniat.

TOTIUS fons ſanctitátis,
Sancta quo ſunt ómnia,
Qui tuo quodcúnque crimen
Expiáſti ſánguine,
Labe puros, Chriſte, ſerves
Chriſtiános móribus.

SEMPITERNA laus Parénti,
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens ſuâ;
Flaminíque, cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. g. Ab inítio cùm perírent ſupérbi gigántes, ſpes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remíſit ſéculo ſemen nativitátis. *Sap.* 14. 6.

Ant. 1. f. Sanávit ſapiéntia per contemptíbile lignum, juſtum gubérnans. *Sap.* 10. 4.

Ant. 3. E. Benedíctum eſt lignum, per quod fit juſtítia. *Sap.* 14. 7.

℣. Deus Rex noſter ante ſécula, operátus eſt ſalútem ℟. In médio terræ. *Pſ.* 73. 12.

Lectiones de Scriptura occurr.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Dixit Deus ad Abraham: Tolle fílium tuum unigénitum, & ófferes eum in

holocauſtum.* Ligna holocauſti impóſuit Ábraham ſuper Iſaac; & venérunt ad locum, ut immoláret filium ſuum. *Gen.* 22. 1. 2. 6. 9. 10. ℣. Jeſus bájulans ſibi crucem, exívit in Calváriæ locum, ubi crucifixérunt eum. *Joan.* 19. 17. 18.* Ligna.

Poſt 2. *Lect.* ℟. De ſánguine agni ponent filii Iſraël ſuper utrúmque poſtem, & in ſuperliminaribus domórum. Erit autem ſánguis vobis in ſignum; * Nec erit in vobis plaga diſpérdens. *Exod.* 12. 7. 13. ℣. Redémpti eſtis pretióſo ſánguine quaſi agni immaculáti Chriſti. 1. *Petr.* 1. 18. 19.* Nec erit.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Mórſibus colubrórum exterminabántur; ſed ad correptiónem * In brevi turbáti ſunt, ſignum habéntes ſalútis; † Miſericórdia enim advéniens ſanábat illos. *Sap.* 16. 5. 6. 10. ℣. Chriſtus conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ. *Hebr.* 5. 9. * In brevi. Glória. † Miſericórdia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. *D.* Dóminus oſténdit Móyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcédinem verſæ ſunt. *Exod.* 15. 25.

Ant. 8. c. Pugnávit Jóſue contra Amalec. Cúmque leváret Móyſes manus, vincébat Iſraël. *Exod.* 17. 10. 11.

Ant. 5. a. Aáron & Hur ſuſtentábant manus Móyſis ex utráque parte uſque ad occáſum ſolis; fugavítque Jóſue Amalec, & pópulum ejus in ore gládii. *Exod.* 17. 12. 13.

℣. Dóminus rédimet Iſraël ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129. 8.

Lectio iv.

Ex Theophanis Annalibus, ac Pauli diac. de Hiſt. Miſcell. & Hiſt. Epiſc. Autiſſ. apud Labb. in vita Guillelmi Selign.

HEráclio imperánte, Perſæ Jeroſólymam cepérunt; multíſque ibi cæſis Chriſtianórum míllibus, plúrimos in captivitátem abduxérunt cum Zacharía patriárcha; Crucem étiam Dómini in Pérſidem aſportárunt anno Chriſti ſexcentéſimo décimo quarto. Pacem bis petítam Chóſroës Perſárum rex recuſávit, niſi Crucifixo abnegáto, Solem Heráclius adoráret. Quam impietátem deteſtátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quaſi ſacrum ſuſcépit; militéſque ad martyrium hortátus, ſigna cum hoſte cóntulit. Poſt bellum diutúrnum, anno demum ſexcentéſimo vigéſimo ſéptimo exeúnte, Perſas ingénti prælio fudit. Tértio deínde menſe Chóſroës ómnibus ob avarítiam & crudelitátem inviſus, à próprio fílio Síroe captus, & miſerè necátus eſt.

℟. Vir indútus líneis, atramentárium ſcriptóris habébat

in lumbis ſuis ; * Et dixit Dóminus : Signa Thau ſuper frontes geméntium ſuper abominatiónibus quæ fiunt in médio Jerúſalem. *Ezech.* 9. 3. 4. ℣. Vidi Angelum habéntem ſignum Dei vivi, & clamávit : Nolíte nocére, quoadúſque ſignémus ſervos Dei noſtri in fróntibus eórum. *Apoc.* 7. 2. 3. * Et dixit.

Lectio v.

Tum Siroës firmam cum Heráclio pacem iniit, captivóſque, in primis Zachariam patriárcham dimíſit, cum ſacris Crucis lignis, quorum thecam argénteam íntegram, illæſáque ſigílla Patriárcha agnóvit. Igitur Crux ſancta quatuórdecim pòſt annis quàm vénerat in poteſtátem Perſárum, recépta eſt, & deláta primùm Conſtantinópolim : ſed anno ſequénti ſexcenteſimo vigéſimo nono ab Heráclio Jeroſólymam reláta, & in locum priſtinum reſtitúta ; actæque Deo de victóriis grátiæ. Exínde Exaltatiónis ſanctæ Crucis feſtum, jam quotánnis hâc die celebrári ſólitum, ſolémnius agi cœpit.

℟. Percútite, & interfícite uſque ad internecionem ; * Omnem autem ſuper quem vidéritis Thau, ne occidátis. *Ezech.* 9. 5. 6. ℣. Præcéptum eſt illis ne læderent niſi tantùm hómines, qui non habent ſignum Dei in fróntibus ſuis. *Apoc.* 9. 4. * Omnem.

Lectio vj.

Hac eádem die ſanctus Ludovícus Francórum rex, anno milléſimo ducenteſimo quadragéſimo primo, partem Domínicæ Crucis, quæ in Syria título pignoris apud Templários mílites remánſerat, à Balduíno Oriéntis imperatóre accéptam, cum ália non módica portióne, ex qua Imperatóres Eccléſiis & amícis partículas dare conſuéverant, item ália multa Domínicæ Paſſiónis inſtruménta Paríſios præcedénte Clero ſolémniter tránſtulit. Inter multa ſacra pígnora quibus Eccléſia Autiſſiodorénſis à Calviniſtis deprædántibus ſpoliáta fuit, quædam erat Domínicæ Crucis partícula auro incluſa, quam illi dono déderat Guillélmus è Seligníaco primùm Autiſſiodorénſis, tum Pariſiénſis epíſcopus.

℟. Comméndat caritátem ſuam Deus in nobis ; quóniam * Juſtificáti in ſánguine Chriſti, † Salvi érimus ab ira per ipſum. *Rom.* 5. 8. 9. ℣. Póſuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium noſtrûm : *Iſai.* 53. 6. * Juſtificáti. Glória. † Salvi érimus.

In III. Nocturno.

Ant. 7. a. Dixit Jeſus Judæis : Cùm exaltavéritis fílium hóminis, tunc cognoſcétis quia ego ſum. *Joan.* 8. 28.

Ant. 8. G. Hoc dicébat Jeſus, ſigníficans quâ morte eſſet moritúrus. *Joan.* 12. 33.

Ant. 1. f. Moritúrus erat non tantùm pro gente, ſed ut fílios Dei, qui erant diſpérſi, congregáret in unum. *Joan.* 11. 51. 52.

℣. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, ℟. Vobis relínquens exémplum. 1. *Petr.* 2. 21.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 12. 31. *ad* 36.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæórum: Nunc judícium eſt mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. Et ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípſum. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis papæ.

Serm. 8. *de Paſſione Domini, poſt medium.*

EXaltáto, dilectíſſimi, per Crucem Chriſto, non illa tantùm ſpécies aſpéctui mentis occúrrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móyſen dictum eſt: [Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.] Iſti enim nihil in crucifíxo Dómino præter fácinus ſuum cogitáre potuérunt, habéntes timórem, non quo fides vera juſtificátur, ſed quo conſciéntia iníqua torquétur. Noſter verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terráque radiántem, puro ac líbero corde ſuſcípiat, & interióre ácie vídeat, quale ſit quod Dóminus cùm de paſſiónis ſuæ loquerétur inſtántia, dixit: [Venit hora, ut clarificétur Fílius hóminis.

℟. Nunc judícium eſt mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Et ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípſum. *Joan.* 12. 31. 32. ℣. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen: Fac ſerpéntem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percúſſus aſpéxerit eum, vivet. *Num.* 21. 8. * Et ego.

Lectio viij. *Paulò poſt.*

NUnc judícium mundi eſt; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. Et ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípſum.] O admirábilis poténtia Crucis! O ineffábilis glória Paſſiónis! in qua & tribúnal Dómini, & judícium mundi, & potéſtas eſt crucifíxi. Traxíſti enim, Dómine, ómnia ad te, & cùm expandíſſes totâ die manus tuas ad pópulum non credéntem & contradicéntem tibi, confiténdæ majeſtátis tuæ ſenſum totus mundus accépit.

℟. Sicut Móyſes exaltávit ſerpéntem in deſérto, * Ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipſum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. *Joan.* 3. 14. 15. ℣. Móyſes póſuit ſerpéntem æneum pro ſigno; quem cùm percúſſi aſpícerent,

ſanabántur. *Num.* 21. 9. * Ita exaltári.

Lectio ix. *Paulò pòſt.*

TRaxíſti Dómine ómnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbrátis ſignificatiónibus tegebátur, pleno apertóque ſacraménto univerſárum ubíque natiónum devótio celebráret. Nunc enim, & ordo clárior Levitárum, & dígnitas ámplior Seniórum, & ſacrátior eſt únctio Sacerdótum; quia Crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium eſt cauſa gratiárum; per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium ſacrificiórum varietáte ceſſánte, omnes differéntias hoſtiárum una córporis & ſánguinis tui implet oblátio; quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: & ita in te univérſa pérficis myſtéria; ut ſicut unum eſt pro omni víctima ſacrifícium, ita unum de omni gente ſit regnum.

℟. Chriſtus paſſus eſt pro nobis. * Qui peccátum non fecit, † Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2. 21. 22. 24. ℣. Diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. *Iſai.* 53. 5. *Qui peccátum. Glória.† Peccáta noſtra.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Laudáte cœli, quóniam miſericórdiam fecit Dóminus: ℟. Jubiláte extréma terræ. *Iſai.* 44. 23.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. *toni.* c.

CHriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, & reſurréxit tértiâ die ſecúndùm Scriptúras. 1. *Cor.* 15. 3. 4.

Ant. 2. D. Delens quod advérsùs nos erat chirógraphum, decréti, ipſum tulit de médio, affígens illud cruci. *Coloſſ.* 2. 14.

Ant. 5. a. Fecit útraque unum, ſolvens inimicítias in carne ſua, ut reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem. *Epheſ.* 2. 14. 16.

Ant. 3. *a.* Sic oportébat Chriſtum pati, & reſúrgere; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remiſſiónem peccatórum in omnes gentes. *Luc.* 24. 46. 47.

Ant. 8. G. Verbum crucis, pereúntibus quidem ſtultítia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. 1. *Cor.* 1. 18.

Capitulum.

1. *Cor.* 1. 23. 24.

PRædicámus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcándalum, géntibus autem ſtultítiam; ipſis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam.

Hymnus.

Jesu, manus, pedes, caput
Perfóſſus & ſacrum latus;
Fac, vox profúſi ſánguinis
Aſcéndat ad thronum Patris.

Heu quanta, quorum grátiâ,
Quantúſque dignáris pati!
Occíſus Agnus pro lupis,
Ut formet agnos de lupis.

Nobis, Redémptor, crux tua
Sit ſpes, & omnis glória;
Mundus per hanc ſit crux tuis,
Mundo per hanc ſint crux tui.

Procul tepor, procul pigrum
Cordis fatiſcéntis gelu:
Imménſa Chriſti nos trahit,
Urget rapítque cáritas.

Quis jam tibi vel vívere,
Jeſu, recúſet, vel mori?
Qui morte nos ſervos emis,
Et nos reſúrgens líberas.

Plagæ tui ſint córporis
Ægris aſylum méntibus;
A Patris ira nos tegas
Blando, Redémptor, in ſinu.

Sit Trinitáti glória;
Tibi, Pater, qui Filii
Mundum redémptum ſánguine,
Sancto refórmas Spíritu.
Amen.

℣. Oblátus eſt Chriſtus ad multórum exhauriénda peccáta; ℟. Secúndò ſine peccáto apparébit expectántibus ſe in ſalútem. *Hebr.* 9. 28.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Parébit ſignum Filii hóminis in cœlo: & vidébunt Filium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa, & majeſtáte. *Matt.* 24. 30.

Oratio.

Domine Deus, qui diſcípulis tuis mortem tuam ſigníficans, te exaltátum à terrá; ad te ómnia tractúrum prænuntiáſti; da nobis, quæſumus, tibi crucifíxo configurári gaudéntes, & non niſi in ipſa Cruce gloriári; Qui vivis & regnas.

Fit Commemoratio Octavæ Nativitatis B. M. V. Ant. Ubi venit, ℣. Elégit eam, *Oratio*, Deus, qui ſecúndùm, 351.

Deinde S. Cornelii, Ant Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Oratio*, Omnípotens, xj.

Ad Horas, *in fine Hymnorum, Doxologia*,

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriúſque Spíritus.
Amen.

Pſalmi de Feria.

Ad Primam, *Ant.* Chriſtus.

In ℟. *brevi*, ℣. Qui per Crucem nos líberas.

Oratio unica de Pſalterio.

Ad Tertiam, *Ant.* Delens.

Capitulum. Philipp. 2. 8. 9.

Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

℟. *breve*, Dóminus domi-

nórum redémit nos ab inimícis noſtris; * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. * Allelúia. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 135. 24.

℣. Chriſtus nos redémit de maledícto legis, ℟. Factus pro nobis maledíctum. *Gal.* 3. 13.

Ad Sextam, *Ant.* Fecit útraque unum.

Capitulum. *Hebr.* 2. 10.

Decébat eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, autórem ſalútis eórum per paſſiónem conſummáre.

℟. *breve*, Apud Dóminum miſericórdia, * Allelúia, allelúia. ℟. Apud. ℣. Et copióſa apud eum redémptio. * Allelúia. Glória. ℟. Apud. *Pſ.* 129. 7.

℣. Redémit Dóminus Jacob; ℟. Et Iſraël gloriábitur. *Iſai.* 44. 23.

Ad Nonam, *Ant.* Verbum crucis.

Capitulum. *Act.* 5. 30. 31.

Quem interemíſtis, ſuſpendéntes in ligno; hunc príncipem & ſalvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum.

℟. *breve*, Egréſſus es Dómine in ſalútem pópuli tui, * Allelúia, allelúia. ℟. Egréſſus es. ℣. In ſalútem cum Chriſto tuo. * Allelúia. Glória. ℟. Egréſſus es. *Habac.* 3. 13.

℣. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi, ℟. Juſtítia & pax oſculátæ ſunt. *Pſ.* 84 11.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. toni. a.

Chriſtus etſi crucifixus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei. 2. *Cor.* 13. 4.

Ant. 4. a. Nos infirmi ſumus in Chriſto; ſed vivémus ex virtúte Dei. 2. *Cor.* 13. 4.

Ant. 4. d. Eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit; ut nos efficerémur juſtítia Dei in ipſo. 2. *Cor.* 5. 21.

Ant. 6. F. Próprio Fílio ſuo non pepércit Deus, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? *Rom.* 8. 32.

Ant. 7. *d.* Gloriámur in Deo per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. *Rom.* 5. 11.

Capitulum. *Hebr.* 12. 1. 2.

Currámus ad propóſitum nobis certámen; aſpiciéntes in autórem fidei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio ſuſtinuit crucem, confuſióne contémptâ; atque in déxtera ſedis Dei ſedet.

℟. Mihi abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti; per quem * Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal.* 6. 14. ℣. Quid

eſt in cœlo? & à te quid vóluí ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. *Pſ.* 72. 25. 26. * Mihi. Glória. * Mihi.

Hymnus, Crux alma ſalve, *ut in primis Veſperis.*

℣. Si commórtui ſumus, & convivémus; ℟. Si ſuſtinébimus, & conregnábimus. 2. *Tim* 2. 11 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. *E.* Chriſto confixus ſum cruci: vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus: in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me, & trádidit ſemetípſum pro me. *Gal.* 2. 19. 20.

Fit Commem. de die Octava Nativitatis B. M. V. Ant. Tu glória, ℣. Vultum tuum, *ut in II. Veſperis Feſti*, 353. *Oratio*, Deus, qui ſecúndùm, 351.

Completorium de Pſalterio. Ad Hymnum, Doxologia, Qui per Crucem, &c. *unica Oratio*, Véritas.

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum Septembris, (quæ in Feria IV. Feria VI. & Sabbato poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis celebrantur.)

¶ *Si hodie occurrat Feſtum Semiduplex, aut ſuprà, fiet de eo cum ultima Lectione de Homilia in Evangelium, & Reſponſorio Evang. hujus Feriæ, atque ejus Commemoratione poſt Laudes tantùm, per Antiph. & Orat. ut infrà; ℣. verò, de Pſalterio. Idem ſervetur in ſequenti Feria VI. & Sabbato.*]

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente; ex tribus duæ.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. *c.* 9. 16. *ad* 28.

IN illo témpore; Reſpóndens Jeſu unus de turba, dixit: Magíſter, áttuli fílium meum ad te, habéntem ſpíritum mutum; qui ubicúnque eum apprehénderit, allídit illum, & ſpumat, & ſtridet déntibus, & aréſcit: & dixi diſcípulis tuis ut ejícerent illum, & non potuérunt. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 58. *in cap.* 17. *Matt.*

NOn mihi ea quæ rara ſunt dicas, quòd ſcilicet abſque jejúnio ejécti dæmones aliquándo fúerint. Si enim unus aut alter ſic éxpulit, impoſsíbile tamen eſt, ſi quis id pátitur, & in delíciis vivit, ab hoc furóre liberári: hujúſmodi enim morbo laborántibus, jejúnio máximè opus eſt. Sed ſi fide opus eſt, ínquies, cur jejunáre opórtet? Quia unà cum fide non parvas vires affert jejúnium. Cúmque majóris philoſóphiæ ſinguláre opus ſit, ángelum ex hómine fácilè reddit, & dæmónibus mirum in modum relucátur: quamvis non jejúnio ſolùm, ſed oratióne quoque ac multò magìs oratióne opus ſit. Expénde ígitur, quæſo, quot quantáque bona ex utríſque junctis emánent.

℟. Quare non potúimus ejícere ſpíritum immúndum? Dixit Jeſus: * Hoc genus in nullo poteſt exíre, niſi in oratióne & jejúnio. *Marc.* 9. 28. ℣. Scitóte quóniam exaúdiet Dóminus preces veſtras, ſi permanſéritis in jejúniis & oratiónibus. *Judith* 4. 12. * Hoc genus. Glória. * Hoc genus.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Increpávit Jeſus ſpíritum immúndum, & ſanávit púerum, & réddidit illum patri ejus. Stupébant autem omnes in magnitúdine Dei. *Luc.* 9. 43. 44.

Preces, flexis genibus, ut in Pſalterio, 135.

Oratio.

MIſericórdiæ tuæ remédiis, quæſumus, Dómine, fragílitas noſtra ſubsíſtat; ut quæ ſuâ conditióne attéritur, tuâ cleméntiâ reparétur; Per Dóminum.

Quæ Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam, & Nonam tantùm.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *can.* 35.

SI quis indíctum jejúnium ſuperbiéndo contémpſerit, & obſerváre cum céteris Chriſtiánis nolúerit, in Gangrénſi Concílio præcípitur, ut anathematizétur, niſi emendáre ſe ſtúdeat.

AD VESPERAS.

Si ſint de Feria, dicitur ad Magníficat, *Antiphona ut in Pſalterio, cum Precibus, flexis genibus*, 135. *& Oratione Dominicæ præcedentis.*

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum Septembris.

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij.

c. 7. 36. *ad fin. & c.* 8. 1. *ad* 3.

IN illo témpore; Rogábat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducáret cum illo. Et ingréſſus dòmum Phariſæi, diſcúbuit. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 33. *in Evang. habita in Baſilica S. Clementis, Feriâ ſextâ Quatuor Temporum Septembris, circa medium.*

SI recta ópera ágimus, quibus opiniónibus boni odóris Ecclésiam reſpergámus, quid in Dómini córpore niſi unguéntum fúndimus? Sed ſecus pedes Jeſu múlier ſtetit. Contra pedes enim Dómini ſtétimus, cùm in peccátis póſiti, ejus itinéribus renitebámur. Sed ſi ad veram pœniténtiam poſt peccáta convértimur, jam retro ſecus pedes ſtamus; quia ejus veſtígia ſéquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat. Quod nos quoque veráciter ágimus, ſi quibúslibet últimis membris Dómini per compaſſiónis afféctum in-

clinámur, ſi ſanctis ejus in tribulatióne compátimur, ſi eórum triſtítiam noſtram putámus.

℟. Convérſus Jeſus ad mulíerem, dixit Simóni: * Dico tibi; † Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7. 44. 47. ℣. Ego ſum Dóminus Deus tuus, fortis, zelótes, & fáciens miſericórdiam in míllia his qui díligunt me. *Exod.* 20. 5. 6. * Dico tibi. Glória. † Remittúntur.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Dixit Jeſus ad mulíerem: Fides tua te ſalvam fecit; Vade in pace. *Luc.* 7. 50.

Preces, flexis genibus, 135.

Oratio.

Adésto, quæſumus, omnípotens Deus; & in jejúnio corporáli, mentem noſtram opéribus tuórum réfice mandatórum; Per Dóminum.

Quæ dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *cap.* 16.

Cum nullus débeat ordinári, qui judício ſui Epíſcopi non ſit útilis aut neceſſárius ſuis Eccléſiis; ſancta Synodus, veſtígiis ſexti cánonis Concílii Chalcedonénſis inhæréndo, ſtátuit ut nullus in pósterum ordinétur, qui illi Eccléſiæ, aut pio loco pro cujus neceſſitáte aut utilitáte aſſúmitur, non aſcribátur, ubi ſuis fungátur munéribus, nec incértis vagétur ſédibus. Quòd ſi locum, inconſúlto Epíſcopo, deſerúerit, ei ſacrórum exercítium interdicátur.

AD VESPERAS.

Si ſiat de Feria, dicuntur Preces, 135. *cum Oratione Dominica præcedentis.*

SABBATO

Quatuor Temporum Septembris.

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. *c.* 13. 6. *ad* 17.

In illo témpore; Dicébat Jeſus hanc ſimilitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 31. *in Evang. habita ad populum, Sabb.* 4. *Temp. Septemb. circa initium.*

Erúditò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit, quia natúram géneris humáni ante legem, ſub lege, ſub grátia, expectándo, admonéndo, viſitándo requiſívit. [Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo vénio fructum quærens in ficúlnea hac, & non invénio.] Venit ante legem, quia per naturálem intelléctum quid unuſquiſque exémplo ſuo, quáliter erga

próximum ágere debuíſſet, innótuit. Venit in lege, quia præcipiéndo dócuit. Venit poſt legem per grátiam, quia pietátis ſuæ præſéntiam exhibéndo monſtrávit. Sed tamen in tribus annis fructum ſe non inveníſſe conquéritur; quia quorúndam pravórum mentes nec inſpiráta lex naturális córrigit, nec præcépta erúdiunt, nec incarnatiónis ejus mirácula convértunt.

℟. Dicébat Jeſus: Arborem fici habébat quidam in vínea ſua, & dixit: Vénio quærens fructum in ficúlnea hac, & non invénio; * Succíde illam: ut quid terram óccupat? † Erat autem docens in ſynagóga ſábbatis. *Luc.* 13. 6. 7. 10. ℣. Vínea Dómini, domus Iſraël eſt; & expectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas. *Iſai.* 5. 7. * Succíde. Glória. † Erat autem.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Hypócritæ, unuſquíſque veſtrûm ſábbato non ſolvit bovem ſuum, & ducit adaquáre? Hanc autem filiam Abrahæ non opórtuit ſolvi à vínculo iſto die ſábbati? *Luc.* 13. 15. 16.

Preces, flexis genibus, 135.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui per continéntiam ſalutárem corpóribus medéris & méntibus; majeſtátem tuam ſuppliciter exorámus, ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, & præſéntia nobis ſubſídia tríbuas, & futúra; Per Dóminum.

Quæ dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

CANON.

Ex Concílio Coloniénſi.

An. 1536. *part.* 1. *cap.* 21.

QUo afféctu ac propóſito accédant ordinándi, vidéndum; accuratéque inveſtigándum eſt, num vidélicet Dei causâ tantùm, an pótiùs ſuæ commoditátis grátiâ ad Ordines capeſſéndos aſpírent, quæréntes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti.

DIE XV.

Octava

NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex minus.

Omnia ut in die Feſti, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria. Nihil duplicatur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne ſancti Bernárdi abbátis.

Homil. 2. *ſuper* Miſſus eſt, §. 17.

Lectio iv.

MAría aptiſſimè síderi comparátur: quia ſicut ſine ſuî corruptióne ſidus ſuum emíttit rádium, ſic abſque ſuî læſióne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius ſuam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius ſuam integritátem. Ip-

igitur nóbilis illa ſtella ex Jacob orta, cujus rádius univérſum orbem illúminat, cujus ſplendor & præfúlget in ſupérnis, & ínferos pénetrat: terras étiam perlúſtrans, & calefáciens magìs mentes quàm córpora, fovet virtútes, éxcoquit vítia.

Lectio v.

IPſa, inquam, eſt præclára & exímia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpatióſum neceſſáriò ſubleváta, micans méritis, illúſtrans exémplis. O quiſquis te intélligis in hujus ſéculi proflúvio magìs inter procéllas & tempeſtátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre, ne avértas óculos à fulgóre hujus síderis, ſi non vis óbrui procéllis. Si inſúrgant venti tentatiónum, ſi incúrras ſcópulos tribulatiónum; réſpice ſtellam, voca Maríam. Si jactáris ſupérbiæ undis, ſi ambitiónis, ſi detractiónis, ſi æmulatiónis, réſpice ſtellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concúſſerit mentis, réſpice ad Maríam.

Lectio vj.

SI críminum immanitáte turbátus, conſciéntiæ fœditáte confúſus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias abſorbéri triſtítiæ, deſperatiónis abyſſo; cógita Maríam. In perículis, in angúſtiis, in rebus dúbiis, Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde: & ut ímpetres ejus oratiónis ſuffrágium, non déſeras converſatiónis exémplum. Ipſam ſequens, non dévias; ipſam rogans, non deſpéras, ipſam cógitans, non erras: ipsâ tenénte, non córruis; ipsâ protegénte, non métuis; ipsâ duce, non fatigáris; ipsâ propítiâ, pervénis.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 1. 1. *ad* 16.

LIber generatiónis Jeſu Chriſti fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Iſaac, Iſaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 2. *in cap.* 1. *Matt.*

DUo ſunt, quæ páriunt quæſtiónem. Unum, quæ cauſa ſit ut in generatiónum catálogo Virgo ſileátur: álterum verò quâ ratióne Joſeph memorétur, cui certè nihil cum Chriſti generatióne eſt commúne. Vidétur enim & unum abundáre, & álterum deéſſe. Quid ergo dicémus? Quòd útique primùm illud necéſſe fúerit memorári, quemádmodum ex David deſcénderit. Unde hoc ítaque diſcémus? Audi ad Gábriël loquéntem Dóminum. [Vade ad Vírginem deſponſátam viro cui nomen Joſeph, ex domo & famíli-

família David.] Quid ígitur vis audíre maniféſtius, cùm ex domo & família David Vírginem eſſe audíeris? Unde patet quòd inde útique erat étiam Joſeph. Fúerat quippe in lege præcéptum, ex divérſis tríbubus non licére uſurpári conjúgium.

Lectio viij. *Paulò pòſt.*

NOn ſolùm de ália tribu, ſed ne de família quidem áltera fas erat conjúgia copulári. Ita iſtud quod dícitur, ex domo eſſe & família David, ſive Vírgini copulétur, conſtábit dictum: ſive ipſi Joſeph pótius aptétur, illud idem confícitur. Si enim ex domo David atque família erat, non aliúnde accépit cónjugem niſi ex ea tribu, de qua étiam ipſe deſcénderat. Quid verò, inquis, ſi legem ille tranſgréſſus eſt? Sed idcírco Evangeliſta prævéniens, Joſeph juſtum eſſe teſtátus eſt, ne tu ei témerè crimen impíngeres.

Lectio ix. *Paulò pòſt.*

NOn erat mos apud Hebræos generatiónum catálogum per féminas téxere. Ut ergo & morem cuſtodíret, neve in ipſo ſtatim princípio viderétur antíqua deſtrúere, & nobis Vírginem cértiùs indicáret, paréntes ejus réticens atque majóres, de Joſeph generatióne non tácuit. Sive enim hæc feciſſet in Vírgine, novitátis non effugiſſet invídiam: ſive Joſeph reticuiſſet, non noviſſémus ex quibus Virgo majóribus procreáta eſſet. Ut ergo & nos diſcerémus quæ eſſet María, vel unde, & conſuetúdo legis permanéret immóbilis, generatiónum catálogum uſque ad ſponſum ejus perdúxit, ac de domo illum David eſſe monſtrávit. Hoc enim declaráto, illud quoque páriter oſténdit, quod ſcílicet inde eſſet & Virgo.

Post Vesperas, *fit Commemoratio S. Joannis Chryſoſtomi, Ant.* Beátus vir, ℣. Beátus homo, xxxiij. *Oratio*, Omnípotens ætérne Deus, xxxvij.

Deinde S. Euphemiæ virginis & martyris, Ant. Vincénti, ℣. Heréditas, lviij. *Oratio*, Deus, qui inter cétera, lix.

Completorium, *ut in die Feſti*, 353.

Die XVI.

In feſto S. JOAN. CHRYSOSTOMI Conſtantinopolitani epíſcopi, & Eccleſiæ doctoris.

Duplex minus.

De Communi SS. Doctorum, xxxiv.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Palladio in vita Chryſoſt. Georg. Alexandr. & aliis.

JOánnes Antiochíæ natus, in adoleſcéntia baptizátus à ſancto Melétio epíſcopo, per annos áliquot in ſolitúdine vitam egit. Quinto ſuſcéptum diaconátum

Preſbyter Antiochénæ Eccléſiæ à Flaviáno creátus, homílias hábuit ad pópulum tanta cum eloquéntia, ut inde Chryſóſtomus ſit appellátus. Exáctis eo in múnere annis duódecim, Antiochíæ ſubdúctus, in ſede Conſtantinopolitána mórtuo Nectário invítus ſufficitur. Forma gregis factus, reſécuit ſumptus inútiles Eccléſiæ ac famíliæ epiſcopális; & quod inde ſupérerat, in paúperum cómmodum convértit, præſertímque infirmórum, quibus & noſocómia conſtrúxit. Sex Aſiæ Epíſcopos ab Antoníno Epheſíno per ſimóniam ordinátos, in Epheſína Synodo exauctorávit: ac pari ánimi fortitúdine óbſtitit, ne Ariánis, Gaínæ ducis Gothórum præsídio elátis, Baſílica concederétur. Fidem in Scythia prædicándam, idolórum templa in Phœnícia diruénda curávit. Flaviánum epíſcopum Antiochénum reconciliávit cum Innocéntio papa, & Occidentálibus ac Ægyptiis Epíſcopis, qui ab eo propter ſuſcéptum in locum Melétii, vivénte adhuc Paulíno, epiſcopátum diffidébant.

Lectio v.

CUm autem vitam inſtituíſſet áſperam & ſevéram, ac depravátos ómnium órdinum mores corrígere niterétur, multórum ſubiit invídiam; Eudóxiæ Augúſtæ in primis, quæ concionántis verba quædam quaſi in ſe contumelióſa indígnè ferébat. Quare hábita eſt apud Quercum, Chalcédonis ſubúrbium, Epiſcopórum áliquot Chryſóſtomo infenſórum tumultuária Synodus, in qua agénte Theóphilo Alexandríno, anniténte Eudóxiâ, depóſitus, ejéctus eſt in exilium; quem pópulus incredíbili ſtúdio, nocte licèt urgénte, longè proſecútus eſt. Sed paulò pòſt, facto terræ motu, & coórtâ ſeditióne plebis, ab exilio revocátur. Cùm autem pérditos mores argúere non deſíſteret, & ad argénteam Eudóxiæ ſtátuam in foro ſanctæ Sophíæ eréctam hiſtriónes lúdere, & à vulgi clamóribus divínam pſalmódiam interturbári minimè paterétur, idque públicâ oratióne reprehendíſſet, in Epiſcopórum conventículo iterum damnátus eſt, quòd in ſedem abſque novæ Synodi judício rediíſſet; & ipsâ nocte Páſchatis Eccléſiâ pulſus, Arcádii imperatóris juſſu, paucis pòſt ménſibus Cucúſum in Arméniam amandátur. Epiſcopi autem quadragínta, aliique complúres qui ipſi adhæſerant, hincque Joannitæ dicebántur, váriis torméntis afficiúntur. Mox intrúditur in ſedem illius Arſácius Nectárii frater; quod Innocéntius papa, ad quem per litteras Joánnes confúgerat, & Epiſcopi Occidentáles ádeo improbárunt,

ut cum eo communicáre nolúerint.

Lectio vj.

INterim contínuâ febre debilitátus Joánnes, cœptum iter perágere cógitur, donec Cæſaréam Cappadóciæ venit; ubi cùm per áliquot dies commorátus eſſet, remíttere paúlulùm vis morbi cœpit: ſed Cæſariénſis Epíſcopi monachorúmque factióne rurſum exagitátus, réddere ſe itíneri, atque Iſaurórum regiónem vaſtántium immanitáti ſe expónere coáctus eſt. Cucúſum tandem, quò amandátus fúerat, pervénit: ibíque hyemis incleméntiâ pene enéctus, Arméniæ paúperes fruménto & cœléſti verbo páſcere non déſtitit. Hinc propter crebras Iſaurórum incurſiónes, Arabíſſum munítius óppidum, non ſine perículo, translátus eſt, deínde Pityúntem; ut aſsíduis ítinerum labóribus conficerétur. Comána cùm adventáret, pernoctávit in Eccléſia ſancti Baſilíſci; ubi beátus Martyr ſic eum in ſomnis affátus eſt: Confíde, frater Joánnes, cras enim ſimul érimus. Sumptis poſtrídie cœléſtibus ſacraméntis, consígnans ſe in modum crucis, ánimam Deo réddidit décimâ quartâ die Septémbris, anno quadringentéſimo ſéptimo. Corpus ejus máximo Vírginum & Monachórum concúrſu ſepultúræ mandátum, poſt áliquot annos Theodóſius Arcádii fílius Conſtantinópolim tránſtulit insígni pompâ, vigéſimâ ſéptimâ die Januárii; ejúſque relíquias venerátus, pro paréntibus véniam precátus eſt. Epíſcopi autem Occidentáles non prius cum Attico, Arſácii ſucceſſóre aliíſque Orientálibus communicáre voluérunt, quàm nomen illíus in díptyca retuliſſent.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 13. *ad* 19.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 15. *in cap.* 5. *Matt.*

SIc lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & gloríficent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.] Non póterunt maledictiónes veſtrum obumbráre fulgórem, ſi tamen vos omni cum diligéntia vixéritis; atque ita prorſus quaſi qui univérſum orbem veſtri faciátis imitatióne convérti. Dignam ígitur exhibéte vitam, ut ſicut illa cunctis regiónibus prædicánda eſt, ita illi converſátio veſtra convéniat. Deínde áliud quoque lucrum cum hóminum ſalúte ſubjúngit, ſanè quod ſit prorſus idó

néum illos præſtáre ſolícitos, atque ad omne virtútis bonum concitáre. Non ſolùm, inquit, corrigétis orbem, rectè ſanctéque vivéndo; verùm étiam glorificári Deum ex veſtra converſatióne faciétis. Quemádmodum ſi contrária geſſéritis, & hómines perdétis profectò, & Dei nomen blaſphémiis offéndi faciétis.

Lectió viij. *Paulò pòſt.*

Cum ſal infatuátur, cùm lumen extínguitur, tunc hómines vos tantúmmodo meritóque calcábunt; non cùm rectè faciéntes ſubjacétis oppróbriis. Tunc enim multi erunt omníno mirántes, non útique vos tantùm, ſed per vos étiam Patrem veſtrum... Si vítiis ſordeámus, etiámſi nullus obtréctet, érimus ómnibus miſerióres. Si verò virtútibus ſplendére curémus, vel ſi totus mundus contra nos maledíctis volúerit perſonáre, érimus ómnium beatíſſimi, atque ad nos trahémus omnes qui veníre elégerint ad ſalútem; & qui non contumélias malignórum, ſed vitæ noſtræ volúerint conſideráre virtútem. Omni tubâ documénta ſunt óperum clarióra; vitáque munda ipsâ eſt luce fulgéntior.

Lectio ix. *Poſt pauca.*

Si non ſolùm manſuéti, & miſericórdes, & húmiles, mundóque corde fuérimus, atque pacífici; ſed ſi étiam cùm maledícimur, non referámus injúriam, quin imò étiam gaudeámus; non inferiùs omníno quàm per ipſa ſigna ſpectatóres noſtros ad veritátem trahémus, veniéntque ad nos libénter... Si verò nonnúlli virtútis tuæ cónſcii, nihilóminus te contuméliis inſequántur; nequáquam inde turbéris, nec consíderes quòd públicè in te jaculéntur injúrias: ſed ipſam illórum interroga conſciéntiam; & vidébis applaudéntes tibi, teque mirántes... Quòd etſi hómines bona tua vidére diſſímulent, ac in contráriam partem interpreténtur, majórem certè apud Deum admiratiónem laudémque repéries. Noli ígitur dolére atque concídere. Nam & Apóſtoli ipſi áliis quidem erant odor mortis, áliis autem odor vitæ... Reſplénde ígitur fulgóre vitæ, & malédicos omníno contémne. Non poteſt enim accídere, ut qui virtútem diligénter exéquitur, nunquam plúrimos acquírat inimícos. Sed nihil hoc ad eum qui virtúte præditus eſt, quandóquidem clárius illórum occaſióne reſpléndeat.

Pro Commemoratione S. *Euphemiæ*, *Antiph.* Factus eſt, ℣. Deus præcínxit me, *Oratio*, Deus, qui inter cétera, lix.

Post Vesperas, *fit Commemoratio S. Cypriani*, *Ant.* Qui vícerit. ℣. Vincénti, viij.

Oratio, Deus, cujus grátia, xj.

Deinde S. Lamberti, Trajectenſis ad Moſam epiſcopi & martyris. Antiph. Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Oratio*, Omnipotens, xj.

DIE XVII.

In feſto

S. CYPRIANI, CARTHAginenſis epiſcopi & martyris.

Semiduplex.

De Communi unius Martyris, viij.

Lectio ij.

Ex S. Hieronymo, lib. de Script. Eccl. & ex Actis apud Ruinart.

CYpriánus Afer, primùm glorióſè rhetóricam dócuit; exínde ſuadénte preſbytero Cæcílio, à quo & cognoméntum ſortítus eſt, Chriſtiánus factus, omnem ſubſtántiam ſuam paupéribus erogávit; ac poſt non multùm témporis eléctus in Preſbyterum, étiam Epíſcopus Carthaginénſis conſtitútus eſt. Témpore autem Valeriáni & Galliéni, oblátus eſt Galério Máximo procónſuli, qui Cypriánum intúitus, ait: Tu es Cypriánus qui te Papam ſacrílegæ mentis homínibus præbuíſti? Juſſérunt te ſacratíſſimi Imperatóres ſacrificáre. Cónſule tibi, ne péreas. Sanctus Martyr reſpóndit: Ego ſum Cypriánus, Chriſtiánus ſum, & diis ſacrificáre non pótero.

Lectio iij.

TUnc irátus Procónſul, dixit: Diu ſacrílegâ mente vixíſti, & inimícum te Diis Románis conſtituíſti; ſánguine tuo ſanciétur diſciplína. Et his dictis decrétum ex tabélla recitávit: Cypriánum gládio animadvérti placet. Cypriánus epíſcopus dixit: Deo grátias. Et cùm ducerétur, pópulus fratrum plangens & éjulans dicébat: Et nos cum ipſo decollémur. Perdúctus autem in agrum Sexti, cùm ibi ſe lacérno birro, & dalmáticâ expoliáſſet, ſtans in línea, ſpiculatórem expectábat; qui cùm veníſſet, juſſit ſuis, ut ei vigínti quinque aúreos darent. Póſtea verò manu ſuâ óculos ſibi texit, & ſic gládio percúſſus occúbuit. Cujus corpus nocte adveniénte cum céreis in área cujúſdam Cándidi procuratóris magno triúmpho ſepúltum eſt.

Pro Commemoratione S. Lamberti, Ant. Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Omnípotens, xj.

POST VESPERAS, *fit Commemoratio S. Ferreoli, Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Deus, qui beátum, xj.

DIE XVIII.

In feſto

S. FERREOLI MART.

Simplex.

De Communi unius Martyris, viij.

Lectio iij.

Ex actis apud Ruinart. Martyrol. Adonis ; Teſtamento S. Vigilii in Annal. Bened. tom. I. *& Chartâ fundat. S. Juliani Autiſſ. apud Mabill. de re Diplomat.*

SÆviénte in Chriſtiános Diocletiáno, Ferréolus mílitum tribúnus, Viénnæ juſſu Criſpíni præſidis comprehénſus, primùm crudeliſſimè verberátus, deínde gravi catenárum onúſtus póndere, in tetérrimum cárcerem conjéctus eſt. Solútis Dei nutu vínculis, carceríſque jánuis patefáctis, Rhódanum natátu difficíllimum trajécit, & uſque ad Jarem flúvium pervénit. Ibi dénuo comprehénſus, vinctis poſt tergum mánibus, non longè à Rhódano martyrii palmam cápitis obtruncatióne percépit, circa annum trecentéſimum quartum. Corpus ejus cum cápite beáti Juliáni mártyris Brivaténſis, à Viennénſibus condígno honóre colebátur ſéculo quinto. In diœcéſis Autiſſiodorénſis óppido, quod ſéptimo jam ſéculo beáti Ferréoli nómine inſigniebátur, extat Baſílica vetus ejus relíquiis ditáta. Eódem étiam ſéculo beátus præſul Palládius ſancti Ferréoli Oratórium adjúnxit monaſtério ſancti Juliáni prope Autiſſiodórum.

Veſpera de Pſalterio.

Fit Commemoratio S. Sequani, Ant. Egrédere, ℣. Sedébit, xlv. *Oratio*, Deus, cujus múnere, xlvj.

Die XIX.

S. SEQUANI ABBATIS

Commemoratio.

Poſt Laudes Matutinas, Ant. Fugit, ℣. Habitábit, *Oratio*, Deus, cujus múnere, xlvj.

Die XX.

In Vigilia S. MATTHÆI APOSTOLI.

Officium de Feria occurrente, ut in Pſalterio.

[*In Feriis Quatuor Temporum, nihil fit de hac Vigilia.*]

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente ; ſiuntque ex tribus duæ.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. c. 5. 27. *ad* 32.

IN illo témpore ; Vidit Jeſus publicánum, nómine Levi, ſedéntem ad telónium, & ait illi : Séquere me. Et relíctis ómnibus, ſurgens ſecútus eſt eum. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii epiſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Luc. lib. 5. §. 16.

MYſtica hæc eſt evocátio publicáni, quem Chriſtus ſequi jubet non córporis greſſu, ſed mentis afféctu. Itaque ille prius avára de mercédibus, dura de labóribus periculíſque nautarum emoluménta convértens,

verbo vocátus, própria derelíquit, qui rapiébat aliéna: ac vile illud ſedíle deſtítuens, toto poſt Dóminum veſtígio mentis incédit. Convívii quoque magni éxhibet apparátum; qui enim domicílio Chriſtum récipit intérno, máximis delectatiónibus exuberántium páſcitur voluptátum. Itaque Dóminus libénter ingréditur, & in ejus qui credíderit; recúmbit afféctu.

℟. *Evang.* Phariſæi dicébant diſcípulis Jeſu: Quare cum publicánis & peccatóribus mandúcat magíſter veſter? At Jeſus aúdiens, ait: * Non eſt opus valéntibus médicus, ſed malè habéntibus. *Matt.* 9. 11. 12. ℣. Spíritus Dómini miſit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem. *Iſai.* 61. 1. * Non eſt opus. Glória. * Non eſt opus.

Preces, flexis genibus, 135.

Oratio.

ACcéptum tibi ſit, quæſumus, Dómine, noſtræ ſervítutis obſéquium; & ad ſancti apóſtoli tui & evangeliſtæ Matthæi prióres fáciat nos veníre feſtivitátem; Per Dóminum.

Die XXI.

In feſto

S. MATTHÆI APOSTOLI & Evangeliſtæ.

Duplex - Majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, j. præter ſequentia.

Pridie In Vesperis,

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Vidit Jeſus hóminem ſedéntem in telónio, Matthæum nómine; & ait illi: Séquere me. *Matt.* 9. 9.

Oratio, Deus, qui ad pœniténtiam, *infrà ad Laudes.*

In II. Nocturno.

Ex libro ſancti Hierónymi preſbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio iv. *cap.* 5.

MAtthæus, qui & Levi, ex publicáno Apóſtolus, primus in Judæa propter eos qui ex circunciſióne credíderant, Evangélium Chriſti Hebráicis ltteris verbíſque compóſuit: quod quis póſtea in Græcum tranſtúlerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebráicum habétur uſque hódie in Cæſariénſi bibliothéca, quam Pámphilus martyr ſtudioſíſſimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis qui in Beróea, urbe Syriæ, hoc volúmine utúntur, deſcribéndi facúltas fuit. In quo animadverténdum quòd ubicúnque Evangeliſta, ſive ex perſóna ſua, ſive ex perſóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ teſtimóniis útitur, non ſequátur Septuagínta autoritátem, ſed Hebráicam; è quibus illa duo ſunt: [Ex Ægypto vocávi Fílium meum;] &: [Quóniam Nazaræus vocábitur.]

Ex libro ſancti Epiphánii epíſcopi, advérsùs hæreſes.

Lectio v. *Hæreſi* 51.

MAtthæus, primus Evangélium ſcríbere aggréſſus eſt; ei quippe inítio prædicándi Evangélii munus eſt commíſſum; idque méritò: oportébat enim ut ille qui ad ſalútem humáni géneris advénerat, quique díxerat: [Non veni vocáre juſtos, ſed peccatóres ad pœniténtiam;] ad exémplum eórum qui ſalvándi erant, ei hómini potíſſimùm prædicándæ ſalútis munus injúngeret, qui à peccátis convérſus, & à telónio ſuſcitátus fúerat: ut ab illo, quanta ſibi eſſet advéntu Chriſti benígnitas colláta, hómines díſcerent. Nam poſt remiſſiónem peccatórum, largítus eſt étiam ipſi ſuſcitatiónem mortuórum, & mundatiónem lepræ, & virtútes ſanatiónum, & fugatiónem dæmonum: ut non ſolùm verbo perſuadéret auditóribus, ſed facto étiam Evangélia pérditis homínibus prædicáret, quòd ſcílicet poſſent per pœniténtiam recuperári.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 1. *in cap.* 1. *Matt.*

Lectio vj.

APóſtoli innumerábiles pópulos toto terrárum orbe attraxérunt; Deo per illórum linguam cunctis accedéntibus differénte: à quo étiam Matthæus replétus Spíritu Evangélium conſcripſit: [Matthæus ille publicánus;] non enim ab arte ſua illum erubúerim nuncupáre, nec illum omníno, nec réliquos. Hoc eſt enim quod máximè oſténdit Spíritûs-ſancti grátiam, eórumque virtútem. Evangélium verò, non abs re quidem, ſcriptiónem ſuam vocávit. Siquidem pœnárum ſublatiónem, véniam peccatórum, ſanctificatiónem, atque juſtítiam, redemptiónem, adoptiónem étiam filiórum, & cœlórum hereditátem, & cum Dei Fílio fraternitátem ómnibus tum inimícis, tum ímprobis, & in ténebris ſedéntibus nuntiávit.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 9. 9. *ad* 13.

IN illo témpore; Vidit Jeſus hóminem ſedéntem in telónio, Matthæum nómine; & ait illi: Séquere me. Et ſurgens, ſecútus eſt eum. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi preſbyteri.

Lib. 1. *Comment. in c.* 9. *Matt.*

CEteri Evangeliſtæ, propter verecúndiam & honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; ſed dixérunt Levi: dúplici quippe vocabúlo fuit. Ipſe autem Matthæus, ſecúndùm illud quod dícitur à Salomóne: [Juſtus accuſátor eſt ſuî in princípio ſermónis;] & : [Dic tu peccáta

tua, ut juſtificéris;] Matthæum ſe & publicánum nóminat: ut oſténdat legéntibus, nullum debére ſalútem deſperáre, ſi ad melióra convérſus ſit; cùm ipſe de publicáno in Apóſtolum ſit repéntè mutátus.

Lectio viij.

ARguit hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augúſtus, vel imperítiam hiſtórici mentiéntis, vel ſtultítiam eórum qui ſtatim ſecúti ſunt Salvatórem, quaſi irrationabíliter quémlibet vocántem hóminem ſint ſecúti, cùm tantæ virtútes tantáque ſigna præcéſſerint, quæ Apóſtolos ántequam créderent, vidiſſe non dúbium eſt. Certè fulgor ipſe, & majéſtas divinitátis occúltæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad ſe vidéntes tráhere póterat aſpéctu. Si enim in magnéte lápide & ſúccinis hæc eſſe vis dícitur, ut ánnulos & ſtípulas & feſtúcas ſibi cópulent; quantò magìs Dóminus ómnium creaturárum ad ſe tráhere póterat quos volébat.

Lectio ix.

ET factum eſt diſcumbénte eo in domo, ecce multi publicáni & peccatóres veniéntes diſcumbébant cum Jeſu.] Vidébant publicánum à peccátis ad melióra convérſum, locum inveniſſe pœniténtiæ; & ob id étiam ipſi non deſperábant ſalútem. Neque verò in príſtinis vítiis permanéntes véniunt ad Jeſum, ut Phariſæi & Scribæ múrmurant: ſed pœniténtiam agéntes, ut ſequens Dómini ſermo ſigníficat, dicens: [Miſericórdiam volo, & non ſacrificium; non enim veni vocáre juſtos, ſed peccatóres.] Ibat autem Dóminus ad convívia peccatórum, ut occaſiónem habéret docéndi, & ſpirituáles invitatóribus ſuis præbéret cibos.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* Relíctis ómnibus Levi, ſecútus eſt Jeſum; & fecit ei convívium magnum in domo ſua. *Luc.* 5. 28. 29.

Oratio.

DEus, qui ad pœniténtiam peccatóres ineffábili miſericórdiâ vocáre dignáris; da nobis exémplo & interceſſióne beáti Matthæi, quem de publicáno Apóſtolum feciſti, ut te relíctis ómnibus ſequi, tibi firmiter adhærére, & te líberâ voce ac bonis opéribus confitéri valeámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Miſericórdiam volo, & non ſacrifícium: non enim veni vocáre juſtos, ſed peccatóres ad pœniténtiam. *Matt.* 9. 13. *Luc.* 5. 32.

Fit Commemoratio SS. Mauricii & Sociorum, Ant. Communicántes, ℣. Viríliter, xiv. *Oratio*, Deus, qui hunc die *infrà.*

Die XXII.

In feſto

SS. MAURICII

& Sociorum, Martyrum.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum, xiv.

Ex Epíſtola ſancti Euchérii Lugdunénſis ad Sálvium epíſcopum.

In Actis apud Ruinart.

Lectio ij.

SUb Maximiáno qui Románæ reipúblicæ cum Diocletiáno impérium ténuit, erat in exércitu légio mílitum qui Thebæi appellabántur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis ſtrénui, nóbiles virtúte, ſed nobilióres fide, Evangélici præcépti étiam ſub armis non immémores. Maximiánus ſacrificatúrus idólis Octodórum convenire exércitum juſſit, atróci propóſitâ juſſióne, ut per aras dæmónibus conſecrátas juráreut. Soli id Thebæi detrectáti ſunt: eóque cógnito Maximiánus Acaúnum mittit, ubi octávo ab Octodóro milliári conſéderant, & décimum quemque gládio feríri jubet, céteros parére mandátis. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio paſſim in caſtris exóritur affirmántium ſe idolórum profána ſemper deteſtatúros, & extréma experíri ſátius eſſe, quàm advérsùs Chriſtiánam fidem veníre. His compértis Maximiánus ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, & céteri nihilóminus ad ea quæ ſpréverant compellántur. Percúſſus eſt ítaque qui décimus ſorte obvénerat.

Lectio iij.

FLagrábat in illis martyrii glorióſus ardor, ſuadénte in primis ſancto Mauricio pro ſacraménto Chriſti moriéndum, ſequendóſque contubernáles qui jam in cœlum præceſſerant. Itaque Maximiáno hæc mandáta mittunt ſicut pia, ita & fórtia: Mílites ſumus, Imperátor, tui; ſed tamen ſervi, quod líberè confitémur, Dei: tibi milítiam debémus, illi innocéntiam. Tenémus ecce arma, non reſíſtimus; ſi quid in nos ultrà ſtatúeris, ungues, torménta, ferrum ſubíre paráti ſumus; Chriſtiános nos fatémur. Maximiánus deſpérans glorióſam eórum conſtántiam poſſe revocáre, unâ ſenténtiâ intérfici omnes, & rem cónfici circumfúſis agmínibus jubet. Cædebántur ítaque paſſim gládiis, non reclamántes ſaltem aut repugnántes, ſed depóſitis armis cervíces perſecutóribus præbéntes, & júgulum percuſſóribus, vel intéctum corpus offeréntes. [Oratórium in honórem ſanctórum Mártyrum extrúxit Autiſſiodóri beátus Germánus, & in eo ſepúltus fuit. Hinc celebérrima

evâſit ſancti Germâni abbatiâlis Ecclêſia, cujus mónachi nono ſéculo âliquas ſancti Mauricii relíquias, cum câpite ſancti Innocéntii ejus legiónis ſócii, à príncipe Hucbérto abbâte Agaúnenſi obtinuérunt.]

Oratio.

DEus, qui hunc diem beatórum mártyrum tuórum Mauricii, Innocéntii, ac ſociórum martyrio conſecráſti; da Ecclèſiæ tuæ de eórum feſtivitáte ſic lætári, ut apud miſericórdiam tuam exémplis eórum & méritis adjuvémur; Per Dóminum.

POST VESPERAS, *ſit Commemoratio S. Theclæ, Ant.* Vincénti, ℣. Heréditas, lviij. *Oratio*, Omnípotens, lix.

DIE XXIII.

S. THECLÆ VIRGINIS & Martyris

Commemoratio.

Poſt Laudes Matutinas, Ant. Factus eſt, ℣. Deus præcinxit me, *Oratio*, Omnípotens, lix.

Veſpera de Pſalterio.

Fit Commemoratio SS. Andochii, &c. Ant. Communicántes, ℣. Viríliter, xiv. *Oratio*, Deus, qui in córdibus, xvij.

DIE XXIV.

SS. ANDOCHII Preſbyteri, Thyrſi diaconi, & Felicis, martyrum

Commemoratio.

Poſt Laudes Matutinas, Ant. Beáti, ℣. Multæ, *Oratio*, Deus, qui in córdibus, xvij.

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XXV.

In Feſto

S. AUNARII, AUTISSIOD. epiſcopi. *Duplex minus.*

Omnia de Communi S. Pontificis, xx. *præter ſequentia.*

Pridie IN VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Ambulávit pes meus iter rectum: à juventúte mea inveſtigábam ſapiéntiam, & multùm proféci in ea. Danti mihi ſapiéntiam dabo glóriam. *Eccli.* 51. 20. 22. 23.

Oratio, Famíliam, *infrà*.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Erat Dóminus cum eo; & in cunctis ad quæ procedébat, ſapiénter ſe agébat. 4. *Reg.* 18. 7.

Ant. 8. G. Erat nominátus in univérſis géntibus per circúitum; & veniébant de cunctis pópulis ad audiéndam ſapiéntiam ejus. 3. *Reg.* 4. 31. 34.

Ant. 7. a. Congregávit ſacerdótes atque levítas, in miniſtérium domûs Dómini, & diſtríbuit eos per vices. 1. *Par.* 23. 2. 4. 6.

℣. Ipſe eſt diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, ℟. Et tulit abominatiónes impietátis. *Eccli.* 49. 3.

Lectio iv.

Ex Hiſt. Epiſc. Autiſſ. & vita S. Auſtregiſili apud Labb. Conc. ejuſ. Labb. t. 5. *ſec.* 2. *Bened. & veteribus Martyrol.*

AUnárius, qui & Aunachárius, apud Aureliános Paſtóre & Ragnóa-

râ nobiliſſimis paréntibus natus; cùm adoleſcens in aula Guntrámni regis verſarétur, repéntè divíno afflátus ſpíritu, inſciis patre ac matre, ad ſepúlcrum ſancti Martíni comam depoſitúrus venit. A beáto Syágrio, Æduénſi epiſcopo ad pietátem informátus, ſacris ordínibus rite initiátur: tum poſtulánte plebe, & eligénte Clero, in locum Ethérii, Autiſſiodorénſis epíſcopi ſufféctus eſt. Póntifex inaugurátus ipsâ die anniverſáriâ tránſitûs ſancti Germáni, propóſitum ſibi ejus exémplum ſédulâ imitatióne proſecútus eſt; tantóque virtútum ac miraculórum ſplendóre Eccléſiam Autiſſiodorénſem illuſtrávit, ut Germánus redivívus viderétur. Indeféſſum in illo docéndi ardórem æquábat in plebe mira audiéndi avíditas.

℟. Surréxit ſacérdos, & dixit: Vos tranſgréſſi eſtis; & nunc date confeſſiónem Dómino Deo, & fácite plácitum ejus: * Et reſpóndit univérſa multitúdo: Juxta verbum tuum ad nos, ſic fiat. 1. *Eſdr.* 10. 10. 11. 12. ℣. Emundáte manus peccatóres, purificáte corda dúplices ánimo. *Jac.* 4, 8. * Et reſpóndit.

Lectio v.

AD tutélam gregis ſolémnes preces, ſeu Litánias, quólibet menſis die per trigínta majóres Diœcéſis vicos, & ſingulis Caléndis in duódecim Baſílicis ſeu monaſtériis inſignióribus, per vices fieri inſtítuit. Quin étiam ut res divína ritu ſolemnióri in Eccléſia Cathedráli peragerétur, eóſdem cléricos ac mónachos ſíngulis hebdómadæ diébus, juxta órdinem cuílibet Baſílicæ & monaſtério aſſignátum, adéſſe præcépit. Stéphanum preſbyterum Africánum, miſſis lítteris ut ſanctórum pontíficum Amatóris & Germáni geſta ſcríberet, hortátus eſt; ab eóque Amatóris vitam obtínuit. Concíliis Pariſiénſi quarto, & Matiſconénſi primo ac ſecúndo intérfuit, & ſubſcrípſit. Autiſſiodóri cum Abbátibus & Preſbyteris ſuis coáctâ Synodo, pagánicæ ſuperſtitiónis relíquias profligávit, & labéntem Cleri diſciplínam canónibus ſapiénter éditis ſic retínuit, ut apud omnes deínceps Eccléſias Concílium illud Autiſſiodorénſe celebérrimum haberétur.

℟. Dedit illis legem ne obliviſceréntur præcépta Dómini, & ut non exerrárent méntibus, vidéntes ſimulácra: * Et hortabátur ne legem amovérent à corde ſuo. 2. *Mach.* 2. 2. 3. ℣. Perambulábat præcípiens cuſtodíre præcépta Apoſtolórum & ſeniórum. *Act.* 15. 41. * Et hortabátur.

Lectio vj.

PElágius ſecúndus ſummus Póntifex duas ad Aunárium ſcripſit epíſtolas, quæ

etiámnum extant, ſuæ erga ipſum benevoléntiæ índices. Virtútum ejus odóre alléctus Auſtregisílus, regis Guntrámni aulam deſéruit; tum à beáto Præſule in clerum aſcítus, & ad Subdiaconátum promótus, póſtea Bituricénſis epíſcopus ſanctitáte refúlſit. Walaricus quoque in monaſtério juxta Autiſſiodórum recéptus, ejus documéntis tantùm profécit, ut Luxoviénſe monaſtérium ſanctiſſimè réxerit, ac deínde álterum in território Ambianénſi, quod à multis ſéculis ſancti Walaríci nómine inſignítur. Multis tandem exantlátis labóribus per annos trigínta & ampliùs, ad cœléſtem beatitúdinem beátus Præſul evocátus eſt die vigéſimâ quintâ Septémbris, circa inítium ſéculi ſéptimi. In Basílica ſancti Germáni ſepúltus, plúrimis coruſcávit miráculis. Nam & cæci ad ſepúlcrum ejus viſum, & paralytici óleo pendéntis lámpadis vigórem priſtinum recepérunt. Recurrénte ejus depoſitiónis die, nono ſéculo, ad pedes ſancti Germáni corpus ejus collocátum eſt. Ibi quiévit donec décimâ ſextâ Augúſti è túmulo levátum, cónditum eſt in pretióſa capſa, quam perduelles hærétici, projéctis relíquiis, ímpiè deprædáti ſunt.

℟. Venérunt ad eum in hoſpítium plúrimi, quibus * Exponébat teſtíficans regnum Dei, ſuadénſque eis ex lege & prophétis. *Act.* 28. 23. ℣. Ad ipſum confluébant, eò quòd eſſet honorabílior ómnium. *Dan.* 13. 4. * Exponébat. Glória. * Exponébat.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 13. *ad* 19.

In illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii papæ.

Homil. 17. *in Evang. circa medium.*

Sal terræ non ſumus, ſi corda audiéntium non condímus. Quod proféctò condiméntum ille veráciter próximo impéndit, qui prædicatiónis verbum non ſúbtrahit. Sed tunc verè áliis recta prædicámus, ſi dicta rebus oſténdimus, ſi nos ipſi divíno amóre compúngimur, & humánæ vitæ quæ ſine culpa transíri nequáquam poteſt, quotidiánas lácrymis máculas lavámus. Tunc autem de nobis verè compúngimur, ſi ſtudióſè Patrum præcedéntium facta penſámus, ut ex conſpéctu illórum glória, in noſtris nobis óculis noſtra vita ſordéſcat. Tunc verè compúngimur, cùm præcépta Dómini ſtudióſè perſcrutámur, & per hæc profícere ipſi contén-

per quæ jam profeciſſe nóvimus quos venerámur.

Lectio viij. *Poſt multa.*

Est, fratres cariſſimi, quod me de vita paſtórum veheménter afflígit: ſed ne cui hoc injurióſum videátur fortáſſe quod áſſero, me quoque páriter accúſo, quamvis barbárici témporis neceſſitáte compúlſus, valde in his jáceo invítus. Ad exterióra enim negótia delápſi ſumus, & áliud ex honóre ſuſcípimus, atque áliud ex offício actiónis exhibémus. Miniſtérium prædicatiónis relínquimus, & ad pœnam noſtram, ut vídeo, epíſcopi vocámur, qui honóris nomen non virtútem tenémus. Relínquunt namque Deum hi qui nobis commíſſi ſunt, & tacémus. In pravis áctibus jacent, & correptiónis manum non téndimus. Quotídie per multas nequítias péreunt, & eos ad inférnum téndere neglīgénter vidémus. Sed quómodo nos vitam corrígere valémus aliénam, qui neglígimus noſtram? Curis enim ſeculáribus inténti, tantò inſenſibilióres intùs effícimur, quantò ad ea quæ foris ſunt, ſtudioſióres videmur.

Lectio ix. *Poſt pauca.*

Nullum puto, fratres cariſſimi, ab áliis majus præjudícium quàm à ſacerdótibus tólerat Deus, quando eos quos ad aliórum correctiónem póſuit, dare de ſe exémpla pravitátis cernit: quando ipſi peccámus, qui compéſcere peccáta debúimus... Nulla animárum lucra quærimus, ad noſtra quotídie ſtúdia vacámus, terréna concupíſcimus, humánam glóriam inténtâ mente captámus. Et quia eo ipſo quo céteris præláti ſumus, ad agénda quælibet majórem licéntiam habémus; ſuſcéptæ benedictiónis miniſtérium vértimus ad ambitiónis arguméntum: Dei cauſam relinquimus, ad terréna negótia vacámus; locum ſanctitátis accípimus, & terrénis áctibus implicámur.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit in códice: renovávit ſapiéntiam de corde ſuo. *Eccli.* 50. 29.

Oratio.

Famíliam tuam, Deus, propítius réſpice, quam beátus póntifex Aunárius rexit ac dócuit; & præſta, ut cujus ſapiéntia plebi tuæ prófuit ad emendatiónem, nobis ejus intercéſſio proſit ad ſalútem; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Stare fecit cantóres contra altáre, & dedit in celebratiónibus decus; & ornávit témpora uſque ad conſummatiónem vitæ, ut laudárent nomen ſanctum Dómini. *Eccli.* 47. 11. 12.

DIE XXVII.

In Feſto SS. COSMÆ & DAMIANI Fratrum, Martyrum.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum, xiij.

Oratio, Mártyrum tuórum, xvij.

Ex libro ſancti Gregórii Turonénſis, de miráculis.

Lib. 1. cap. 98.

Lectio iij.

DUo gémini, Coſmas & Damiánus, arte médici, poſtquam Chriſtiáni effécti ſunt, ſolo virtútum mérito & oratiónum intervéntu infirmitátes languéntium depellébant. Qui divérſis cruciátibus conſummáti, cœlítibus ſunt conjúncti, multa miràcula incolis oſtendéntes; nam ſi quis infirmus ad eórum ſepúlcrum fide plenus oráverit, ſtatim adipíſcitur medicínam. Réferunt autem pleríque apparére eos per viſum languéntibus, & quid fáciant indicáre; quod cùm fécerint, ſani diſcédunt. [Hi fuiſſe Arabes tradúntur, & antiquíſſimo ritu colúntur tam in Orientáli quàm in Occidentáli Eccléſia. In ſéptima Synodo œcuménica referúntur miràcula, ipſórum patrocínio à Deo impetráta. Sed & eórum nómina Cánoni Miſſæ inſérta ſunt. Monaſtérium ſub eórum invocatióne conſtrúxit prope Autiſſiodórum ſanctus Germánus, ad álteram Icaúnæ ripam.]

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XXVIII.

In Feſto S. ALODII, AUTISSIOD. Epiſcopi.

Semiduplex.

De Communi S. Pontificis, xx.

Oratio, Omnípotens Deus, xxv.

Lectio iij.

Ex actis S. Mariani apud Bolland. Vita S. Germani per Conſtant. Hiſt. Epiſc. Autiſſ. apud Labb. Heric. lib. 2. mirac. S. Germani, & Proceſſ. verb. an. 1636.

ALódius primùm inter beáti Germáni diſcípulos vitæ ſanctimóniâ præcélluit: deínde ad ſedem ejus aſſúmptus eſt. Is imitátor & tanti heres magíſtri, créditam ſibi plebem verbo & exémplo dócuit. Virtútum ejus odóre alléċti plúrimi, ad eum è vicínis provínciis confluébant, quos vel ipſe patérnâ caritáte erudiébat, vel Mamertíno abbáti, qui Alógio ſuccéſſerat, Chriſtiánæ vitæ præcéptis imbuéndos commendábat. Poſt exáctos in vigília paſtoráli annos circiter viginti, ad ætérna præmia vocátus eſt die vigéſimâ octávâ Septémbris, & in Basílica ſancti Germáni ſepúltus circa annum quadringentéſimum ſeptuagéſimum ſecúndum. Corpus ejus nono ſéculo in cry-

ptas ejuſdem loci delátum eſt, & prope túmulum beáti Germáni in déxtera parte locátum, ubi háctenus in capſa lígnea ſarcóphago lapídeo inclúſa requiéſcit.

Veſpera de Feſto ſequenti.

Die XXIX.

In Feſto S. MICHAELIS ARCHANGELI, & omnium Angelorum.

Duplex-majus.

In Primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. toni. d.

Vidébitis cœlum apértum, & Angelos Dei aſcendéntes, & deſcendéntes ſupra Fílium hóminis. *Joan.* 1. 51.

Ant. 8. G. Ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo; & mórtui reſúrgent. 1. *Theſſ.* 4. 15.

Ant. 3. *a.* Elevavérunt Chérubim alas ſuas: & glória Dei Iſraël erat ſuper ea. *Ezech.* 11. 22.

Ant. 1. *a.* Vidi Dóminum ſedéntem ſuper ſólium excélſum & elevátum: Séraphim ſtabant ſuper illud. *Iſai.* 6. 1. 2.

Ant. 1. f. Poténtiam virtútis operátus eſt Deus in Chriſto, illum conſtítuens ad déxteram, ſupra omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem, & Dominatiónem. *Epheſ.* 1. 20. 21.

Capitulum. *Colloſſ.* 1. 16.

In Chriſto cóndita ſunt univérſa in cœlis, & in terra; viſibília, & inviſibília, ſive Throni, ſive Dominatiónes, ſive Principátus, ſive Poteſtátes: ómnia per ipſum, & in ipſo creáta ſunt.

℟. Ego Joánnes cécidi ut adorárem ante pedes Angeli, & dixit mihi; Vide ne féceris: *Conſérvus tuus ſum; † Deum adóra. *Apoc.* 22. 8. 9. ℣. Reſpóndit Angelus: Si vis holocauſtum fácere, offer illud Dómino. *Judic.* 13. 16.* Conſérvus. Glória. † Deum.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Christe, qui ſedes Olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremíſcunt intuéndo
Purióres Spíritus,
Da choris junctos ſupérnis
Ore puro pſállere.

Quotquot aſtant, ſempitérnum
Qui tribúnal ámbiunt,
Hi tot ardent imperántis
Ferre juſſa præpetes:
Ire terris, & redíre,
Sacra per commércia.

Inter omnes fulguránti
Enſe victor émicat,
Qui dracónis inſoléntem
Cóntudit feróciam:
De polo truſit rebéllem
In profúnda tártara.

Dum ſupérbum ſternis hoſtem,
Intonas, Quis ut Deus!
Obſtináta turba præceps
Clade commúni ruit:
Te triumphántem corónat;
Qui tibi dat víncere.

Tu decóre vincis omnes
Alitûm pulchérrime;
Aſſides Deo propínquus,
Cónſilì tu párticeps:
Aſtra claudis, & reclúdis,
Noſque ſiſtis júdici.

Te treméndo poſcat æger
Mortis in luctámine,
Advolántis efficácem
Séntiet præſéntiam:
Córporis vinclis ſolútum
Mox ad aſtra tránsferes.

Sit ſupréma laus Paréntì,
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens ſuâ;
Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

℣. Angelus venit, & ſtetit ante altáre, ℟. Habens thuríbulum aúreum. *Apoc.* 8. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Data ſunt Angelo incénſa multa, ut daret de oratiónibus ſanctórum ómnium ſuper altáre aúreum, quod eſt ante thronum Dei. *Apoc.* 8. 3.

Oratio, Deus, qui miro órdine, *infrà ad Laudes.*

Fit Commemoratio S. Alodii, Ant. Beatificávit, ℣. Dedit, xxvj. *Oratio*, Omnípotens Deus, xxv.

Deinde S. Fraterni, Autiſſiodorenſis epiſcopi & martyris; Ant. Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Omnípotens, xj.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Dóminum quem adórant omnes Angeli, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 96. 7.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Chriſte, qui ſedes, *ut in primis Veſperis.*

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Ecce Míchaël unus de princípibus primis venit in adjutórium meum. *Dan.* 10. 13.

Ant. 8. G. Miſſus eſt ángelus Gábriël à Deo ad Vírginem; & nomen Vírginis, María. *Luc.* 1. 26. 27.

Ant. 3. g. Exaudítæ ſunt preces Tobíæ & Saræ, & miſſus eſt ángelus Dómini ſanctus Ráphaël, ut curáret eos. *Tob.* 3. 24. 25.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, ℟. Et erípiet eos. *Pſ.* 33. 8.

Lectiones de Scriptura occurr.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Conſúrget Míchaël princeps magnus, qui ſtat pro fíliis pópuli tui, & in témpore illo * Salvábitur omnis qui invéntus fúerit ſcriptus in libro. *Dan.* 12. 1. ℣. Non intrábit in ſanctam civitátem áliquod coinquinátum, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.* Salvábitur.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Angelus dixit Zacharíæ: Ego ſum Gábriël, qui aſto ante Deum; * Et miſſus ſum hæc tibi evangelizáre, quæ implebúntur in témpore ſuo. *Luc.* 1. 19. 20. ℣. Gábriël venit, & ait ad me: Intéllige: ego oſténdam tibi quæ futúra ſunt. *Dan.* 8. 17. 19. * Et miſſus ſum.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Dixit Ráphaël ad Tobíam ; * Quando orábas cum lácrymis, & ſepeliébas mórtuos, † Ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. *Tob.* 12. 12. ℣. Oratiónes tuæ, & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10.4.* Quando. Glória. † Ego.

In II. Nocturno.

Ant. 4. *irr.* c. Nemo eſt adjútor meus, niſi Míchaël princeps veſter. *Dan.* 10. 21.

Ant. 7. c. Ecce Gábriël locútus eſt mihi ; Septuagínta hebdómades abbreviátæ ſunt, ut impleátur víſio, & ungátur Sanctus ſanctórum. *Dan.* 9. 24.

Ant. 8. G. Dixit Tobíæ Ráphaël ángelus : Ego ſanum ducam, & ſanum tibi redúcam fílium tuum. *Tob.* 5. 20.

℣. Vidit Jacob Angelos Dei aſcendéntes & deſcendéntes per ſcalam, ℟. Et Dóminum inníxum ſcalæ. *Gen.* 28. 12. 13.

De Sermóne ſancti Gregórii papæ.

Homil. 34. *in Evang. poſt init.*

Lectio iv.

Novem Angelórum órdines eſſe, teſtánte ſacro elóquio, ſcimus ; Angelos, Archángelos, Virtútes, Poteſtátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Eſſe namque Angelos & Archángelos ferè omnes ſacri elóquii páginæ teſtántur. Chérubim verò atque Séraphim ſæpe, ut notum eſt, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus apóſtolus ad Ephéſios enúmerat, dicens : [Supra omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem, & Dominatiónem.] Qui rurſus ad Coloſſénſes ſcribens, ait : [Sive Throni, ſive Poteſtátes, ſive Principátus, ſive Dominatiónes . . .] Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephéſios dixit, ... conjungúntur Throni, quinque ſunt órdines, qui ſpeciáliter exprimúntur : quibus dum Angeli, & Archángeli, Chérubim, atque Séraphim adjuncta ſunt ; procul dúbio novem eſſe Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Factum eſt prælium magnum in cœlo ; Míchaël, & Angeli ejus præliabántur cum dracóne : * Et projéctus eſt draco ille magnus, qui ſedúcit univérſum orbem. *Apoc.* 12. 7. 9. ℣. Quómodo cecidiſti de cœlo, Lúcifer ? qui dicébas: Super aſtra Dei exaltábo ſólium meum : ad inférnum detrahéris in profúndum laci. *Iſai.* 14. 12. 13. 15. * Et projéctus eſt.

Lectio v. *Poſt pauca.*

Sciéndum verò quoque, quòd Angelórum vocábulum nomen eſt officii, non natúræ. Nam ſancti illi cœléſtis pátriæ ſpíritus, ſemper quidem ſunt ſpíritus, ſed ſemper vocári Angeli nequáquam poſſunt : quia tunc ſolùm ſunt

Angeli, cùm per eos áliqua nuntiántur. Unde & per Pſalmíſtam dícitur : [Qui facit Angelos ſuos ſpíritus.] Ac ſi paténter dicat : Qui eos, quos ſemper habet ſpíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli ; qui verò ſumma, Archángeli vocántur. Hinc eſt enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, ſed Gábriël archángelus míttitur. Ad hoc quippe miniſtérium, ſummum Angelum veníre dignum fúerat, qui ſummum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus cenſéntur, ut ſignétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant.... Michaël namque, Quis ut Deus : Gábriël autem, Fortitúdo Dei : Ráphaël verò dícitur Medicína Dei.

℟. Dócuit me, dixítque Gábriël : Intéllige viſiónem ; Poſt hebdómades ſexagínta duas occidétur Chriſtus : & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus eſt. * Civitátem & ſanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro. *Dan.* 9. 22. 23. 26. ℣. Erit preſſúra magna ſuper terram, & ira pópulo huic ; & Jerúſalem calcábitur à géntibus. *Luc.* 21. 23. 24. * Civitátem.

Lectio vj.

QUóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibétur ; ut ex ipſo actu & nómine detur intélligi, quia nullus poteſt fácere, quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hoſtis, qui Deo eſſe per ſupérbiam ſímilis concupívit, dicens : [In cœlum conſcéndam, ſuper aſtra cœli exaltábo ſólium meum, ſímilis ero Altíſſimo :] dum in fine mundi in ſua virtúte relinquétur extrémo ſupplício periméndus, cum Michaéle archángelo præliatúrus eſſe perhibétur ; ſicut per Joánnem dícitur : [Factum eſt prælium cum Michaéle archángelo ....] Ad Maríam quoque Gábriël míttitur, qui Dei fortitúdo nominátur : illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas poteſtátes húmilis apparére dignátus eſt.... Ráphaël quoque interpretátur, ut díximus, medicína Dei ; quia vidélicet dum Tobíæ óculos quaſi per offícium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras terſit.

℟. Miſit me Dóminus ut curárem te, & Saram à dæmónio liberárem ; ego enim ſum Ráphaël ángelus, unus ex ſeptem qui aſtámus ante Dóminum : * Pax vobis, nolíte timére. *Tob.* 12. 14. 15. 17. ℣. Grátia vobis & pax ab eo qui eſt, & à ſeptem Spirítibus qui in conſpéctu throni ejus ſunt. *Apoc.* 1. 4. * Pax vobis. Glória. * Pax vobis, nolíte timére.

In III. Nocturno.

Ant. 1. a. Vidit Jóſue virum, evaginátum tenéntem gládium, & ait: Noſter es, an adverſariórum? Qui reſpóndit: Sum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. *Joſue* 5. 13.

Ant. 5. a. Dixit Gábriël: Vir deſideriórum; pax tibi: confortáre, & eſto robúſtus. Et dixi: Lóquere Dómine mi, quia confortáſti me. *Dan.* 10. 19.

Ant. 2. D. Dixit ángelus Ráphaël: Benedícite Deum cœli, & coram ómnibus viventibus confitémini ei, quia fecit vobíſcum miſericórdiam ſuam. *Tob.* 12. 6.

℣. Facit Deus Angelos ſuos ſpíritus, ℟. Et miníſtros ſuos flàmmam ignis. *Hebr.* 1. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 18. 1. *ad* 10.

In illo témpore; Acceſſérunt diſcípuli ad Jeſum, dicéntes: Quis putas, major eſt in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii epíſcopi.

Comment. in Matt. cap. 8.

Vidéte, ne contemnátis unum de puſillis iſtis qui credunt in me.] Arctíſſimum vínculum mútui amóris impóſuit, ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidíſſent. Puſillórum enim Angeli quotídie Deum vident; quia Fílius hóminis venit ſalváre quæ pérdita ſunt. Ergo & Fílius hóminis ſalvat; & Deum Angeli vident; & Angeli puſillórum ſunt. Fidélium oratiónibus præéſſe Angelos abſolúta autóritas eſt.

℟. Cùm Míchaël archángelus cum diábolo díſputans altercarétur de Móyſi córpore, non eſt auſus judícium inférre blaſphémiæ, ſed dixit: * Imperet tibi Dóminus. *Judæ* 9. ℣. Increpet Dóminus in te, ſatan: & íncrepet Dóminus in te. *Zach.* 3. 2. * Imperet.

Lectio viij.

Salvatórum ígitur per Chriſtum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóſè ille contémnitur, cujus deſidéria ac poſtulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum, ambitióſo Angelórum famulátu ac miniſtério pervehúntur. Atque ut ingéntem eſſe in cœlis lætítiam réditu humánæ ſalútis oſténderet, comparatiónis póſuit exémplum, ejus qui oves nonagínta novem in móntibus reliquíſſet, & erràntem unam requisíſſet; quâ invéntâ, plus gaúdii ſit, quàm habebátur in nonagínta novem conſervatióne, lætítiæ.

℟. Ait Gábriël ad me: Noli metúere,* Exaudíta ſunt verba tua: & veni ut docérem te quæ ventúra ſunt pópulo tuo in noviſſimis. *Dan.* 10. 12. 14. ℣. Aſcéndit fumus incenſórum de oratiónibus ſanctórum de manu Angeli coram Deo. *Apoc.* 8. 4. * Exaudíta.

Lectio ix.

QUis una, homo intelligéndus eſt; & ſub hómine uno univérſitas ſentiénda eſt. Sed in unius Adæ erróre, omne hóminum genus aberrávit. Ergo nonagínta novem non errántes, multitúdo Angelórum cœléſtium opinánda eſt; quibus in cœlo eſt lætítia & cura ſalútis humánæ. Igitur, & quærens hóminem, Chriſtus eſt; & nonagínta novem relícti, cœléſtis glóriæ multitúdo eſt: cui cum máximo gaúdio, errans homo in Dómini córpore eſt relátus.

℟. Dixit ángelus Ráphaël: Cùm eſſem vobíſcum, per voluntátem Dei eram, tempus eſt ut revértar ad eum, qui me miſit; vos autem * Benedícite Deum, & † Narráte ómnia mirabília ejus. *Tob.* 12. 17. 18. 20. ℣. Timéte Dóminum, & date illi honórem, & adoráte eum. *Apoc.* 14. 7. * Benedícite. Glória. † Narráte.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, ℟. Poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Pſ.* 102. 20.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

ECce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens: & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spíritus Dei. *Apoc.* 4. 2. 5.

Ant. 1. f. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ſtantes ante thronum: & omnes Angeli ſtabant in circúitu throni. *Apoc.* 7. 9. 11.

Ant. 5. a. Thronus ejus flammæ ignis: míllia míllium miniſtrábant ei. *Dan.* 7. 9. 10.

Ant. 6. F. Omnes Angeli cecidérunt in conſpéctu throni in fácies ſuas. *Apoc.* 7. 11.

Ant. 7. *d.* Adoravérunt Deum, dicéntes: Amen, Benedíctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro, in ſécula ſeculórum. *Apoc.* 7. 11. 12.

Capitulum. *Apoc.* 5. 13.

OMnes audívi dicéntes: Sedénti in throno, & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potéſtas in ſécula ſeculórum.

Hymnus. *Santol. Vict.*

MIlle, quem ſtipant ſólio ſedéntem
Córporis puræ ſinè mole mentes,
Chriſte, quos fuſo tibi conſecráſti
Sánguine, ſerva.

Quas tenent cellas ſuper aſtra ſedes
Spíritus, nobis quoque præparáſti;
Ut viam monſtrent, ſócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei nunquam temeránda jura

Vindicat ſacris animóſus armis,
Prompta perdéndos Míchaël in hoſtes
Arma miníſtret.

Nuntius felix melióris ævi,
Fauſta qui mundo Gábriël tuliſti,
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.

Corporis morbos, tenebráſque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui ſeni cæco, Ráphaël, dediſti
Cérnere ſolem.

Gratias Regi ſúperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant;
Quem fides veri ſtudióſa, trinum
Credit & unum. Amen.

℣. Benedícite omnes Virtútes Dómini Dómino; ℟. Laudáte & ſuperexaltáte eum in ſǽcula. *Dan*, 3, 61.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. E. Benedíctus es, Dómine Deus, in throno regni tui. Benedícite Angeli Dómini Dómino; laudáte & ſuperexaltáte eum in ſǽcula. *Dan.* 3. 54. 58.

Oratio.

Deus, qui miro órdine Angelórum miniſtéria hominúmque diſpénſas; concéde propítius, ut, à quibus tibi miniſtrántibus in cœlo ſemper aſsiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniátur; Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. Fraterni, Ant. Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Oratio*, Omnipotens, xj.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Ecce.

Ad Tertiam, *Ant.* Vidi turbam magnam.

Capitulum. *Apoc.* 19. 1.

Audívi quaſi vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium; Allelúia: ſalus, & glória, & virtus Deo noſtro eſt.

℟. *breve*, In conſpéctu Angelórum pſallam tibi; * Allelúia, allelúia. ℟. In conſpéctu. ℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum. * Allelúia. Glória. ℟. In conſpéctu. *Pſ.* 137. 12.

℣. Benedíctus es, qui intuéris abyſſos, & ſedes ſuper Chérubim; ℟. Et laudábilis, & ſuperexaltátus in ſǽcula. *Dan.* 3. 55.

Ad Sextam, *Ant.* Thronus ejus.

Capitulum. *Apoc.* 11. 15.

Factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Factum eſt regnum hujus mundi, Dómini noſtri & Chriſti ejus, & regnábit in ſǽcula ſæculórum. Amen.

℟. *breve*, Laudáte Dóminum in cymbalis jubilatiónis; * Allelúia, allelúia. ℟. Laudáte. ℣. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. * Allelúia. Glória. ℟. Laudáte. *Pſ.* 150. 5. 6.

℣. Benedícite Dómino om-

nia ópera ejus, ℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Pſ.* 102. 22.

AD NONAM, *Ant.* Adoravérunt.

Capitulum. *Apóc.* 4. 11.

DIgnus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriam, & honórem, & virtútem; quia tu creáſti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta ſunt.

℟. *breve*, Laudáte Dóminum omnes Angeli ejus; * Allelúia, allelúia. ℟. Laudáte. ℣. Laudáte eum omnes Virtútes ejus. * Allelúia. Glória. ℟. Laudáte. *Pſ.* 148. 2.

℣. Adoráte eum omnes Angeli ejus: ℟. Audívit, & lætáta eſt Sion. *Pſ.* 96. 8.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* D.

VIdi ſeptem Angelos ſtantes in conſpéctu Dei; & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. *Apoc.* 8. 2.

Ant. 2. D. Mittet Fílius hóminis Angelos ſuos cum tuba, & voce magna; & congregábunt eléctos ejus à quátuor ventis. *Matt.* 24. 31.

Ant. 3. a. Exíbunt Angeli, & ſeparábunt malos de médio juſtórum. *Matt.* 13. 49.

Ant. 4. E. Angeli cólligent de regno ejus ómnia ſcándala, & eos qui fáciunt iniquitátem; & mittent eos in camínum ignis. *Matt.* 13. 41. 42.

Ant. 5. D. Qui digni habebúntur ſéculo illo, & reſurrectióne ex mórtuis, æquáles Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectiónis. *Luc.* 20. 35. 36.

Capitulum. *Hebr.* 12. 22. 23.

ACceſsiſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jerúſalem cæléſtem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Eccléſiam primitivórum, qui conſcrípti ſunt in cœlis.

℟. Audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & * Erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: † Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem & divinitátem. *Apóc.* 5. 11. 12. ℣. Décies míllies centéna míllia aſſiſtébant ei. *Dan.* 7. 11. * Erat númerus. Glória. † Dignus eſt.

Hymnus, Mille, quem ſtipant, *ut in Laudibus.*

℣. Benedícite Dómino omnes Virtútes ejus; ℟. Miníſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. *Pſ.* 102. 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Nonne omnes Angeli ſunt adminiſtratórii ſpíritus, in miniſtérium miſſi propter eos, qui hereditátem cápient ſalútis? *Hebr.* 1. 14.

Fit Commemoratio S. *Hieronymi*, *Ant.* Beátus vir, ℣. Beátus homo, xxxiij. *Oratio*, Deus, qui Eccléſiæ tuæ, *infrà.*

Die XXX.
In Feſto
S. HIERONYMI PRESBYTERI, & Eccleſiæ Doctoris.
Duplex majus.
De Communi SS. Doctorum, xxxiv. præter Orationem.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Operibus S. Hieronymi.

Hierónymus, Stridóne in finibus Dalmátiæ & Pannóniæ Euſébio patre natus, puer à Donáto liberálibus diſciplínis Romæ eſt inſtitútus, ubi diébus Domínicis Apoſtolórum & Mártyrum ſepúlcra circuíre, crebróque cryptas íngredi cum æquálibus conſuéverat. Suſcépto ibi adúltâ jam ætáte baptíſmo, ſacrárum litterárum ſtúdio, quo totus ardébat, Gállias peragrávit; Treviríſque ſancti Hilárii librum de Synodis ſuâ manu deſcrípſit. Perluſtrátis deínde Thráciâ, Ponto, Bithyniâ, Galátiâ, Cappadóciâ & Cilíciâ, inſtructus bibliothécâ quam Romæ ſibi ſummo labóre conféceràt, in Chálcidis Syriæ ſolitúdinem ſe recépit. Ibi, ut importúnas cogitatiónes quas jejúniis & précibus non vícerat, jugi ſtúdio abígeret, Judæo ad fidem convérſo, ſe in diſciplínam dedit, ut linguam Hebráïcam edóctus, ſacræ Scriptúræ ſenſum, fàcíliùs intellígeret. Aliquándo interrogátus, unam an tres confiterétur hypóſtaſes; incértus étiam ad quam ſe partem adjúngeret, exórto Antiochíæ Vitálem inter & Paulínum ac Melétium diſsídio, Dámaſum pontíficem Románum conſúluit unam an tres hypóſtaſes dícere, & cui ex tribus Epíſcopis communicáre debéret.

Lectio v.

Exácto in eo ſecéſſu quadriénnio, vexátus ab invidis, & hæréſeos poſtulátus, ex erémo diſcédens, Antiochíam venit, ubi à Paulíno cui adhæſerat, eâ conditióne ordinári ſe preſbyterum paſſus eſt, ut nulli addíctus Eccléſiæ, quam ampléxus fúerat mónachi vitam non deſéreret. Cùm deínde Jeroſólymis & Béthlehem aliquándiu manſíſſet, Conſtantinópolim ſe cóntulit, ibíque Gregórium Nazianzénum ſacras lítteras explanántem frequens audívit. Romam póſtmodum, ob Antiochíæ aliarúmque Eccleſiárum diſſenſiónes, cum Paulíno & Epiphánio profectum Dámaſus retínuit, ut eo uterétur in conſcribéndis epíſtolis, ac reddéndis ad Synódicas Oriéntis & Occidéntis conſultatiónes reſpónſis. Romæ triénnio commorátus, poſt óbitum Dámaſi, Béthlehem ad incunábula Redemptóris in extrúcto à Paula monaſtério réliquum vitæ tempus exégit.

Lectio vj.

Sacros códices commentáriis illuſtrávit; & quò cér-

tiùs genuínum illórum ſenſum aſſequerétur, síngula Palæſtínæ loca ſédulò invíſit, adhíbito Judæórum eruditiſſimórum collóquio. Alexándriam ætáte jam provéctus pétiit, de difficilióribus Scriptúræ locis Didymum conſultúrus. Novo Teſtaménto Græcæ fidei réddito, vetus juxta Hebráïcam tránſtulit. Pſaltérium quo deínceps Ecclésia Latína uſa eſt, ſecúndùm Septuagínta editiónem mendis purgávit. Multa étiam doctórum virórum ſcripta latínè reddidit. Luciferiános, Helvídium, Vigilántium, Joviniánum, Pelágium ſcriptis ácriter inſectátus eſt. Tantam hiſce opéribus eruditiónis famam ſibi comparávit, ut ejus ſenténtiam ſanctus Auguſtínus, & álii paſſim de árduis quæſtiónibus ſæpe rogárent. Caritátem cum ſciéntia cópulans, captâ everſâque à Gothis Româ, nóbiles Romános qui ad extrémam inópiam redácti fúerant, in monaſtério Bethlehemitáno benígnè excépit. Tandem in ſumma senectúte febre corréptus, migrávit ad Dóminum, Theodóſio junióre & Honório imperántibus, anno Chriſti quadringentéſimo vigéſimo. Ejus corpus apud Béthlehem ſepúltum, póſtea Romam tranſlátum, in Baſílica ſanctæ Maríæ majóris ad Præſépe cónditum eſt.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 13. *ad* 19.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Preſbyteri.

Comment. in cap. 2. *Aggæi.*

COnsídera Sacerdótum eſſe offícii, de lege interrogánti reſpondére. Si Sacérdos eſt, ſciat legem Dómini; ſi ignórat legem, ipſe ſe árguit non eſſe Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim eſt ſcire legem, & ad interrogatiónem reſpondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut sícubi in úrbibus Iſraël quæſtio fúerit exórta inter ſánguinem & ſánguinem, inter judícium & judícium, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, & ad Pontíficem, qui in diébus illis fúerit conſtitútus, & quærant ab eo legem Dómini: quibus reſpondéntibus, fáciant quod jubéntur. Quòd ſi non fécerint, exterminéntur de pópulo.

Lectio viij.

ET ne fórſitan in véteri ſolùm inſtruménto hæc præcépta videántur, lóquitur & Apóſtolus ad Timótheum

Epiſcopum non ſolùm irreprehènſibilem eſſe debére, & uníus uxóris virum, & ſapiéntem, & pudícum, & ornátum, & hoſpitálem, ſed étiam doctórem...... Hæc póſui, ut tam ex véteri quám ex novo Teſtaménto Sacerdótum eſſe officium novérimus, ſcire legem Dei, & reſpondére ad quæ fúerint interrogáti: nec ſimplicitátem & cibórum continéntiam in magíſtro ſufficere, niſi quod ipſe facit, poſſit & álios erudíre.

Lectio ix.

CErtè quia reſponſúros puto, hoc eórum eſſe qui ſe ab adoleſcéntia præparant ad docéndum; frequénter autem judício Dómini, & populórum ſuffrágio in Sacerdótium símplices éligi: Saltem illud hábeant, ut poſtquam Sacerdótes fúerint ordináti, diſcant legem Dei, ut poſſint docére quod didícerint; & aúgeant ſciéntiam magis quàm opes, & non erubéſcant à láicis diſcere, qui nóverint ea quæ ad officium pértinent Sacerdótum: magíſque noctes & dies in Scripturárum tractátu quàm in ratiocíniis & ſupputatióne conſúmant.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiæ tuæ in exponéndis ſacris Scriptúris beátum Hierónymum doctórem máximum providére dignátus es; præſta, quæſumus, ut ejus ſuffragántibus méritis, quod ore ſimul & ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus; Per Dóminum noſtrum.

Veſpera de Feſto ſequenti.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

In Feſto Depoſitionis SANCTI GERMANI, AUTISSIOD. EPISCOPI.

Duplex-majus.

[*In Cathedrali Semiſolemne.*]

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. toni. D.

TIménti Dóminum bene erit in extrémis, & in die defunctiónis ſuæ benedicétur. *Eccli.* 1. 13.

Ant. 3. *a.* Si permánſerit, nomen derelínquet pluſquam mille: & ſi requiéverit, próderit illi. *Eccli.* 39. 15.

Ant. 3. E. Deprecátio illíus uſque ad nubes propinquábit: & non diſcédet donec Altíſſimus áſpiciat. *Eccli.* 35. 20. 21.

Ant. 4. E. Requiéſcent in cáſula illíus bona per ævum; protegétur ſub tégmine ſapiéntiæ, & in glória ejus requiéſcet. *Eccli.* 14. 25. 27.

Ant. 5. a. Erit quaſi oliva glória ejus, & odor ejus ut Líbani; converténtur ſedéntes in umbra ejus. *Oſee* 14. 7. 8.

Capitulum. 1. *Cor.* 3. 8. 9.

UNuſquíſque própriam mercédem accípiet ſecúndùm ſuum labórem. Dei enim ſumus adjutóres: Dei

agricultúra eſtis, Dei ædificátio eſtis.

℟. Oriétur in ténebris lux tua, & réquiem tibi dabit Dóminus ſemper; * Implébit ſplendóribus ánimam tuam, & † Oſſa tua liberábit. *Iſai.* 58. 10. 11. ℣. Deus reddet iis qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis glóriam & incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. *Rom.* 2. 7. * Implébit. Glória. † Oſſa.

Hymnus.

Qualis morantem contínuis puer
Votis paréntem flágitat ánxius,
Deſiderátum ſic fidélis
Pontíficem pópulus repóſcit.

Reverte tandem, jam tóties tuis,
Germáne, raptus: ſénſerit útilem
Utérque Brito, verus ipſi
Grex ſumus, & genuína proles.

Nec ille terras quámlibèt éxteras,
Ipſóſque juſſus víſere Cæſares,
Depónit afféctum paréntis,
Aut gregis immemor eſt relícti.

Summos honóres inter, & aúlicos
Períndè plauſus, Aútrica cívitas
Menti recúrſat: prima cura
Grex fúeras, eris & ſupréma.

Ovile quòd ſi dulce revíſere
Ipſi negat mors dura ſupérſtiti;
His, unde mens avúlſa nunquam,
Mórtuus his requiéſcet oris.

Qui Paſtor idem, qui Pater óptimus,
Laus, Chriſte, cunctis ſit tibi ſéculis.
Qui ſic ament nos, ſic améntur
Huic ſímiles tríbuas Paréntes. Amen.

℣. Ingrediéris in abundántia ſepúlcrum, ℟. Sicut inſértur acérvus trítici in témpore ſuo. *Job* 5. 26.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D.* (*In Cathedrali duplicatur.*) Deſóſſus ſecúrus dórmies: requiéſces, & deprecabúntur fáciem tuam plúrimi. *Job* 11. 18. 19.

Oratio, Deus, qui nos beáti Germáni, *infrà ad Laudes.*

Fit Commemoratio S. Hieronymi, *Ant.* Non recédet, ℣. Sápiens, xxxix. *Oratio*, Deus, qui Eccléſiæ tuæ, *ut ſuprà.*

Deinde S. Remigii, Remenſis epiſcopi, *Ant.* Reſpéxit, ℣. Quæſívit, xxj. *Oratio*, Deus, qui per beáti, *infrà*, 402.

[Ad Completorium, *In Cathedrali*, *Oratio*, Deus, qui nos beáti Germáni, *infrà in Laudibus*, & Véritas, *ſub una concluſione.*]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Dóminum qui mirificávit ſanctum ſuum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 4. 4.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

FINEM pone tuis plebs pia flétibus,
Non totum rápuit mors tibi Præſulem:
Vectus mille per urbes
Sublími féretro redit.

SED non qualis iit paúpere pállio.
Hoc tellus ſpólium víndicat hóſpita:
Nunc exángue cadáver
Luxu regífico nitet.

VOS montes túmidum ſúbdite vérticem,
Et gaudéte premi; ſúbdita vállium
Exultáte, benígnum
Signant múnera tránſitum.

QUÆ non ſenſit opem terra, quod óppidum?
Membris quæ jácuit nuper inértibus,
Membris ire ſolútis
Admiráta Placéntia.

QUÆ, Germáne, fuit cura potíſſima,
O mentes útinam, córpora dum levas,
Quo torpóre gravántur,
Virtus éxcitet æmula!

CUJUS parta venit múnere ſánctitas,
Hæc laus, Chriſte, tibi tota refúnditur:
Dum nos membra verémur,
Suprémum cóleris caput.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. *D.* Effúndo in conſpéctu Dómini oratiónem meam, in deficiéndo ex me ſpíritum meum. *Pſ.* 141. 3. 4.

Ant. 1. D. Exquiſívit te fácies mea: fáciem tuam, Dómine, requíram. *Pſ.* 26. 8.

Ant. 4. f. In multitúdine miſericórdiæ tuæ, Dómine, introíbo in domum tuam; adorábo ad templum ſanctum tuum. *Pſ.* 5. 8.

℣. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: ℟. Proptérea exſpectábo eum. *Thren.* 3. 24.

Lectiones de Scriptura occurr.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Concáluit cor meum intrà me: * Et nunc quæ eſt expectátio mea? Nonne Dóminus? *Pſ.* 38. 4. 8. ℣. Velox eſt depoſítio tabernáculi mei, ſecúndùm quod & Dóminus noſter Jeſus Chriſtus ſignificávit mihi. 2. *Petr.* 1. 14. * Et nunc.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Nunc, Dómine, ſecúndùm voluntátem tuam fac mecum, & * Præcipe in pace récipi ſpíritum meum. *Tob.* 3. 6. ℣. Ego jam delíbor, & tempus reſolutiónis meæ inſtat. 2. *Tim.* 4. 6. * Præcipe.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus. *Pſ.* 121. 1. ℣. Repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ, quam

reddet mihi Dóminus. 2. *Tim.* 4. 8. * In domum. Glória. * In domum.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. d. Majóres natu Eccléſiæ cùm ſimul eſſent, dixit eis: Ecce ego ſcio quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam. *Act.* 20. 18. 25.

Ant. 7. c. Dixit: Quid fácitis flentes, & affligéntes cor meum? Ego enim mori parátus ſum. *Act.* 21. 13.

Ant. 7. b. Præcépit eis, dicens: Ego cóngregor ad pópulum meum: ſepelíte me cum pátribus meis. *Gen.* 49. 29.

℣. Iſte conſolábitur nos ℟. Ab opéribus & labóribus mánuum noſtrárum in terra. *Gen.* 5. 29.

Lectio iv.

Ex ejus vita autore Conſtant. Chron. Adonis; Heric. de mirac. S. Germ. Hiſt. Ep. Autiſſ. apud Labb. Concil. ejuſd. Labb. t. 5. veteribus Martyrol. & aliis.

BEátus Germánus Ravénnam proféctus, ut véniam pro Aremóricis rebéllibus impetráret, à Valentiniáno imperatóre ejúſque matre Placídia magno cum honóre excéptus eſt. Ibi mortem ſuam, quam Deo reveláte nóverat, ſex Epíſcopis qui júgiter illi aſſidébant prænuntiávit. Morbo corréptus, ab Imperatríce pétiit, quod invíta concéſſit, ut corpus pátriæ redderétur. Séptimo ægrotatiónis die, imménſis labóribus jejuniíſque magìs quàm ſénio fractus, ad ætérna præmia evocátus eſt. Veſtes ejus licèt viles, ampliſſimæ hereditátis loco divíſæ ſunt. Cápſulam Sanctórum relíquias continéntem, quam ſemper geſtáverat, Regína ſumpſit. Cucúllam cum interióre cilício ſibi vindicávit Petrus Ravénnæ epíſcopus, cognoménto Chryſólogus. Sex Antíſtitum unus pállium, cíngulum alter accépit: duo túnicam, duo ſágulum partíti ſunt. Achólius regális cubículi præféctus arómatis corpus condívit, Regína véſtibus ornávit. Imperátor evectiónes neceſſárias præbuit; & miníſtros deducéndo fúneri deſtinátos copióſâ largitióne proſecútus eſt. Corpus cypreſſíno lóculo fuit inclúſum; ac ne ſacris exéquiis deéſſent offícia religiónis, Epíſcopis curæ fuit. Ita funus ambitióſè inſtrúctum, magno proſequéntium ágmine promovétur ad Gállias.

℟. Locútus eſt frátribus ſuis: cúmque adjuráſſet eos, atque dixíſſet: Aſportáte oſſa mea de loco iſto, mórtuus eſt: * Et condítus aromátibus, repóſitus eſt in lóculo. *Gen.* 50. 23. 24. 25. ℣. Fide móriens, de óſſibus ſuis mandávit. *Hebr.* 11. 22. * Et condítus.

Lectio v.

PLacéntiæ cùm ſub féretro ſancti Præſulis matróna quædam paralytica pernoctáſ-

ſet, ſanâta ſurréxit. Satúrnus Germáni preſbyter & diſcípulus, qui divínâ revelatióne Magíſtri óbitum Autiſſiodóri nóverat, ad Alpium juga óbviàm properávit. Corpus per Viénnam deportátum, in Ecclésia recèns ædificáta depóſitum eſt ipſo Dedicatiónis die: ſicque implétum eſt quod Germánus illac tránſiens promíſerat, ſe illíus Dedicatióni affutúrum. Tandem Autiſſiodórum corpus ſacrum pervénit, & in Ecclésia Cathedráli depóſitum eſt die Septémbris vigéſimâ ſecúndâ. Cùm verò nulla eſſet confluéntium réquies, & qui convénerant vix jam regiónis amplitúdine caperéntur; die primâ Octóbris cónditum fuit in Oratório ſancti Mauríci, quod ab ipſo Germáno conſtrúctum fúerat, & póſtea ejus nomen accépit. Hujus Depoſitiónis ſolemnitátem exinde plures Galliárum Ecclésiæ quotánnis celebrárunt: plurimáſque ſub invocatióne ſancti Germáni Baſílicas erexérunt notæ ſanctitátis Præſules.

℟. Celebrántes exéquias plánctu magno, fecérunt ſicut præcéperat eis, & * Portántes eum in terram, ſepeliérunt eum. *Gen.* 50. 10. 12. 13. ℣. Defúnctus eſt & ſepúltus, & ſepúlcrum ejus eſt apud nos uſque in hodiérnum diem. *Act.* 2. 29. * Portantes eum in terram, ſepeliérunt eum.

Lectio vj.

CRebreſcéntia ad túmulum ſancti Germáni mirácula, insígni famâ celebrántur ſéculo ſexto: unde beátus Nicétius Trevirórum epíſcopus ad Chlodoſuíndam Longobardórum regínam ſcribens, hæréticos Autiſſiodórum mitti optábat, ut ſignórum teſtes ad fidei Cathólicæ veritátem reduceréntur. Quam regína Clotíldis ſuper ejus túmulum eréxerat Baſílicam, hanc nono ſéculo amplificávit Conrádus comes, & cryptas adjécit. Tum facta eſt Caléndis Septèmbris ſacri túmuli tranſlátio; áltera rurſus in cryptas novas, anno poſt primam décimo octávo: útraque præſénte rege Cárolo Calvo, qui íntegrum atque incorrúptum Germáni corpus vidit & mirátus eſt. Tribus póſt annis aliórum Sanctórum córpora, quæ in eádem Ecclésia quieſcébant, circa idem ſepúlcrum collocáta ſunt. Lothárius Cároli regis fílius, in monaſtério ſancti Germáni à téneris educátus, capſam dedit pretioſíſſimam, in qua ſacrum corpus repóſitum fuit, & ad Calvinianórum uſque témpora permánſit. Sanctiſſimi Præſulis veſtiménta quædam, quibus ad ſacra utebátur, Heribáldus epíſcopus nono ſéculo thecâ incluſerat. Eórum pars major ab hæreticórum mánibus incólumis, háctenus in Ecclésia

Cathedráli aſſervátur. Beáti Germáni váriis in calamitátibus præſens auxílium tóties expérti ſunt Autiſſiodorénſes, ut méritò tutéla pátriæ, imò Gálliæ totíus, Herico teſte, habeátur.

℟. Sepeliérunt eum in civitáte, & flevérunt eum omnis pópulus, * Et dixérunt: Quómodo cécidit potens, qui † Salvum faciébat pópulum Iſraël! 1. *Mach.* 9. 19. 20. ℣. Fecérunt planctum magnum ſuper eum. *Act.* 8. 2. * Et dixérunt. Glória. † Salvum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Congregátus eſt omnis Iſraël, dicens: Os tuum ſumus, & caro tua: tu eras edúcens & redúcens Iſraël. 1. *Par.* 11. 1. *&* 2. *Reg.* 5. 2.

Ant. 5. *F.* Multi paralytici & claudi curáti ſunt. Factum eſt ergo gaúdium magnum in civitáte. *Act.* 8. 8. 9.

Ant. 8. *G.* Concurrébat multitúdo vicinárum civitátum, afferéntes ægros, & vexátos à ſpirítibus immúndis, qui curabántur omnes. *Act.* 5. 16.

℣. Mórtuum prophetávit corpus ejus: ℟. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília. *Eccli.* 48. 14. 15.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 22. 23. *ad* 32.

IN illo die acceſſérunt ad Jeſum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectiónem, & interrogavérunt eum. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 26. *in Epiſt.* 2. *ad Cor.*

SEpúlcra ſervórum Crucifixi régiis aulis ſplendidióra ſunt, non ſolùm magnitúdine & pulcritúdine ædificiórum; (nam étiam in hoc ſúperant,) ſed, quod multò majus eſt, accedéntium ſtúdio. Nam & is qui púrpurâ indútus eſt, ad illa ſepúlcra ſe confert, ut ea ampleḃtátur; abjectóque faſtu, ſupplex ſtans Sanctos deprecátur, ut ipſi apud Deum ſibi præſídio ſint; atque ut & tentoriórum opíficem & piſcatórem, & quidem mórtuos, patrónos hábeat, óbſecrat qui diadémate cinctus eſt. Ergóne, dic quæſo, horum Dóminum mórtuum dícere audébis, cujus ſervi étiam defúncti, Imperatórum orbis defenſóres ſunt.

℟. Virtútes non quáſlibet faciébat Deus; ita ut ſuper lánguidos deferréntur à córpore ejus ſudária; * Et recedébant ab eis languóres. *Act.* 19. 11. 12. ℣. Miſericórdia tua, Dómine, advéniens ſanábat illos. *Sap.* 16. 10. * Et recedébant.

Lectio viij. *Poſt pauca.*

QUòd ſi cum imperatóriis aulis hæc ſepúlcra conférre velis, penès hæc rurſus victória futúra eſt. Hic enim

multi ſunt qui turbam ſubmóveant ; hìc contrà multi qui invítent ; atque dívites & paúperes, viros & féminas, ſervos & líberos áttrahant. Illic ingens terror, hìc ineffábilis volúptas. At dulce ſpectáculum eſt Imperatórem auro amíctum & corónâ redimítum vidére, aſtantéſque exercítuum duces, præféctos, tribúnos, centurióNes, prætóres. Verùm hæc ádeo illis auguſtióra & terribilióra ſunt, ut illa præ iſtis ſcena ac ludus eſſe videántur. Simul enim atque límina tranſilíeris ; locus ipſe mentem ad cœlum, ad ſupérnum Regem, ad exércitum Angelórum, ad ſublímem thronum, ad inacéſſam glóriam tranſmíttit.

℟. Acceſſérunt omnes à parvo uſque ad magnum, dixerúntque : * Cadat orátio noſtra in conſpéctu tuo, & ora pro nobis ad Dóminum. *Jer.* 42. 1. 2. ℣. Multùm valet deprecátio juſti aſsídua : orávit, & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum ſuum. *Jac.* 5. 16. 18. * Cadat.

Lectio ix. *Paulò pòſt.*

SAnctórum oſſa dæmones ſiſtunt & excrúciant ; acerbiſſimíſque vínculis eos qui aſtrícti ſunt, ſolvunt. Quid hoc tribunáli terribílius? Cùm nemo cernátur, nemo dæmonis láteri incúmbat ; voces & dilaceratiónes, vérbera, cruciátus, linguæ conflagrántes audiúntur ; dæmone admirábilem illam poténtiam non ferénte. Atque iſti qui córpora geſtárunt, virtútes incorpóreas ſúperant ; pulvis & oſſa & cinis invisíbiles illas natúras excarníficant. Ideóque nemo eſt qui peregrinatiónem unquam iníre ſuſtíneat, ut imperiáles aulas vídeat : contrà multi plerúmque Imperatóres péregre proféćti ſunt, ut hoc ſpectáculo fruerèntur. Sanctórum enim Mártyrum templa futúri judícii veſtígia & ſigna exhibent, dum dæmones flagris cædúntur ; hómines torquéntur, ac liberántur. Vides quæ ſit vis Sanctórum étiam defunctórum.

℟. Firmaméntum gentis, rector fratrum, ſtabiliméntum pópuli : * Oſſa ipsíus viſitáta ſunt, & poſt mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49. 17. 18. ℣. Teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perhibénte Deo ; & defúnctus adhuc lóquitur. *Hebr.* 11. 4. * Oſſa ipsíus. Glória. * Oſſa ipsíus.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Lætificábat Jacob in opéribus ſuis ; ℟. Et in ſéculum memória ejus in benedictióne. 1. *Mach.* 3. 7.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

SUper ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem ;

diem : & ſuper cuſtódiam meam ego ſum , ſtans totis nóctibus. *Iſai.* 21. 8.

Ant. 7. a. Teſtis mihi eſt Deus quómodo cúpiam omnes vos in viſcéribus Jeſu Chriſti. *Philipp.* 1. 8.

Ant. 3. E. Sine intermiſſióne memóriam veſtrì fácio ſemper in oratiónibus meis. *Rom.* 1. 9. 10.

Ant. 4. a. Nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hereditátem in ſanctificátis ómnibus. *Act.* 20. 32.

Ant. 8. c. Spero quòd uſque in finem cognoſcétis, ſicut & cognovíſtis, quòd glória veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra. 2. *Cor.* 1. 13. 14.

Capitulum. Coloſſ. 1. 9. 10.

NOn ceſſámus pro vobis orántes, & poſtulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni ſapiéntia & intelléctu ſpirituáli; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes.

Hymnus.

MAGNI fama volat núntia gaúdii :
Portis ecce ruit turba paténtibus,
Omnis ſexus & ætas,
Quos fecit ſtúdium pares.
ASPEXERE ſimul : quis venerábilis
Non optávit onus tóllere córporis ?
Quis non óſcula ferre
Sacris ámbiit ártubus ?
NEUTRUM ſi líceat, quod licet ómnibus,
Grato corde fovent, laúdibus éfferunt :
Pulſus cántibus æther
Hymnis áccinit æmulis.
ERGO nos réducem conſpícimus Patrem !
Te, Germáne, frui perpétuùm datur.
O ſi luce fruéntem,
Non qualem modò cérnimus !
AFFECTU vário lætítia & dolor
Certant ancípites fúndere lácrymas ;
Sed quas élicit unus,
Qui fons ómnibus eſt, amor.
TU Germáne : polo vivis, & Aútricum
Spectas uſque gregem ; vitáque dum fuit,
(Quod prædíxit Amátor,)
Nunc & mórtuus ádjuvas.
CUJUS parta venit múnere ſánctitas,
Hæc laus, Chriſte, tibi tota refúnditur :
Dum nos membra verémur,
Suprémum cóleris caput.
Amen.

℣. Non ceſſes pro nobis clamáre ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Ut ſalvet nos. 1. *Reg.* 7. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. C. (*In Cathedrali duplicatur.*) Scriptus es in judíciis témpo-

rum lenire iracúndiam Dómini, & reſtitúere tribus Jacob. *Eccli.* 48. 10.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Germáni pontíficis poténti præsídio circúndas & prótegis; Depoſitiónem córporis ejus celebrántes exaúdi propítius, ut aſsíduis tanti Patróni ſuffrágiis, tuam ſemper miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno; Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. Remigii. Ant. In bonitáte, ℣. Státuit, xxv.

Oratio.

DEus, qui per beáti pontíficis Remígii documénta, Francórum tibi colla ſubdidíſti ferócia; largíre ſupplícibus tuis, ut per iter ſalútis quo idem Paſtor incéſſit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Super ſpéculam.

[*In Cathedrali, Oratio,* Deus, qui nos beáti Germáni, *ſuprà, &* Dómine ſancte, Pater omnípotens, *ſub una concluſione.*] "

Ad Tertiam, *Ant.* Teſtis mihi.

Capitulum. *Hebr.* 6. 11. 12.

CUpimus unumquémque veſtrûm eándem oſtentáre ſolicitúdinem, ad expletiónem ſpei uſque in finem, ut non ſegnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hereditábunt promiſſiónes.

℟. *breve*, Ad vos cor noſtrum dilatátum eſt, * Allelúia, allelúia. ℟. Ad vos. ℣. Tanquam filiis dico, dilatámini & vos. * Allelúia. Glória. ℟. Ad vos. 2. *Cor.* 6. 11. 13.

℣. Habémus ſolicitúdinem pro vobis, ℟. Coram Deo. 2. *Cor.* 7. 12.

Ad Sextam, *Ant.* Sine intermiſſióne.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 3. 12.

DOminus abundáre fáciat caritátem veſtram in ínvicem, & in omnes, quemádmodum & nos in vobis.

℟. *breve*, Abſit à me ut ceſſem oráre pro vobis, * Allelúia, allelúia. ℟. Abſit à me. ℣. Timéte Dóminum, & ſervíte ei in veritáte. * Allelúia. Glória. ℟. Abſit à me. 1. *Reg.* 12. 23. 24.

℣. Gaudémus propter vos ante Deum noſtrum, ℟. Nocte ac die abundántiùs orántes. 1. *Theſſ.* 3. 9. 10.

Ad Nonam, *Ant.* Spero.

Capitulum. 4. *Reg.* 19. 34.

HÆc dicit Dóminus: Prótegam urbem hanc, & ſalvábo eam propter me, & propter ſervum meum.

℟. *breve*, Benedictióne juſtórum exaltábitur cívitas, * Allelúia, allelúia. ℟. Benedictióne. ℣. Juſti quaſi virens

fólium germinábunt. * Allelúia. Glória. ℟. Benedictióne. *Prov.* 11. 11. 28.

℣. Non aúferas Dómine miſericórdiam tuam à nobis, ℟. Propter diléctum tuum. *Dan.* 3. 35.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Pſalmi de Feria.

Capitulum. *Coloſſ.* 4. 12.

EX vobis eſt ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſolícitus pro vobis in oratiónibus, ut ſtetis perfécti & pleni in omni voluntáte Dei.

℟. Firmaméntum gentis, *ut ſuprà in III. Nocturno*, 400.

Hymnus.

QUos tu Martyribus dívite ſtrúxeras
Impénsâ túmulos, tu tibi néſcius
Hoc, Germáne, ſepúlcrum
Verſo nómine féceras.

SANCTORUM tot ubi pígnora córporum,
Spelúncas ſúbeat quis venerábiles,
Quem non pectus ad imum
Sanctus concútiat tremor?

CÆLI divítiis non opuléntius
In terris ádytum, Roma quod ámbiat
Toto ſánctius orbe
Poſſediſſe ſacrárium.

HINC pollúte procul, non niſi tángere
Sanctos ſáncta decet. Cernis ut árdeant
Sacro colla ferétro
Ipſi ſúbdere Cæſares?

GENTIS præſídium, ſplendor & Aútricæ,
Qualem ſenſit adhuc te tua cívitas,
Te, Germáne, patrónum
Seclis ſéntiat ómnibus.

PER terras, per aquas, regna per última
Non deféŋſa ſemel quæ tibi Véritas,
Noſtrâ mente triúmphet,
Noſtro Grátia péctore.

QUI per cuncta ſedes ſécula Póntifex,
Par ſit, Chriſte, tibi cum Patre glória:
Ambórum ſit amóri
Compar Spirítui decus.
Amen.

℣. Dabis eum, Dómine, in benedictiónem, ℟. In ſéculum ſéculi. *Pſ.* 20. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. (*In Cathedrali duplicatur.*) Hic eſt fratrum amátor & pópuli. Hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & univérſa civitáte. 2. *Mach.* 15. 14.

Oratio, Deus, qui nos beáti Germáni, *ſuprà in Laudibus.*

Fit Commemoratio S. Leodegarii, Æduenſis epiſcopi & martyris, Ant. Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Deus, cujus grátia, *in Communi*, xj.

[AD COMPLETORIUM, *In Cathedrali*, *Oratio*, Deus qui nos beáti Germáni, *ſuprà*, & Véritas, *ſub una concluſione.*]

D i e II.

In feſto

S. LEODEGARII,

Æduenſis Epiſcopi & Mart.

Semiduplex.

De Communi unius Martyris, viij.

Lectio ij.

Ex Anon. & Urſin. apud Ducheſn. & Mabill. Sec. 1. *&* 2. *Bened.*

LEodegárius nobilíſſimâ Francórum proſápiâ natus, ab ineúnte ætáte lítteris tum humánis tum divínis, Didónis avúnculi, Pictaviénſis epíſcopi curâ egrégiè erudítus; primùm archidiáconus Pictaviénſis, deínde ſancti Maxéntii abbas factus eſt. Cùm eloquéntiæ laude & ſapiéntiæ famâ floréret, à Clotário tértio in Fránciam vocátus, Auguſtodunénſium epíſcopus creátus eſt. Mórtuo Clotário, Childerícum ſecúndum, ejus fratrem, jam Auſtráſiæ regem, contra Ebroíni régiæ domûs majóris factiónes eligéndum curávit. In regni adminiſtratióne, ad quam à Clotário accítus fúerat, licèt fidéliter ac piè ſemper verſarétur, inimicórum tamen calúmniis, ſuáque in Childeríco arguéndo libertáte, in Luxoviénſe monaſtérium, quò relegátus ántea fúerat Ebroínus, amandátus eſt. Utérque poſt truculéntam Childeríci cædem in príſtinum gradum eſt reſtitútus: ſed Ebroínus, ſe in monaſtérium Leodegário autóre detrúſum fuíſſe ratus, ſcelerátos hómines cum exércitu Auguſtodúnum miſit, qui eum comprehénderent. Re cógnitâ ſanctus Antíſtes, erogátis in paúperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, & factis circùm urbis mœnia cum cruce & relíquiis Sanctórum ſupplicatiónibus, Chriſti córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas ſuî causâ paterétur, ſponte ſe trádidit inimícis, qui illum, óculis érutis, in monaſtérium conjecérunt.

Lectio iij.

INvíctus in torméntis Leodegárii ánimus fuit. Ab Ebroíno Childeríci necis falsò inſimulátus, ejus ſcélera coram rege Theodoríco exprobráre non tímuit. Ad palum alligáto & lapídibus óbruto Guaríno ejus fratre, beátam Sigrádam matrem ſuam præclárâ conſolátus eſt epiſtolâ: & recépto divínitus uſu linguæ, quæ ei fœdum in modum cum lábiis fúerat abſcíſſa, ſalutária in omnes documénta ſpárgere non ceſſábat. Váriis ítaque cruciátibus ab Ebroíno fruſtrà adhíbitis, ut Leodegárius ad deſperatiónem, ſi fieri poſſet, provocátus, martyrii laúream quam vehementer exoptábat non aſſequerétur; in Palátium, quò nonnúlli Epiſcopi convénerant, eum addúci juſſit; ubi diſcíſsâ túnicâ, epiſcopáli dignitáte ſpoliátus

eſt, conjèctúſque in cárcerem: ex quo in ſilvam ejus póſtea nómine inſignítam à quátuor ſicáriis abdúctus, in território Atrebaténſi cápite truncátus eſt anno Chriſti ſexcentéſimo ſeptuagéſimo octávo. Corpus ejus apud Sarcíngum ſepúltum, inde poſt biénnium, multis in itínere patrátis miráculis, ad Pictávos delátum, in Baſilica ſancti Maxéntii honorífice cónditum fuit. Sed Normánnis nono ſéculo per Pictavienſe ſolum graſſántibus, à Maxentiénſibus mónachis, unà cum beáti Maxéntii relíquiis, várias per urbes invéctum, Autiſſiodóri depóſitum eſt: ibíque aliquándiu quiévit.

Oratio, Deus, cujus grátia, xj.

Post Vesperas, *fit Commemoratio S. Dionyſii Areopagitæ*, *Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Illúmina, *infrà.*

Die III.

SANCTI DIONYSII Areopagitæ, primi Athenarum Epiſcopi, & Mart.

Commemoratio.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* Dóminus, ℣. Glorificátus, xj.

Oratio.

Illúmina, quæſumus, Dómine, mentis noſtræ ténebras; qui ad beáti Pauli apóſtoli prædicatiónem, Dionyſium Areopagítam in admirábile lumen Evangélii tranſtuliſti; Per Dóminum.

Veſpera de Feſto ſequenti.

Die IV.

In Feſto SANCTI FRANCISCI Aſſiſinatis. *Semiduplex.*

De Communi SS. Cœnobitarum, xlvj.

Oratio, Deus, qui te párvulis, *infrà.*

Lectio ij.

Ex vita S. Franciſci, autore S. Bonaventurâ, & aliis.

Joánnes Bernárdo, Aſſíſii in Umbria natus, à prima ætáte, patris exémplum ſecútus, mercatúram fecit, máximè cum Francis, quorum linguâ tam fácilè loquebátur, ut inde Franciſci cognómen ſortítus fúerit. Quodam die paúperem, pro Chriſti amóre flagitántem pecúniam, cùm præter conſuetúdinem repuliſſet, repéntè eo facto commótus, largè ei miſericórdiam impertívit: qua ex die Deo promíſit ſe némini unquam poſcénti eleemóſynam negatúrum. Cùm verò pòſt in gravem morbum incidiſſet; ex eo aliquándo confirmátus, cœpit ardéntiùs cólere offícia caritátis. Qua in exercitatióne tantùm profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, paupéribus largirétur. Cùm autem illud ex Evangélio audiſſet: [Nolite poſſidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis veſtris; non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta:] ſibi

eam régulam ſervándam propóſuit. Itaque detráctis cálceis, & uná conténtus túnicâ, cùm duódecim ſócios adhibuíſſet, Ordinem Minórum inſtítuit, conſcríptâ Régulâ quam anno milléſimo ducentéſimo nono Innocéntius tértius, ad quem ſupplex Franciſcus cum ſóciis Romam accéſſerat, confirmávit. Inde revérſus habitávit cùm iis in tugúrio juxta Aſſíſium, ubi in labóre multo magnáque inópia, piis meditatiónibus vacábant.

Lectio iij.

DOcébat eos honoráre præcípuâ reveréntiâ Sacerdótes, & fídei quam Romána tenet Eccléſia fírmiter adhæréſcere. Jubébat quoque mulíerum familiaritátes, collóquia & aſpéctus ſolicítiùs evitári, áſſerens frívolum eſſe mulíeris collóquium, exceptâ ſolâ confeſſióne, vel inſtructióne breviſſimâ. Otium ómnium malárum cogitatiónum ſentínam ſummópere fugiéndam prædicábat; dicebátque: Volo fratres meos laboráre & exercitári, ne ótio déditi per illícita corde aut linguâ vagéntur. Eóſdem duxit póſtea ad ſanctam Maríam Angelórum: unde in finítimis locis regnum Dei annuntiábat, dícere ſólitus ſalúti animárum nihil eſſe anteponéndum. Martyrii cúpidus trajécit in Sýriam, ubi à Meledíno Babylónis Ægypti ſoldáno liberaliſſimè excéptus, cùm nihil proficeret, rédiit in Itáliam. Gráviter ægrótans deférri vóluit in Eccléſiam ſanctæ Maríæ Angelórum; ut ubi grátiæ ſpíritum à Deo accéperat, ibi ſpíritum vitæ rédderet. Eo in loco, Pſalmum illum pronúntians, [Voce meâ ad Dóminum clamávi,] in eo versículo, [Me expéctánt juſti, donec retríbuas mihi,] efflávit ánimam anno Chriſti milléſimo ducentéſimo vigéſimo ſexto. Miráculis clarum Gregórius nonus paulò pòſt Sanctis aſcripſit.

Oratio.

DEus, qui te párvulis & humílibus reveláre non dedignáris; tríbue nobis, quæſumus, imitatióne beáti Franciſci, & ſtultam hujus mundi dediſcere ſapiéntiam, & ſolum ediſcere Jeſum Chriſtum crucifixum; Qui tecum vivit & regnat.

Veſpera à Capitulo de Feſto ſequenti.

DIE V.
In Feſto
SANCTI MARSI,
Primi Autiſſiodorenſis
Eccleſiæ preſbyteri.
Semiduplex.

De Communi SS. Preſbyterorum, xxxix.

Pridie IN VESPERIS, *Oratio*, Dómine, Deus omnípotens, xliij.

Fit Commemoratio S. Franciſci, Ant. Omnis, ℣. Beáta

s, iij. *Oratio*, Deus qui párvulis, *ſuprà.*

Deinde S. Firmati, Autiſſio-enſis diaconi, Ant. Erunt, Filii Levi, *Orat.* Adéſto, xlv. *Poſtea SS. Flaviæ ac Feliculæ Autiſſiodorenſium virginum, Ant.* Obaudíte, ℣. Diffuſa, lxj. *Oratio*, Deus, qui nos hódie, lxiv.

Lectio iij.

Ex vita S. Germani autore Conſtant. Hiſt. epiſc. Autiſſ. apud Labb. Bolland. ad 16. Maii; Sacramentar. Trevir. Martyrol. Hieron. Proceſſ. verbal. an. 1713. & aliis.

MArſus préſbyter cum beáto Peregríno miſſus in Gállias, Autiſſiodóri Evangélio collaborávit. Sancto Præſuli indivúlſus comes adhæſit. Sedátâ poſt martyrium ſancti Peregríni perſecutióne, multis perfúnctus labóribus, in pace quiévit die quartâ Octóbris. Corpus ejus in monte Aútrico humátum fuit juxta ſanctum Corcódomum, quem ipſe juvántibus ſóciis ſepelierat. Sequéntibus ſéculis córporis ejus oſsículum in próximo ſancti Juliáni monaſtério depóſitum fuit, & háctenus ſervátur. Pars verò major, témpore Hugónis de Cabilóne, Autiſſiodorénſis epíſcopi, ab Othóne tértio imperatóre in Weſtphâliam tranſláta fuit, auro & gemmis inclúſa, & celebérrimo nobílium vírginum monaſtério Eſſendiénſi concéſſa circa annum Dómini milléſimum. Unde in vetuſtíſſimis Eccleſiárum Germániæ Calendáriis beáti Marſi memória annotátur. Hâc die quintâ Octóbris, Autiſſiodóri ſepúlti ſunt ſanctus Firmátus diáconus, & ſoror ejus ſancta Flávia, ſeu Flaviána, Deo ſacráta virgo. Reliquiárum hujus Vírginis pars quædam ad ſanctum Ferréolum in diœcéſi Autiſſiodorénſi deláta fuit, ubi etiámnum cólitur. Sanctæ Felículæ vírginis, olim juxta Lígerim in território Autiſſiodorénſi ſepúltæ, ſacras exúvias hâc étiam die ante annos ſexcéntos ad Génabum, ſeu Giomum caſtrum tranſlátas fuiſſe teſtántur ómnia ſancti Stéphani Genabénſis monuménta.

Fit Commemoratio S. Firmati, Ant. Multi, ℣. Dómini eſt, *Oratio*, Adéſto, xlv.

Deinde SS. Flaviæ & Feliculæ virginum, Ant. Gaudens, ℣. Sitívit, lxiij. *Oratio*, Deus, qui nos hódie, lxiv.

Veſpera à Capitulo de Feſto ſequenti.

Die VI.

In Feſto SS. ROMANI & TETRICI, Autiſſiod. epiſcoporum.

Semiduplex.

De Communi plurium SS. Pontificum, xxvij.

Pridie Post Vesperas.

Fit Commemoratio S. Marſi, Ant. Conſummatióne, ℣. Ef-

fúdit, xlv. *Oratio*, Dómine, Deus omnípotens, xliij.

Deinde S. Brunonis monachi, Ant. Dóminus, ℣. Pinguéſcent, xlvij. *Oratio*, Omnípotens ſempitérne Deus, l.

Lectio ij.

Ex Hiſt. epiſc. Autiſſ. apud Labb. & Heric. l. 2. de mirac. S. Germani.

ROmánus Eleuthérii ſuccéſſor, Autiſſiodorénſem Eccléſiam rexit annis círciter tribus. Bonis opéribus & ſanctitáte clarus, amputáto cápite martyrium conſummáſſe fertur ſextâ die Octóbris, circa annum quingentéſimum ſexagéſimum quartum. Sepultus eſt juxta prædeceſſóres ſuos in Basílica ſancti Germáni. Definénte ſéculo ſéptimo, Tétricus conſpirántibus ómnium votis ereptus ex ſancti Germáni monaſtério, in quo partes Abbátis fidéliter geſſerat, ad régimen Eccléſiæ Autiſſiodorénſis evéctus eſt. Clerum & pópulum non minùs docéndo quàm agéndo inſtrúxit. Beáti Aunárii veſtígiis inhærens, publicárum precum órdinem, ritúſque ſolémnes enucleátè præſcripſit. Primo quippe ordinatiónis ſuæ anno hábitâ Synodo, ſtátuit ut Abbátes & Archipreſbyteri in Eccléſia ſancti Stéphani divínum officium vicíſſim perſólverent; & aſſignátâ ſíngulis hebdómadâ, delinquéntibus pœnas irrogávit.

Lectio iij.

QUíndecim annis felíciter & laboriósè in paſcéndo grege tranſáctis, Tétricus cùm in ſcamno ſopóre reſolútus quiéſceret, ímpii clérici ferro vir mitíſſimus crudéliter confóſſus, migrávit ad Dóminum die Mártii décimâ octávâ, circa annum ſeptingentéſimum ſéptimum; & in Basílica ſancti Euſébii ſepúltus eſt. Locus in quo interféctus fúerat, in Oratórium ceſſit, ubi ejus memória nono ſéculo frequénti populórum concúrſu celebrabátur, quo témpore adhuc extitiſſe ſcamni tábulas ejus cruóre tinctas teſtántur autóres coævi. Miraculórum frequéntiâ motus Guido, Autiſſiodorénſis epíſcopus túmulum ejus apéruit die trigéſimâ Júlii, anno nongentéſimo quadragéſimo quinto, & oſſa ejus cum laúdibus & hymnis ſuper altáre collocávit. Sed graſſántibus Calviniánis capſa cum relíquiis dirépta eſt. Beáti Románi corpus nono ſéculo ad dextrum latus túmuli ſancti Germáni repóſitum eſt, & etiámnum quiéſcit.

Fit Commemoratio S. Brunonis, Ant. Pars mea, ℣. Clamávi, *Oratio*, Omnípotens, l.

Die VIII.

SS. PALLADIÆ & PORCariæ Virginum in territorio Autiſſiodorenſi

Commemoratio.

Pridie Post Vesperas, *Ant.* Obaudíte, ℣. Divíni, lxj.

tio, Deus, qui nos hódie,

Poſt Laudes Matutinas, . Gaudens, ℣. Sitívit, lxiij. *tio*, Deus, qui nos hó-, lxiv.

Veſpera Feriales à Capitulo Feſto ſequenti.

DIE IX.

In Feſto

NCTORUM DIONYSII, Pariſienſis Epiſcopi, & Sociorum ejus, Mart.

Simplex.

De Communi plurium Mar-um, xiij.

Oratio, Deus, qui hodiér-. die, *infrà*.

ɛ Martyrológio ſancti Adónis epíſcopi.

vij. *Idus Octobris.*

Lectio iij.

DIonyſius epíſcopus à Pontífice Románo ad Gállias diréctus, ut rædicatiónis óperam pópulis fide Chriſti aliénis exhibéret, ındem Pariſiórum civitátem evénit. Ibi per áliquot annos ánctum opus fidéliter & arlénter execútus, à præfécto 'eſcennino Sisínnio compreıénſus, & cum eo ſanctus ›réſbyter Eleuthérius, & Rúſticus diáconus, gládio aniınadvérſi martyrium complevérunt.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die beátum Dionyſium mártyrem tuum atque pontíficem virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti; quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rúſticum & Eleuthérium ſociáre dignátus es, tríbue nobis, quæſumus, ex eórum imitatióne, pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus advérſa formidáre; Per Dóminum.

DIE XV.

S. LEONARDI ABBATIS

Commemoratio.

Pridie POST VESPERAS, *Ant.* Egrédere, ℣. Sedébit, xlv. *Oratio*, Deus, cujus múnere, xlvj.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* Fugit, ℣. Habitábit, *Oratio*, Deus, cujus múnere, xlvj.

DIE XVIII.

In Feſto

S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

Duplex-Majus.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni*. D.

VIdi, & ecce nubes magna, & ignis invólvens, & de médio ejus quaſi ſpécies eléctri, & in médio ejus ſimilitúdo quátuor animálium. *Ezech.* 1. 4. 5.

Ant. 3. *a*. Aſpéctus eórum quaſi carbónum ignis ardéntium, & quaſi aſpéctus lampadárum. *Ezech.* 1. 13.

Ant. 6. F. In médio animálium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrédiens. *Ezech.* 1. 13.

Ant. 8. G. Ubi erat ímpetus ſpíritûs, illuc gradiebántur,

nec revertebántur cùm ambulárent. *Ezech.* 1. 12.

Ant. 5. a. Ibant, & revertebántur in ſimilitúdinem fúlguris coruſcántis. *Ezech.* 1.14.

Capitulum. *Apoc.* 4. 7.

ANimal primum ſímile leóni, & ſecúndum ánimal ſímile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal ſímile áquilæ volánti.

℟. Quátuor animália, ſíngula eórum habébant alas ſenas; & in circúitu, & intus plena ſunt óculis; & * Réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens. *Apoc.* 4. 8. ℣. Audívi vocem commotiónis magnæ: Benedícta glória Dómini de loco ſuo; & vocem alárum animálium percutiéntium álteram ad álteram. *Ezech.* 3. 12. 13. * Réquiem. Glória. * Réquiem.

Hymnus. *Santol. Vict.*

CHristi perénnes Núntii,
Refécta qui cœléſtibus
Scriptis Dei myſtéria
Totum per orbem ſpárgitis;

Olim ſub umbris cóndita,
Vates ſacri quæ víderant;
Umbris procul cedéntibus,
Vidíſtis hæc pleno die.

Humana quæ tulit Deus,
Divína quæ geſſit homo,
Seris legénda póſteris,
Dictánte ſcripsíſtis Deo.

Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus;
Et quiſque pro ductu Dei,
Scribéndo Chriſtum réddidit.

Nos ut docéret, índuit
Vocis ſonos, Verbum Patris:
Veſtris adhuc in páginis
Nobis loqui non déſinit.

Uni ſit & trino Deo
Suprêma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ. Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Pſ.* 144. 5.

Ad Magníficat, Ant. 8. G.* Chriſtus dedit quoſdam quidem Apóſtolos, álios verò Evangeliſtas ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti. *Ephеſ.* 4. 11. 12.

Oratio, Deus, qui beáto Lucæ, *infrà in Laudibus.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Omnia ut in Communi Apoſtolorum, exceptis quæ ſequuntur.

Invitatorium, Chriſtum dantem Evangeliſtas ad conſummatiónem ſanctórum, * Veníte, adorémus. *Epheſ.* 4. 11.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Chriſti perénnes Núntii, *ut in primis Veſperis.*

In II. Nocturno.

Ex libro ſancti Hierónymi presbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio iv. *cap.* 7.

LUcas, médicus Antiochénſis, ut ejus ſcripta

ndicant, Græci ſermónis non ignárus fuit, ſectátor apóſtoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripſit Evangélium, de quo idem Paulus: [Miſimus (inquit) cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangélio, per omnes Eccléſias.] Et ad Coloſſénſes: [Salútat vos Lucas médicus cariſſimus.] Et ad Timótheum: [Lucas eſt mecum ſolus.] Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod titulo Acta Apoſtolórum prænotátur; cujus hiſtória uſque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id eſt, uſque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus, in eádem urbe librum eſſe compóſitum.

Lectio v.

IGitur períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti Leónis fábulam, inter apócryphas ſcriptúras computámus. Quale enim eſt, ut individuus comes Apóſtoli, inter céteras ejus res, hoc ſolùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicínus illórum témporum, refert, preſbyterum quendam in Aſia amatórem apóſtoli Pauli, convíctum à Joánne quòd autor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amóre feciſſe, & ob id loco excidiſſe.

Lectio vj.

QUidam ſuſpicántur, quotieſcúnque in epiſtolis ſuis Paulus dicit, [Juxta Evangélium meum,] de Lucæ ſignificáre volúmine: & Lucam non ſolùm ab apóſtolo Paulo didiciſſe Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, ſed à céteris Apóſtolis; quod ipſe quoque in princípio ſui volúminis declárat, dicens: [Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipſi vidérunt, & miniſtri fuérunt ſermónis.] Igitur Evangélium, ſicut audíerat, ſcripſit; Acta verò Apoſtolórum, ſicut víderat ipſe, compóſuit. Vixit octoginta & quátuor annos, uxórem non habens. Sepúltus eſt Conſtantinópoli; ad quam urbem vigéſimo Conſtántii anno, oſſa ejus cum relíquiis Andréæ apóſtoli tranſláta ſunt de Acháia.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 1. 1. *ad* 4.

QUóniam quidem multi conáti ſunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ ſunt, rerum. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi preſbyteri.

Proœmio Comment. in Matt.

PLures fuiſſe qui Evangélia ſcripſérunt & Lucas evangeliſta teſtátur, dicens: [Quóniam quidem multi conáti ſunt ordináre narratiónem rerum quæ in nobis complétæ ſunt, ſicut tradidérunt nobis, qui ab inítio ipſi vidérunt ſermónem, & miniſtravérunt ei:] & perſeverántia uſque in præ-

ſens tèmpus moniménta declárant, quæ à divérſis autóribus édita, diverſárum hæréſeon fuére princípia ... Quibus jure poteſt illud prophéticum coaptári: [Væ qui prophétant de corde ſuo; qui ámbulant poſt ſpíritum ſuum; qui dicunt: Dicit Dóminus; & Dóminus non miſit eos...] Eccléſia autem quæ ſupra petram, Dómini voce fundáta eſt, ... quátuor flúmina paradíſi inſtar erúctans, quátuor ángulos & ánnulos habet, per quos quaſi arca teſtaménti & cuſtos legis Dómini, lignis immobílibus véhitur.

Lectio viij.

PRimus ómnium, Matthæus eſt, publicánus, cognoménto Levi, qui Evangélium in Judæa Hebræo ſermóne édidit ob eórum vel máximè cauſam qui in Jeſum credíderant ex Judæis ... Secúndus, Marcus, intérpres apóſtoli Petri, & Alexandrínæ Eccléſiæ primus epíſcopus ... Tértius, Lucas, médicus, natióne Syrus Antiochénſis, cujus laus in Evangélio, qui & ipſe diſcípulus apóſtoli Pauli, in Acháïæ Beotiæque pártibus volúmen cóndidit, quædam áltiùs répetens: &, ut ipſe in prooemio confitétur, audíta magìs quàm viſa deſcríbens. Ultimus, Joánnes, apóſtolus & evangeliſta, quem Jeſus amávit plúrimùm: qui ſupra pectus Dómini recúmbens, puríſſima doctrinárum fluénta potávit.

Lectio ix. *Paulò poſt.*

HÆc quátuor Evangélia multò antè prædícta, Ezechiélis quoque volúmen probat, in quo prima víſio ita contéxitur. [Et in médio ſicut ſimilitúdo quátuor animálium: & vultus eórum fácies hóminis, & fácies leónis, & fácies vítuli, & fácies áquilæ.] Prima, hóminis fácies Matthæum ſigníficat, qui quaſi de hómine exórſus eſt ſcríbere. [Liber generatiónis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.] Secúnda, Marcum, in qua vox leónis in erémo rugiéntis audítur. [Vox clamántis in deſérto, paráte viam Dómini, rectas fácite ſémitas ejus.] Tértia, vítuli, quæ evangeliſtam Lucam à Zacharía ſacerdóte ſumpsíſſe inítium præfigúrat. Quarta, Joánnem evangelíſtam, qui aſſúmptis pennis áquilæ, & ad altióra feſtínans, de Verbo Dei diſputat.

AD LAUDES MATUTINAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* f.

SErmónem feci de ómnibus quæ cœpit Jeſus fácere & docére, uſque in diem quâ aſſúmptus eſt. *Act.* 1. 1. 2.

Ant. 2. D. Viſum eſt & mihi aſſecúto ómnia à princípio diligénter, ex órdine ſcríbere. *Luc.* 1. 3.

Ant. 3. a. Notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut

ſcripſi, prout potéſtis legéntes intellígere prudéntiam meam in myſtério Chriſti. *Epheſ.* 3. 3. 4.

Ant. 4. E. In fide veritátis Deus vocávit vos per Evangélium noſtrum in acquiſitiónem glóriæ Dómini noſtri Jeſu Chriſti. 2. *Theſſ.* 2. 12. 13.

Ant. 5. a. Evangélii factus ſum miníſter, ſecúndùm donum grátiæ Dei, quæ data eſt mihi. *Epheſ.* 3. 7.

Capitulum. *Joſue* 1. 8.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; ſed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut cuſtódias & fácias ómnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc díriges viam tuam, & intélliges eam.

Hymnus. *Santol. Vict.*

SINÆ ſub alto vértice,
Cœlo tonánte, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præſens minabátur Deus.

NUNC, temperáto Númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans ſénſibus.

INSCULPTA ſaxo lex vetus
Præcépta, non vires dabat:
Inſcrípta cordi lex nova,
Quidquid jubet, dat éxequi.

SCRIPSISTIS hanc fidâ manu,
Hanc voce, voci cónſonis
Hanc prædicáſtis móribus;
Signáſtis hanc & ſánguine.

AFFLANTE divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis;
Hæc ille noſtris ímprimat
Delénda nunquam córdibus.

UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Declarátio ſermónum tuórum illúminat, ℟. Et intelléctum dat párvulis. *Pſ.* 118. 130.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Illíus laus eſt in Evangélio, per ómnes Eccléſias; & ordinátus eſt ab Eccléſiis comes peregrinatiónis noſtræ, in hanc grátiam quæ miniſtrátur à nobis ad Dómini glóriam. 2. *Cor.* 8. 18. 19.

Oratio.

DEus, qui beáto Lucæ médico córporum, Evangélium Fílii tui nobis tradéndum credens, eum étiam effecíſti médicum animárum; fac nos cœléſti verbi tui medicínæ ſemper inténtos, quæ nóxia eſſe demónſtrat, fúgere; & quæ utília ſalúti, fidéliter apprehéndere; Per eúndem Dóminum noſtrum.

AD PRIMAM, *Ant.* Sermónem feci.

AD TERTIAM, *Ant.* Viſum eſt & mihi.

Capitulum. *Prov.* 4. 20. 21. 22.

FIli mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurem tuam. Ne recédant ab óculis tuis, cuſtódi ea in médio cordis tui; vita enim ſunt inveniéntibus ea.

℟. *breve*, Evangélium virtus Dei eſt, * Allelúia, allelúia. ℟. Evangélium. ℣. In ſalútem omni credénti. * Allelúia. Glória. ℟. Evangélium. *Rom.* 1. 6.

℣. Elóquia Dómini, elóquia caſta; ℟. Argéntum igne examinátum. *Pſ.* 11. 7.

Ad Sextam, *Ant.* Notum mihi.

Capitulum. *Baruch* 4. 1.

HIc liber mandatórum Dei & lex quæ eſt in ætérnum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam.

℟. *breve*, Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * Allelúia, allel. ℟. Lex Dómini. ℣. Teſtimónium Dómidi fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis. * Allelúia. Glória. ℟. Lex Dómini. *Pſ.* 18. 8.

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Pſ.* 18. 9.

Ad Nonam, *Ant.* Evangélii.

Capitulum. *Prov.* 7. 2. 3.

FIli, ſerva mandáta mea, & vives; & legem quaſi pupíllam óculi tui: liga eam in dígitis tuis, ſcribe illam in tábulis cordis tui.

℟. *breve*, Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine; * Allelúia, allelúia. ℟. Lucérna. ℣. Et lumen ſémitis meis. * Allelúia. Glória. ℟. Lucérna. *Pſ.* 118. 105.

℣. Quàm dulcia faúcibus meis elóquia tua! ℟. Super mel ori meo. *Pſ.* 118. 103.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. 2. *Tim.* 3. 16.

SCriptúra divínitus inſpiráta, útilis eſt ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in juſtítia.

℟. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit. * Beátus qui in iſtis verſátur bonis; qui ponit illa in corde ſuo, ſápiens erit ſemper. *Eccli.* 50. 29. 30. ℣. Quæcúmque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt, ut per patiéntiam, & conſolatiónem Scripturárum, ſpem habeámus. *Rom.* 15. 4. * Beátus. Glória. * Beátus.

Hymnus, Sinæ ſub alto, *ut in Laudibus.*

℣. Quómodo diléxi legem tuam, Dómine! ℟. Tota die meditátio mea eſt. *Pſ.* 118. 97.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Quod audívimus de verbo vitæ annuntiámus vobis; ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum: & hæc ſcríbimus vobis ut gaudeátis, & gaúdium veſtrum ſit plenum. 1. *Joan.* 1. 1. 3. 4.

Fit Commemoratio S. Juſti Autiſſiodorenſis pueri, & martyris, Ant. Crevit Puer, & benedíxit ei Dóminus; cœpítque ſpíritus Dómini eſſe cum eo. *Judic.* 13. 24. 25.

℣. Ab infántia mea crevit mecum miſerátio, ℟. Et de útero matris meæ egréſſa eſt mecum. *Job* 31. 18.

Oratio, Deus, cujus múnere, *infrà in Laudibus*.

Deinde S. Verani, Cavellicenſis epiſcopi, Ant. Reſpéxit, ℣. Quæsívit, xxj. *Oratio*, Quæſumus, xxv.

DIE XIX.

In feſto

S. JUSTI AUTISSIOD.

Pueri, & Martyris.

Duplex - majus.

De Communi unius Martyris, viij. *præter ſequentia*.

AD OFFICIUM

NOCTURNUM.

Hymnus.

ARCANAS ánimis cùm
Deus íngerit
Vires, debílitas nil nocet ártuum:
Pugnis atque triúmphis
Ætas omnis idónea.

ÆVI, Juſte, brevis te fore præſcia,
Annos antévenit grátia déſides,
Penſat cópia dives
Mors feſtína quod ínvidet.

MATURIS ſénibus quæ ſapiéntia,
Infántis fúerat: vix bona fárier
Vox, orácula fundit;
Mortem víncere ludus eſt.

VATES ipſe patri, ſuaſor & útilis,
Cui germánus hero ſérviat, édocet;
Feſtinátque redémptis
Fratrem démere vínculis.

QUÆ nos dura ligant víncula, tu Puer
Votis rumpe tuis; præda cupídini
Ne mens ſérviat, uno
Regnet líbera ſub Deo.

INFANTUM ténero quam tibi pérficis
Sit laus ore, Pater; qui púeros vocas.
Sit laus, Nate; ſit almo
Compar glória Flámini.
Amen.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita inter opera ven. Beda, veterib. chartis Eccl. Bellov. Glab. Raduſf. l. 4. veteri Martyrol. Autiſſ. Hiſt. Einſidlenſi, Chronol. Rhet. ad an. 1028. Regiſt. Capit. Autiſſ. & proceſſ. verb. an. 1636.

JUſtus Autiſſiodóri Chriſtiánis paréntibus natus, etiámnum puer prophetíæ dono prædítus, autor fuit patri ut Ambiános unà proficiſceréntur, ad rediméndum Juſtiniánum, (quem álii fratrem, álii pátruum beáti Juſti fuiſſe tradunt,) à multis annis in ſervitútem redáctum. Simul pergéntibus óbvius occúrrit Melodúni egénus quidam, quem puer ſtipe datâ ſolátus eſt, & nudum detráctâ ſibi túnicâ contéxit. Inde Ambiános, ad domum Lupi, qui Juſtiniáni dóminus erat, ſe contulérunt: ibíque Juſtus ſervi manumiſſiónem à Lupo obtínuit. Eórum advéntus ad infidéles deſértur, qui miſſis ſatelliti

bus illos inquíri, & vinctos addúci, aut occídi jubent. Mílites noctu elápſos, fugientéſque inſequúntur: illi jam in Belvacénſis agri loco juxta fontem reſéderant.

Lectio v.

JUſtus futúri præſcius, paréntes monet ut ſe próximâ ſpelúncâ prómptiùs occúltent; ſe miſſos carníſices intrépidè expectatúrum. A quibus interrogátus de nómine, religióne, comítibus; reſpóndit nomen quidem ſibi eſſe Juſtum, religiónem Chriſtiánam: céterùm Evangélii lege cautum eſſe ne cómitum ſuórum próderet quemquam. Cúmque ſupra ætátem de fide ſua diſſerens, nullis pœnárum minis ad prodéndos paréntes indúci poſſet, cápite truncáto, ánimam Deo réddidit die Octóbris décimâ octávâ.

Lectio vj.

MArtyris corpus in eódem loco ſepúltum, inde tranſlátum eſt in Eccléſiam Cathedrálem Bellovacénſem, ubi hácтenus requiéſcit. Caput verò paréntes Autiſſiodórum ad matrem detulérunt. Sacrum pignus ſanctus Amátor honoríficè cóndidit in Eccléſia montis Aútrici, quæ ejúſdem Amatóris nómine póſtmodum fuit inſigníta. Hinc ejúſdem cápitis pars non módica in Germániam deportáta eſt ſéculo undécimo. Réliquæ vero partes in Eccléſiam Cathedrálem ſancti Stéphani póſtea tranſlátæ, in nova capſa argéntea collocátæ ſunt anno milléſimo quadringentéſimo vigéſimo quinto: quâ à Calviniánis effráctâ, cránii partem cum áliis Sanctórum exúviis è terra piè collegérunt Cathólici, & Domínicus Seguérius præſul decénti thecâ inclúſit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. *c.* 10. 13. *ad* 16.

IN illo témpore; Offerébant Jeſu párvulos, ut tángeret illos. Diſcípuli autem comminabántur offeréntibus. Quos cùm vidéret Jeſus, indígnè tulit, & ait illis: Sínite párvulos veníre ad me. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Luc. lib. 8. §. 57.

CUr Dóminus púeros aptos regno dicit eſſe cœlórum? Fortáſſe quia malítiam néſciant, fraudáre non nórint, referíre non aúdeant, ſcrútari ignórent opes, honóres, ambitiónem non áppetant. Sed ignoráre iſta virtus non eſt, ſed contémnere; nec continéntiæ laus, ubi infirmitátis intégritas: non ígitur puerítia, ſed æmula puerílis ſimplicitátis bónitas deſignátur. Non enim virtútis eſt non poſſe peccáre, ſed nolle; atque ita tenére perſeverántiam voluntátis, ut volúntas infántiam,

tiam, uſus imitétur natúram. Dénique ipſe hoc Salvátor expréſſit, dicens: [Niſi convérſi fuéritis, & efficiámini ſicut puer iſte, non intrábitis in regnum cœlórum.]

Lectio viij. §. 58.

QUis eſt ergo puer imitándus Apóſtolis Chriſti? num unus ex párvulis? Hæc ígitur virtus Apoſtolórum? Quis ergo puer? Ne fortè ille de quo Iſaías dicit: [Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.] Ipſe enim tibi puer dixit: [Tolle crucem tuam, & ſéquere me.] Et ut agnóſcas púerum; [Cùm maledicerétur, non remaledíxit; cùm percuterétur, non repercúſſit.] Hæc eſt enim perfécta virtus. Itaque & in pueritia eſt quædam venerábilis morum ſenéctus, & in ſenectúte innocens puerítia. [Senéctus enim venerábilis eſt, non diutúrna, nec número annórum computáta: cani autem ſunt ſenſus hóminis, & ætas ſenectútis vita immaculáta.]

Lectio ix. §. 58. 60.

SCriptum eſt: [Laudáte púeri Dóminum, laudáte nomen Dómini:] quia nemo niſi perféctus laudat Dóminum. Nemo (enim) dicit Dóminum Jeſum niſi in Spíritu ſancto.] ... Ergo fugiámus ſupérbiam, ſequámur puerílem ſimplicitátem; quia véritas adverſária ſupérbiæ, ſimplícitas autem concúrrens veritáti, in ipſa humilitáte ſublímis. Non enim in abjécto corde hábitat Deus, ſed ſicut tradidérunt nobis Prophétæ: [Thronus virtútis exaltátus eſt;] in eo ſcílicet, cujus elevátur ſapiéntia ad altitúdinem veritátis.

AD LAUDES MATUTINAS.

Hymnus.

FOrtis macte Puer: laúrea Mártyrem
Jam te certa manet: te ſibi Cáritas
Nuper detínuit, te modò víndicat
Præcónem ſibi Véritas.

NUDUM queis tégeres dícere véſtibus
Te nudáſſe tuis, nec mora, córpore
Exútum frágili ſpléndida véſtiet
Fuſi púrpura ſánguinis.

STRICTO jamque ruunt enſe ſatéllites;
Agnum ceu rábidi dilániant lupi,
Raptâ parte fremunt: tántulus heu Puer,
An par præda tot íctibus!

QUOD conſanguíneos pródere, quòd Deum
Ejuráre negas, ſancte jaces Puer:
Fecit te pietas, te géminum fides
Uno fúnere Mártyrem.

INFANTUM ſímiles qui fieri jubes,
Tu fac innócuis cándida móribus

Regnet ſimplícitas, regnet & éloqui
Virtus fortis, & émori.

Ad palmáre decus qui púeros vocas,
Par ſit, Chriſte, tibi cum Patre glória:
Præcox in téneris unde venit vigor,
Sacro glória Flámini. Amen.

℣. Raptus eſt ne malítia mutáret intelléctum ejus; ℟. Aut ne fictio decíperet ánimam illíus. *Sap.* 4. 11.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Ait adoléſcens: Non obédio præcépto regis, ſed præcépto legis, quæ data eſt nobis. Itaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. 2. *Mach.* 7. 30. 40.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Juſtus mortis formídinem in pueríli corpúſculo ſuperávit; da infirmitáti noſtræ ejus interceſſióne virtútem, ut fidem quam voce profitémur, ópere exequámur; Per Dóminum.

Pro Commemoratione S. Verani, Ant. In bonitáte, ℣. Státuit, *Oratio*, Quæſumus, xxv.

AD VESPERAS.

Hymnus.

Regnat dum pátriis ſpíritus aſtris,
Dulces exúvias, útile tellus
Servat depóſitum: ſtat ſua menti,
Stat pugnæ ſóciis glória membris.

Quamvis exíguo córpore, gentes
Par ditáre duas; grande ſupérſtes
Vitæ queis ſpécimen, queis animóſæ
Exémplum déderat nóbile mortis.

Sacro quæ máduit ſanguine tellus
Donavítque mori, cétera grato
Condat membra ſinu; vértice gaudet
Naſci quæ déderat terra recépto.

Pignus tu génitor dulce repórtas:
Tunc ô quanta bonæ gaúdia matri!
Tantas dignus opes tollit Amátor,
Et fert grande ſacram munus in ædem.

Gratos prodígiis clarat honóres,
Nec ceſſat miſerûm vota cliéntum
Exaudíre Puer, péctore digno
Concédi quóties digna rogátus.

Patri máxima laus, máxima Nato;
Sit par ſancte tibi Nexus amóris:
Tu das Martyribus robur, & ipſis
Victrícem púeris tóllere palmam. Amen.

℣. Sacrifícium juſti accéptum eſt; ℟. Et memóriam ejus

non obliviſcétur Dóminus. Eccli. 35. 9.

Ad Magníficat, *Ant. 6. C.* Conſummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. *Sap.* 4. 13. 14.

DIE XXV.

SANCTORUM CRISPINI & Criſpiniani martyrum *Commemoratio.*

Pridie POST VESPERAS, *Ant.* Communicántes, ℣. Viriliter, xiv. *Oratio*, Deus, qui in córdibus, xvij.

Poſt Laudes Matutinas, *Antiph.* Beáti, ℣. Multæ, *Oratio*, Deus, qui in córdibus, xvij.

DIE XXVII.

In feſto SANCTI DESIDERII, Autiſſiodorenſis epiſcopi. *Semiduplex.*

De Communi S. Pontificis, xx. *Oratio*, Omnípotens, xxv.

Lectio ij.

Ex Hiſt. Epiſc. Autiſſ. & Abb. S. Germani apud Labb. ac veterib. Martyrol.

DESIDÉRIUS natióne Aquitánus, paréntes hábuit nóbili regum Francórum & Burgundiónum proſápiâ insígnes. Hinc ſecuri dignitáte, & Brunechíldis regínæ ſánguine conſpícuus, omnes ſui témporis Epíſcopos divitiárum cópiâ, virtútum méritis, ac divíni cultûs amplificándi ſtúdio ſuperávit. Nulla quippe eſt totâ ferè Aquitaniâ aut Burgúndiâ principális Ecclésia, præſértim in Diœcéſi Autiſſiodorénſi, quam non ille dívite fundórum cenſu, vel magníficâ ſupelléctile locupletárit. Eccléſiam ſancti Stéphani Autiſſiodorénſis multis & magnis patrimóniis dotávit, vaſis áureis & argénteis póndere & artifício pretióſis, aliíſque tum ſuis, tum Brunechíldis regínæ donis decorávit. Cùm eándem Baſílicam à parte Oriéntis ampliáſſet ingénti teſtitúdine, auróque ac musívo ópere exornáſſet, vetus altáre illuc tranſlátum die Aprílis décimâ octávâ ſolémni ritu dicávit. Baſílicam ſub invocatióne ſanctórum Gerváſii, Protáſii, Nazárii & Celſi óperâ Maríni tunc diáconi cónſtrui curávit ultra Icaúnam, à parte Urbis Orientáli; ubi & eórum Martyrum relíquias à ſe cónditas fuíſſe teſtaménto ſuo declárat. Corpus beáti Cotti mártyris Deo revelánte invénit, atque honoríſico túmulo, non longè à cápite ſancti Priſci, die décimâ nonâ Januárii locávit. Cùm Eccléſiam Autiſſiodorénſem octo & decem annos ſummâ cum laude gubernáſſet, ſanctiſſimè, ut vixerat, óbiit die vigéſimâ ſéptimâ Octóbris; & in Eccléſia ſancti Germáni juxta beátum Aunárium ſepúltus eſt. Hujus póſtea corpus circa annum milléſi-

mum argénteâ centum librárum capsâ inclúſit Hugo de Cabilóne, Autiſſiodorénſis epíſcopus: & ad cœnóbium Meleredénſe juxta ſanctum Salvatórem in diœcéſi Autiſſiodorénſi, rogátu fidélium détulit. Ibi ſacrum corpus in Eccléſia beátæ Maríæ, multis corúſcans miráculis, quiévit; donec tumultuántibus Calviniánis capſa dirépta eſt.

Pro Vigilia SS. Simonis & Judæ apoſtolorum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. *c.* 15. 1. *ad* 7.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Ego ſum vitis vera; & Pater meus agrícola eſt. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 80. §. 1.

ISte locus Evangélicus, fratres, ubi ſe dicit Dóminus vitem, & diſcípulos ſuos pálmites; ſecúndùm hoc dicit quòd eſt caput Eccléſiæ, noſque membra ejus, mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus. Uníus quippe natúræ ſunt vitis & pálmites: propter quod cùm eſſet Deus, cujus natúræ non ſumus, factus eſt homo, ut in illo eſſet vitis humána natúra, cujus & nos hómines pálmites eſſe poſſémus. Quid ergo eſt, [Ego ſum vitis vera?] Nunquid ut ádderet, [vera,] hoc ad eam vitem rétulit, unde iſta ſimilitúdo tranſláta eſt? Sic enim dícitur vitis, per ſimilitúdinem, non per proprietátem; quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, & cétera hujúſmodi, quæ magìs ipſa ſunt vera, ex quibus ducúntur iſtæ ſimilitúdines, non proprietátes. Sed cùm dicit: [Ego ſum vitis vera,] ab illa ſe útique diſcérnit, cui dícitur: [Quómodo convérſa es in amaritúdinem, vitis aliéna?] Nam quo pacto eſt vitis vera, quæ expectáta eſt ut fáceret uvam, fecit autem ſpinas?

℟. Dixit Jeſus: Ego ſum vitis, vos pálmites.* Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia † Sine me nihil potéſtis fácere. *Joan.* 15. 5. ℣. In me grátia omnis viæ & veritátis, in me omnis ſpes vitæ & virtútis. *Eccli.* 24. 25. * Qui manet. Glória. † Sine me.

Poſt Laudes Matutinas, fit Commemoratio ejuſdem Vigiliæ, Ant. & ℣. de Pſalterio.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſicut apoſtolórum tuórum Simónis & Judæ glorióſa natalítia prævenímus, ſic ad tua benefícia promerénda, majeſtátem tuam pro nobis ipſi prævéniant; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Veſpera de Feſto ſequenti.

Die XXVIII.
In Feſto
S. SIMONIS & JUDÆ
Apoſtolorum.
Duplex - majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, j.

Pridie Ad Vesperas, *Oratio*, Deus, qui nos, *infrà*.

Fit Commemoratio S. Deſiderii, Ant. Beatificávit, ℣. Deſit, xxvj. *Oratio*, Omnípotens Deus, xxv.

In II. Nocturno.
Ex Commentário ſancti Hierónymi preſbyteri, in Matthæum.

Lectio iv. *Lib.* 1. *cap.* 10.

SImon Cananæus de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dóminus vertit in vinum, ipſe eſt qui in álio Evangeliſta ſcribitur Zelótes; Cana quippe Zelus interpretátur.... Thaddæus ab evangelíſta Luca Judas Jacóbi dícitur; & álibi appellátur Lebbæus, quod interpretátur Córculum: credendúmque eſt eum fuiſſe trinóminem; ſicut Simon, Petrus; & filii Zebedæi, Boanérges ex firmitáte & magnitúdine fidei nomináti ſunt.

Ex libro ejúſdem ſancti Hierónymi, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio v. *cap.* 14.

JUdas frater Jacóbi, parvam quidem, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epíſtolam relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus eſt, in ea aſſúmit teſtimónium, à pleríſque rejícitur: tamen autoritátem vetuſtáte jam & uſu méruit, & inter ſanctas Scriptúras computátur.

Ex libéllo ſancti Adónis epíſcopi, de feſtivitátibus Apoſtolórum.

Lectio vj. *cap.* 11.

THaddæus apud Meſopotámiam, Simon verò apud Ægyptum tráditur prædicáſſe: inde ſimul Pérſidem ingréſſi, cùm fidei Chriſti innúmeram gentis ipsíus multitúdinem ſubdidiſſent, & Eccléſiam Dómini latè jam fundátam vidérent; martyrium ibi, curſum témporis expléntes, beáto certámine conſummavérunt; honoríficè ſepúlti à pópulis Chriſtiánis, quos Dómino ipſi genúerant. Quod quidam putant Simónem apóſtolum unum de duódecim, ipſum eſſe qui ſub Trajáno crucem paſſus ſit, omníno falſum eſt. Nam & Beda ſanctus preſbyter, qui hoc ſuper Acta Apoſtolórum ſentit, Iſidórum ſecútus, in libro Retractatiónum ſe hoc non bene ſenſíſſe reprehéndit. Sed & hiſtória Eccleſiáſtica, non de Apóſtolo, ſed de álio Simóne geſta narrat.

In III. Nocturno.
Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 14. 22. *ad* 25.

IN illo témpore; Dicit Jeſu Judas, non ille Iſcari[illegible] Dómine, quid factu

quia manifeſtatúrus es nobis teipſum, & non mundo? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 76. §. 1. 2.

INterrogávit Jeſum Judas, non ille tráditor ejus, qui Iſcariótes cognominátus eſt, ſed cujus Epíſtola inter Scriptúras canónicas légitur: [Dómine, quid factum eſt quia nobis manifeſtatúrus es teípſum, & non mundo?] Simus cum ipſis tanquam interrogántes diſcípuli, communémque magíſtrum audiámus & nos. Judas enim ſanctus, non immúndus, nec inſectátor Dómini, ſed ſectátor, cauſam quæſívit, quare ſe non mundo, ſed ſuis manifeſtatúrus eſſet Jeſus: quare adhuc módicum & mundus non vidéret eum, ipſi autem vidérent eum. [Reſpóndit Jeſus, & dixit ei: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit; & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & manſiónem apud eum faciémus.]

Lectio viij. §. 4.

FAcit in ſanctis cum Patre & Fílio ſanctus étiam Spíritus manſiónem: intus útique tanquam Deus in templo ſuo. Deus Trínitas Pater & Fílius & Spíritus-ſanctus véniunt ad nos, dum venímus ad eos: véniunt ſubveniéndo, venímus obediéndo; véniunt illuminándo, venímus intuéndo; véniunt impléndo, venímus capiéndo: ut ſit nobis eórum non extrária víſio, ſed intérna; & in nobis eórum non tranſitória manſio, ſed ætérna.

Lectio ix.

SIc mundo non ſe Fílius manifeſtat: mundus enim dictus eſt hoc loco, de quibus contínuò ſubjúnxit; [Qui non díligit me, ſermónes meos non ſervat.] Hi ſunt qui Patrem & Spíritum-ſanctum nunquam vident: Fílium autem non ut beatificéntur, ſed ut judicéntur, ad módicum vident; nec ipſum in forma Dei, ubi eſt cum Patre & Spíritu-ſancto páriter inviſíbilis; ſed in forma hóminis, ubi eſſe vóluit mundo patiéndo contemptíbilis, judicándo terríbilis.

Oratio.

DEus, qui nos per beátos Apóſtolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuiſti; da nobis ſanctórum tuórum Simónis & Judæ glóriam ſempitérnam proficiéndo celebráre, & celebrándo profícere; Per Dóminum.

Die XXX.

In Feſto SANCTI LEONIS PAPÆ, & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex.

De Communi SS. Doctorum, xxxij.

Oratio, Deus, qui pópulo tuo, xxxvij.

Ex vita S. Leonis inter ejus opera novæ editionis.

Lectio ij.

LEo, Románus, factus diáconus, Sixto pontífici autor fuit ne recíperet Juliánum Pelagiánum in communiónem Ecclésiæ ſúbdolè irrepéntem, ut ſedem amiſſam recuperáret. Miſſus in Gálliam, ut diſſidéntes inter ſe Aétium & Albínum Romános duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur ut Sixto ſuccéderet. Quatiebátur ínterim totus penè orbis Chriſtiánus váriis hæreticórum tempeſtátibus. Oriéntem Neſtoriáni, Occidéntem Pelagianórum relíquiæ infeſtábant. Manichæos, qui ex Africa à Vándalis devaſtáta Romam conflúxerant, cùm Cathólicæ communiónis ſpécie perfídiam ſuam tégerent, ne occúlti nocérent, iis præſértim detéxit indíciis quòd Domínicâ die & Fériâ ſecúndâ jejunárent in honórem Solis & Lunæ, & ſánguinem redemptiónis noſtræ hauríre omníno declinárent. Pelagianórum relíquias extínxit; Priſcillianiſtárum renaſcéntem hæreſim, congregátâ in Hiſpániâ Synodo, proſcrípſit. Concílio quarto œcuménico apud Chalcédonem celebráto perlécta eſt illíus ad Flaviánum epiſtola, quam ad ſe miſſam Galliárum Epíſcopi ſummis laúdibus excéperant; & ab univérſis acclamátum: Petrus per Leónem ita locútus eſt. Cujus Concílii definitiónem advérsùs Eútichen & Dióſcorum ad eóſdem Gálliæ Epíſcopos tranſmíſit. Miſſus à Valentiniáno imperatóre ad Attilam qui Aquiléiam expugnáverat, pacem inter eos compóſuit. Romam revérſus, Genſeríco urbem invadénti perſuáſit, ut ab incéndio & cædibus abſtinéret.

Lectio iij.

CAnonum propugnátor fuit acérrimus; multáque ſanctè & utíliter decrévit. Cléricum altérius ab álio Epíſcopo ſuum in clerum aſcríbi; ordinári dígamos; ſolémne baptíſma niſi pervigílio Paſchæ & Pentecóſtes adminiſtrári vétuit; Epíſcopum qui relíctâ ſuâ civitáte majórem ſedem ambíerit, utráque ſpoliándum eſſe cénſuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacérdos eſſet ordinándus, per omnes officii clericális Ordines proveherétur; ut diutúrno díſceret témpore, cujus & doctor eſſet futúrus. Plúrimis functus labóribus, multíſque luculénter ſcriptis, cùm Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicáſſet, & Itáliam à barbarórum vaſtatióne; explétis in pontificátu vigínti & ámpliùs annis, ábiit ad Dóminum anno quadringentéſimo ſexageſimo primo; propter pietátem, eruditiónem, & tot res præclárè

geſtas, meritò Magni nómine commendátus.

Post Vesperas, *fit Commemoratio ſancti Quintini martyris, Ant.* Qui vícerit; ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Præſta, xj.

Die XXXI.

In Vigilia

OMNIUM SANCTORUM.

Officium de Feria ut in Pſalterio.

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente; fiuntque ex tribus duæ.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. *c.* 6. 20. *ad* 23.

IN illo témpore; Elevátis Jeſus óculis in diſcípulos ſuos, dicébat: Beáti páuperes; quia veſtrûm eſt regnum Dei. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Luc. lib. 5. §. 62. 63.

NUnc dicámus quemádmodum in quátuor benedictiónibus ſanctus Lucas benedictiónes ſit octo compléxus. Et quidem ſcimus virtútes eſſe quátuor cardináles, Temperántiam, Juſtítiam, Prudéntiam, Fortitúdinem. Qui pauper eſt ſpíritu, avárus non eſt. Qui flet, non ſupérbit: ſed mitis eſt & pacátus. Qui luget, humiliátur. Qui juſtus eſt, non negat quod ſcit ómnibus ad uſum commúniter datum. Qui miſerétur, largítur de ſuo. Qui ſuum donat, non quærit aliénum, nec dólum próximo ſtruit. Connéxæ ígitur ſibi ſunt concatenatæque virtútes; ut qui unam habet, plures habére videátur: & ſanctis una cómpetit virtus, ſed ejus quæ fúerit ubérior, ubérius eſt præmium.

℟. Beáti éritis cùm vos óderint hómines, & ejécerint nomen veſtrum tanquam malum propter Fílium hóminis. * Gaudéte in illa die, & exultáte; † Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo. *Luc.* 6. 22. 23. ℣. Hæc dicit Dóminus: Juxtà eſt ſalus mea ut véniat, & juſtítia mea ut revelétur. *Iſai.* 56. 1. * Gaudéte. Glória. † Ecce enim.

Ad Laudes Matutinas.

Dicuntur Preces, flexis genibus, ut in Pſalterio, 135.

Oratio.

DOmine Deus noſter, multíplica ſuper nos grátiam tuam; & quorum prævenímus glorióſa ſolémnia, tríbue ſúbſequi in ſancta profeſſióne lætítiam; Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. Quintini, Ant. Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Orat.* Præſta, xj.

Ad Horas, *dicuntur etiam Preces, flexis genibus, ut in Pſalterio.*

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE I. NOVEMBRIS.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

SOLEMNE.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiph. 5. *toni. F. Duplic.*

JUſti in perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum. *Sap.* 5. 16.

Ant. 3. E. Cogitátio illórum apud Altíſſimum: ídeo accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini. *Sap.* 5. 16. 17.

Ant. 1. D. Addúcet illos Dóminus portátos in honóre sicut fílios regni; addúcet cum jucunditáte in lúmine majestátis ſuæ, cum miſericórdia. *Baruch* 5. 6. 9.

Ant. 4. d. Habitábunt in Jerúſalem, & anáthema non erit ámplius; ſed ſedébit Jerúſalem ſecúra. *Zach.* 14. 11.

Ant. 7. a. Gaúdium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio, & vox laudis: ſalus mea in ſempitérnum erit. *Iſai.* 51. 3. 6.

Capitulum. *Rom.* 8. 29.

QUos præſcívit Deus, & prædeſtinávit confórmes fieri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus.

℟. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine, * Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos; quóniam apud te eſt fons vitæ. *Pſ.* 35. 9. 10.

℣. Agnus qui in médio throni eſt, dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7. 17. * Et torrénte. Glória. *Repetitur* ℟. Inebriabúntur.

Hymnus, Cœlo quos eádem, *infrà in II. Veſperis.*

℣. Vénient, & laudábunt in monte Sion: ℟. Et cónfluent ad bona Dómini. *Jer.* 31. 12.

Ad Magníf. *Ant.* 5. F. *Dupl.* Redémpti à Dómino, vénient in Sion cum laude: & lætítia ſempitérna ſuper caput eórum: gaúdium & lætítiam obtinébunt. *Iſai.* 35. 10.

Oratio.

DEus, apud quem ómnium Sanctórum in cœlis eſt ætérna feſtívitas, tríbue, quæſumus, eórum in terris inchoáta ſic nos hódie renováre ſolémnia, ut adunáta eorúndem intercéſſio, & abundantióra præſtet exémpla virtútum, & majóra nobis obtíneat augménta gratiárum; P

Completorium, *ut in die infrà*, 435.

Orationes, Deus, apud quem, *ſuprà*, & Véritas, *ſub una concluſione*.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Deum, qui glorificátur in consílio Sanctórum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 88. 8.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Vos ſancti Próceres, vos
Súperûm chori,
Cœli quotquot habet régia
Príncipes,
Noſtros nunc date veſtris
Cantus júngere cántibus.

Primis ante álios, glória
Cœlitûm,
Chriſti Virgo parens fulget
honóribus;
Divinóque ſevérum
Flectit pígnore Júdicem.

Astant Spírituum mille
ácies throno,
Regi ſancta ferunt vota cliéntium:
Hic Baptiſta profúndo
Lucis flúmine mérgitur.

Quorum núntia vox, orbis
ad últimas
Chriſtum vox réſonans intónuit plagas,
Præcónes duodéni
Sacris Vátibus áſſident.

Fuso purpúrei ſánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum roſis.

Qui pavére ſuos Præpóſiti
greges,
Paſcúntur ſúpero Número plénius;
Qui flevére, ſerénus
Abſtérgit lácrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, máxima
laus Patri;
Qui mundum réparat, máxima Fílio;
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

Pſalmi de Dominica.

In I. Nocturno.

Ant. 4. E. *Duplicatur.* Elécti mei non laborábunt fruſtrà, quia ſemen benedictórum Dómini eſt, dicit Dóminus. *Iſai.* 65. 23. 25.

Ant. 3. a. Grátia Dei, & miſericórdia eſt in Sanctos ejus, & reſpéctus in eléctos illíus. *Sap.* 4. 15.

Ant. 7. a. Déxterâ ſuâ teget eos Dóminus, & bráchio ſancto ſuo defféndet illos. *Sap.* 5. 17.

℣. Non derelínquet Dóminus Sanctos ſuos; ℟. In ætérnum conſervabúntur. *Pſ.* 36. 28.

Ex libro Apocalypſis beáti Joánnis apóſtoli.

Lectio j. *c.* 4. 2. *ad* 8.

Ecce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens: & qui ſedébat, ſímilis erat aſpéctui lápidis jáſpidis & ſárdinis; & iris erat in circúitu

edis, ſimilis viſióni ſmarágdinæ. Et in circúitu ſedis ſedília vigínti quátuor; & ſuper thronos vigínti quátuor ſenióres ſedéntes, circumamícti veſtiméntis albis, & in cápitibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei. Et in conſpéctu ſedis tanquam mare vítreum ſímile cryſtállo: & in médio ſedis, & in circúitu ſedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & ſecúndum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas ſenas; & in circúitu, & intus plena ſunt óculis: & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt.

℞. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem, & * Fidéles in dilectióne acquiéſcent illi; quóniam donum & pax eſt eléctis ejus. *Sap.* 3. 9. ℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui ſecúndùm propóſitum vocáti ſunt Sancti. *Rom.* 8. 28. * Fidéles in dilectióne.

Lectio ij. *c.* 5. 1, *ad* 8.

Et vidi in déxtera ſedéntis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignátum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis eſt dignus aperíre librum, & ſólvere ſignácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus invéntus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi: Ne fléveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & ſólvere ſeptem ſignácula ejus. Et vidi: & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem tanquam occíſum, habéntem córnua ſeptem, & óculos ſeptem; qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera ſedéntis in throno librum. Et cum aperuíſſet librum, quátuor animália, & vigínti quátuor ſenióres cecidérunt coram Agno, habéntes ſinguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes Sanctorum.

℞. Juſtórum ánimæ * In manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum mortis: ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 1, 4. ℣. Reſpóndit

Judæis Jeſus : Oves meæ non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quiſquam de manu mea. *Joan.* 10. 25. 28. *. In manu Dei ſunt.

Lectio iij. *c.* 5. 9. *ad fin.*

ET cantábant cánticum novum, dicéntes : Dignus es Dómine accípere librum, & aperíre ſignácula ejus; quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne; & fecíſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdótes; & regnábimus ſuper terram. Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & seniórum : & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ : Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo; omnes audívi dicéntes : Sedénti in throno, & Agno benedíctio, & honor, & glória, & poteſtas in ſécula ſeculórum. Et quátuor animália dicébant : Amen. Et vigínti quátuor ſeniores cecidérunt in fácies ſuas; & adoravérunt Vivéntem in ſécula ſeculórum.

℟. Benedictiónem dabit legiſlátor, * Ibunt de virtúte in virtútem; † Vidébitur Deus deórum in Sion. *Pſ.* 83. 8. ℣. Dicit Deus : Inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus. 2. *Cor.* 6. 16. * Ibunt. Glória. † Vidébitur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. â. *Duplicatur.* Juſti fulgébunt ſicut ſol in regno Patris eórum. *Matt.* 13. 43.

Ant. 2. D. Non erunt in memória prióra, & non aſcéndent ſuper cor, & non audiétur ultrà vox fletûs. *Iſai.* 65. 17. 19.

Ant. 5. a. Lætabúntur ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ, quando dívidunt ſpólia. *Iſai.* 9. 3.

℣. Exúltent Juſti in conſpéctu Dei, ℟. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

De Sermóne ſancti Bernárdi abbátis.

Serm. 5. *in Feſto Omnium Sanctorum* §. 5.

Lectio iv.

AD quid Sanctis laus noſtra, ad quid glorificátio noſtra, ad quid noſtra hæc ipſa ſolémnitas? Quò eis terrénos honóres; quos juxta verácem Fílii promiſſiónem honoríficat Pater cœléſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorſus ita eſt, dilectiſſimi, honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quicquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ intereſt,

on ipſórum. Vultis ſcire uantùm intereſt noſtrâ? Ego ı me, fáteor, ex hac recoratióne ſéntio deſidérium vèemens inflammári.

℟. Fulgébunt Juſti, & tannam ſcintíllæ in arundinéto iſcúrrent; judicábunt natióes, & dominabúntur pópus, * Et regnábit Dóminus lórum in perpétuum. *Sap.* 3. . 8. ℣. Erunt ſacerdótes Dei c Chriſti, & regnábunt cum lo. *Apoc.* 20. 6.* Et regnábit.

Lectio v. *Paulò pòſt.*

QUando & nos addémur ad patres noſtros? quano eſſentiáliter præſentábimur is? Hoc enim primum deſiérium, quod in nobis Santórum memória vel éxcitat el íncitat magìs, ut eórum ım optábili ſocietáte fruáıur, & mereámur concíves & ontubernáles eſſe ſpirítuum eatórum, miſcéri cœtui Pairiarchárum, cúneis Propheírum, ſenátui Apoſtolórum, Iártyrum exercítibus numeóſis, Confeſſórum collégiis, írginùm choris; in ómnium énique cólligi & collætári ommunióne Sanctórum.

℟. Laudábunt præ exùltaóne cordis, & Dóminus Deus ſervos ſuos vocábit nóıine álio; quia * Oblivióni :áditæ ſunt angúſtiæ prióres, : abſcónditæ ſunt ab óculis. ſai. 65. 14. 15. 16. ℣. Mors ltrà non erit, neque luctus, eque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. *Apoc.* 21. 4.* Oblivióni tráditæ ſunt.

Lectio vj. §. 6.

PRæſtolátur nos Ecclèſia illa primitivórum, & neglígimus: deſíderant nos Sancti, & parvi-péndimus: expéctant nos Juſti, & diſſimulámus. Excitémur aliquándo, fratres; reſurgámus cum Chriſto, quærámus quæ ſurſum ſunt: quæ ſurſum ſunt ſapiámus. Deſiderémus deſiderántes nos, properémus ad præſtolántes nos, expectántes nos votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac noſtra communióne ſecuritátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hìc quoque [quàm bonum, & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum!] Quidquid enim, ſive intériùs, ſive extériùs, moléſtum occúrrit, ipſo útique tam germanórum conſórtio fratrum, cum quibus eſt nobis cor unum & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla ſuſpício eſſe póterit, nulla diſſenſiónis occáſio, ubi omnes perfécta cáritas indiſſolúbili fœdere colligábit! ut ſicut Pater & Fílius unum ſunt, ſic & nos unum ſimus in ipſis.

℟. Non egébunt lúmine ſolis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, * Et † Regnábunt in ſécula ſeculórum.

Apoc. 22. 5. ℣. Suſcípient regnum Sancti Dei altíſſimi; & obtinébunt regnum uſque in ſéculum. *Dan.* 7. 18.* Et regnábunt. Glória.† Regnábunt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. *Dupl.* Deus qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos, conſedére fecit in cœléſtibus. *Epheſ.* 2. 4. 6.

Ant. 8. G. Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctórum in lumine, & tránſtulit in regnum Fílii dilectiónis ſuæ. *Coloſſ.* 1. 12. 13.

Ant. 6. C. Nos omnes revelátâ fácie glóriam Dómini ſpeculántes, in eándem imáginem transformámur à claritáte in claritátem. 2. *Cor.* 3. 18.

℣. Fecit nos Chriſtus regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo: ℟. Ipſi glória & impérium in ſécula. *Apoc.* 1. 6.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 1. *ad* 12.

IN illo témpore; Videns Jeſus turbas, aſcéndit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſérunt ad eum diſcípuli ejus: & apériens os ſuum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes ſpíritu; quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in cap. 5. *Matt.*

BEáti paúperes ſpíritu, hoc eſt quod álibi légimus: [Et húmiles ſpíritu ſalvábit.] Ne quis autem putáret paupertátem, quæ nonnúnquam neceſſitáte portátur, à Dómino prædicári, adjúnxit, [ſpíritu,] ut humilitátem intelligeres, non penúriam. [Beáti paúperes ſpíritu:] qui propter Spíritum-ſanctum voluntáte ſunt paúperes. Unde ſuper hujuſcémodi paupéribus, & Salvátor per Iſaïam lóquitur: [Dóminus unxit me, propter quod evangelizáre paupéribus miſit me. [Beáti mites; quóniam ipſi poſſidébunt terram.] Non terram Judææ, nec terram iſtius mundi: non terram maledictam, ſpinas & tríbulos afferéntem, quam crudeliſſimus quiſque & bellátor magis póſſidet: ſed terram quam Pſalmiſta desíderat, dicens: [Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℟. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, qui eras, & qui ventúrus es; quia * Regnáſti, & advénit tempus reddere mercédem ſervis tuis, & Sanctis. *Apoc.* 11. 17. 18. ℣. Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine. *Exod.* 15. 6.* Regnáſti.

Lectio viij.

BEáti qui lugent; quóniam ipſi conſolabúntur.] Luctus hic non mortuórum pónitur commúni lege natúræ, ſed peccátis & vítiis mortuórum. Sic flevit & Sámuel Saülem; quia pœnitúerat Deum quòd

xiſſet eum regem ſuper Iſ-
:l. Sic & Paulus apóſtolus
re ac lugére ſe dicit eos,
i poſt fornicatiónem & im-
ındítiam non egérunt pœni-
ıtiam. [Beáti qui eſúriunt
ſitiunt juſtítiam.] Non no-
ſúfficit velle juſtítiam, niſi
ſtitiæ patiámur famem: ut
ɔ hoc exémplo nunquam
s ſatis juſtos, ſed ſemper
uríre juſtítiæ ópera intelli-
mus. [Beáti miſericórdes.]
iſericórdia non ſolùm in
eemóſynis intellígitur, ſed
omni peccáto fratris, ſi alter
:érius óneta portémus.

℟. Replêti ſumus miſeri-
ırdiâ tuâ, Dómine; & exul-
vimus, & delectáti ſumus.
Lætáti ſumus pro diébus qui-
ıs nos humiliáſti, annis qui-
s vídimus mala. *Pſ.* 89. 14.
. ℣. Momentáneum & leve
bulatiónis noſtræ, ſupra
ɔdum in ſublimitáte ætér-
m glóriæ pondus operátur
nobis. 2. *Cor.* 4. 17. * Læ-
i ſumus.

Lectio ix.

BEáti mundo corde; quó-
niam ipſi Deum vidébunt.]
uos non árguit conſciéntia
a peccáti. Mundus mundo
rde conſpícitur: templum
ei non poteſt eſſe pollútum.
Beáti pacífici.] Qui primùm
corde ſuo, deínde & inter
tres diſſidéntes pacem fá-
ınt. Quid enim prodeſt álios
r te pacári, cùm in tuo áni-
ɔ ſint bella vitiórum? [Beáti
qui perſecutiónem patiúntur
propter juſtítiam.] Signánter
dicit: [Propter juſtítiam.]
Multi enim perſecutiónem
propter ſua peccáta patiúntur,
& non ſunt juſti.

℟. Redemíſti nos Deo in
ſánguine tuo ex omni pópulo,
& natióne; * Et fecíſti nos
Deo noſtro regnum & ſacer-
dótes; & regnábimus. *Apoc.* 5.
9. 10. ℣. Dux fuíſti in miſeri-
córdia tua pópulo quem rede-
míſti, & portáſti eum ad
habitáculum ſanctum tuum.
Exod. 15. 13. * Et fecíſti nos.
Glória. *Repetitur* ℟. Redemí-
ſti nos.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Confiteán-
tur tibi Dómine, ómnia ópera
tua; ℟. Et Sancti tui benedí-
cant tibi. *Pſ.* 144. 10.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona 7. *toni. d.*

VIdi óſtium apértum in
cœlo, & ſedes póſita erat;
& qui ſedébat, ſímilis erat
aſpéctui lápidis jáſpidis & ſár-
dinis, & de throno procedé-
bant fúlgura. *Apoc.* 4. 1. 2. 3. 5.

Ant. 1. â. In circúitu ſedis
ſuper thronos ſenióres ſedén-
tes; & in capítibus eórum co-
rónæ áureæ: & mittébant co-
rónas ſuas ante thronum, di-
céntes: Dignus es Dómine ac-
cípere glóriam. *Apoc.* 4. 4. 10.

Ant. 1. f. Vidi turbam
gnam, quam dinumer

mo póterat, ex ómnibus pópulis ante thronum, & clamábant: Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno. *Apoc.* 7. 9. 10.

Ant. 5. a. Vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum, & regnábunt in ſécula ſeculórum. *Apoc.* 22. 4. 5.

Ant. 7. d. Exultábunt in glória, lætabúntur in cubílibus ſuis; exaltatiónes Dei in gútture eórum: glória hæc eſt ómnibus Sanctis ejus. *Pſ.* 149. 5. 6. 9.

Capitulum. 1. *Cor.* 2. 9. 10.

SCriptum eſt: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum; nobis autem revelávit Deus per Spíritum ſuum.

Hymnus. *Santol. Vict.*

HYMNIS dum réſonat cúria Cœlitûm,
Hìc flemus pátriis fínibus éxules:
Hìc ſuſpénſa tenémus
Mutis cántibus órgana.

QUANDO mens míſero líbera cárcere,
Se veſtris ſóciam cœtibus ínſeret;
Et, calígine pulsâ,
Cœli lucem habitábimus?

OBSCURÆ fúgient mentis imágines,
Cùm ſtantes própiùs lúminis ad jubar,
Nos Verum ſine nube
Ipſo in fonte vidébimus.

NOBIS ſancta cohors ſis bona, flúctibus
Luctántes médiis, quos modò réſpicis,
Da portus, duce Chriſto,
Da contíngere próſperos.

A QUO cuncta fluunt, máxima laus Patri;
Qui mundum réparat, máxima Fílio;
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte Juſti, ℟. Et gloriámini omnes recti corde. *Pſ.* 31. 11.

Ad Bened. *Ant.* 1. D.* *Dupl.* Quos prædeſtinávit Deus, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. *Rom.* 8. 30.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita ſub una tríbuis celebritáte venerári; quæſumus, ut deſiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis interceſſóribus, largiáris; Per Dóminum.

AD HORAS, *in fine Hymnorum, Doxologia.*

FONS ſanctitátis, ô Deus,
Qui magna merces es nimis,
Et certa Sanctórum quies,
Jugis tibi ſit glória. Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM, *Ant.* Vidi óſtium apértum.

Orationes,

Orationes, Omnípotens, ...rà, & Dómine ſancte, Pa... omnípotens, *ſub eadem* ...cluſione.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

ſ. 25. *de invocatione Sanct.*

Mandat ſancta Synodus ómnibus docéndi mu...s curámque ſuſtinéntibus, ... fidéles diligénter ín...uant, docéntes eos, San...os unà cum Chriſto regnán..., oratiónes ſuas pro homí...bus Deo offérre; bonum ...que útile eſſe ſuppliciter eos ...vocáre.

Ad Tertiam, *Ant.* In ...rcúitu ſedis.

Capitulum. *Apoc.* 4. 10.

Procidébant vigínti quá...tuor ſeniores ante ſedén...m in throno, & adorábant ...véntem in ſécula ſeculórum.

℟. *breve*, Beáti qui hábi...nt in domo tua, Dómine; Allelúia, allelúia. ℟. Beáti. In ſécula ſeculórum laudá...nt te. * Allelúia. Glória. Beáti. *Pſ.* 83. 5.

℣. In ætérnum exultábunt, habitábis in eis: ℟. Et glo...ibúntur in te. *Pſ.* 5. 12.

Ad Sextam, *Ant.* Vidi ...rbam magnam.

Capitulum. *Apoc.* 19. 4. 5.

Adoravérunt Deum ſedéntem ſuper thronum, di...ntes: Amen; Allelúia. Et ...x de throno exívit, dicens: ...udem dícite Deo noſtro ...nnes ſervi ejus.

℟. *breve*, Cantáte Dómino cánticum novum; * Allelúia, allelúia. ℟. Cantáte. ℣. Laus ejus in ecclésia Sanctórum. * Allelúia. Glória. ℟. Cantáte. *Pſ.* 149. 1.

℣. Exultáte Juſti in Dómino: ℟. Rectos decet collaudátio. *Pſ.* 32. 1.

Ad Nonam, *Ant.* Exultábunt.

Capitulum. *Apoc.* 19. 6. 7.

Audívi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, & ſicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúia; quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei.

℟. *breve*, Benedícite Dóminum omnes elécti ejus; * Allelúia, allelúia. ℟. Benedícite. ℣. Agite dies lætítiæ, & confitémini illi. * Allelúia. Glória. ℟. Benedícite. *Tob.* 13. 9.

℣. Benedícite ſpíritus & ánimæ Juſtórum Dómino, ℟. Laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3. 86.

A D V E S P E R A S.

Pſalmi de Dominica; ſed loco ultimi, *Pſ.* Lætátus ſum, 59.

Antiphona 1. *toni. D.*

Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui elégit nos in Chriſto, ut eſſémus ſancti. *Epheſ.* 1. 3. 4.

Ant. 3. a. Ipſius ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu

in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. *Epheſ.* 2. 10.

Ant. 7. a. Prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum ſecúndùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in Fílio ſuo. *Epheſ.* 1. 5. 6.

Ant. 1. D.* Salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis; ut juſtificáti grátiâ ipsíus, herédes ſimus ſecúndùm ſpem vitæ ætérnæ. *Tit.* 3. 5. 7.

Ant. 6. F. Filii ſanctórum ſumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 18.

Capitulum. 1. *Joan.* 3. 2.

CAriſſimi, nunc fílii Dei ſumus; & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum ſícuti eſt.

℟. Cùm vénerit quod perféctum eſt, evacuábitur quod ex parte eſt.* Vidémus nunc per ſpéculum in ænígmate; tunc autem fácie ad fáciem. 1. *Cor.* 13. 10. 12. ℣. In lúmine tuo, Dómine, vidébimus lumen. *Pſ.* 35. 10. * Vidémus. Glória. *Repetitur* ℟. Cùm vénerit.

Hymnus. *Santol. Vict.*

COElo quos éadem glória cónſecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti veſtra ſimul præmia pángimus,
Duris parta labóribus.

JAM vos paſcit Amor, nudáque Véritas;
De pleno bíbitis gaúdia flúmine:
Illic perpétuam mens ſatiat ſitim,
Sacris ébria fóntibus.

ALTIS ſecum hábitans in penetrálibus,
Se Rex ipſe ſuo contúitu beat,
Illabénſque, ſuî pródigus, íntimis
Seſe méntibus ínſerit.

ALTARI médio, cui Deus ínſidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor:
Quæ mactáta Patri ſe ſemel óbtulit,
Se jugis litat hóſtia.

PRONIS turba ſenum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnánti Dómino dévovet aúrea
Quæ ponit diadémata.

GENTES innúmeræ, conſpícuæ ſtolas,
Agni purpúreo ſánguine cándidas,
Palmis læta cohors cántibus æmulis
Ter ſanctum célebrant Deum.

SIT laus ſumma Patri; ſummáque Fílio;
Sit par ſancte tibi laus quoque Spíritus,

Qui das pro méritis, óptimus árbiter,

Te totum ſimul ómnibus. Amen.

℣. Juſti confitebúntur nómini tuo Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. *Dupl.* Beáti mundo corde; quóniam ipſi Deum vidébunt: beáti pacífici; quóniam filii Dei vocabúntur: beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam; quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. *Matt.* 5. 8. 9. 10.

Poſt Benedicámus Dómino, *dicuntur Veſperæ de Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, ut infrà.*

Ad Completorium.

Ant. 8. G. Réddidit Juſtis mercédem labórum ſuórum; & dedúxit illos in via mirábili. *Sap.* 10. 17.

In fine Hymni, Doxologia;

Fons ſanctitátis, ô Deus;
Qui magna merces es nimis;
Et certa Sanctórum quies,
Jugis tibi ſit glória. Amen.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. *Dan.* 7. 22.

Orationes, Omnípotens, *ſuprà*, & Véritas, *ſub eadem concluſione.*

DIE II.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

SEMISOLEMNE.

¶ *Veſperæ, Officium Nocturnum, & Horæ incipiuntur abſolutè ſine*, Deus in adjutórium.

Ad Vesperas.

Incipiuntur abſolutè ab impoſitione Antiphonæ.

Pſalmi de Officio Defunctorum, infrà, cxiv.

Antiphona 7. toni. c.

Homo vanitáti ſímilis factus eſt; dies ejus ſicut umbra prætéreunt. *Pſ.* 143. 4.

Ant. 2. D. Homo brevi vivens témpore, replétur multis miſériis: quaſi flos egréditur, & contéritur. *Job.* 14. 1. 2.

Ant. 8. G. Ibit homo in domum æternitátis ſuæ; & cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium, *Eccle.* 12. 5. 14.

Ant. 7. c. Omnes manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

Ant. 2. D. Meménto creatóris tui, ántequam revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. *Eccle.* 12. 1. 7.

Ad Magníf. *Ant.* 7. c. *Dupl.* Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur: ámodo jam dicit Spíritus, ut requiéſcant à labóribus ſuis; ópera enim illórum ſequúntur illos. *Apoc.* 14. 13.

Finitâ Antiphonâ, ſtatim dicitur, Dóminus vobíſcum, &c. *& Oratio*, Fidélium, &c. *ut infrà ad Laudes.*

Completorium dicitur more ſolito, ut ſuprà.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Deum cui omnes vivunt,* Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalmus, Veníte, 2.

In cujus fine dicitur, Réquiem ætérnam, &c.

Pſalmi & Reſponſoria de Officio Defunctorum, cxvj.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Adæ dixit Deus: In ſudóre vultûs tui veſcéris pane, donec revertáris in terram de qua ſumptus es; quia pulvis es, & in púlverem revertéris. *Gen.* 3. 19.

Ant. 2. D. Ecce breves anni tránſeunt, & ſémitam per quam non revértar, ámbulo. *Job* 16. 23.

Ant. 1. *a.* Rurſum circúndabor pelle meâ, & Deum meum óculi mei conſpectúri ſunt: repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. *Job* 19. 26. 27.

℣. Omnes quidem reſurgémus, ℟. Sed non omnes immutábimur. 1. *Cor.* 15. 51.

Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos.

Lectiones leguntur abſolutè ſine Benedictione; nec additur, Tu autem, *in fine earum.*

De libro Job.

Lectio j. *c.* 14. 1. *ad* 6.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum ſémine? nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus menſium ejus apud te eſt: conſtituíſti términos ejus, qui præteríri non póterunt Recede paúlulùm ab eo, ut quieſ-

:; donec optáta véniat, ſicut
ercenárii, dies ejus.

℟. Scio quòd Redémptor, *ut Officio Defunctorum*, cxviij.

ectio ij. *v. 7. ad* 12.

Ignum habet ſpem; ſi præ- cíſum fúerit, rurſum vi- cit, & rami ejus púllulant. ſenúerit in terra radix ejus, in púlvere emórtuus fúe- truncus illíus, ad odórem uæ germinábit, & fáciet mam quaſi cùm primùm ntátum eſt: homo verò m mórtuus fúerit, & nudá- atque conſúmptus, ubi æſo eſt? Quómodo ſi recé- nt aquæ de mari, & flúvius cuefáctus aréſcat: ſic homo m dormíerit, non reſúrget; nec atterátur cœlum, non igilábit, nec conſúrget de nno ſuo.

℟. Qui dórmiunt, cxviij.

ectio iij. *v.* 13. *ad* 16.

Quis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas :, & abſcóndas me, do- c pertránſeat furor tuus, conſtítuas mihi tempus in o recordéris meî? Putáſne ortuus homo rurſum vivat? ctis diébus quibus nunc lito, expécto donec véniat nutátio mea. Vocábis me, go reſpondébo tibi: óperi nuum tuárum pórriges cteram. Tu quidem greſſus os dinumeráſti, ſed parce cátis meis.

℟. Ego ad Dóminum,
x.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Quantus ſum ego, ut reſpóndeam Deo? qui etiámſi habúero quíppiam juſtum, non reſpondébo; ſed meum júdicem deprecábor. *Job* 9. 14. 15.

Ant. 8. G. Loquar in amaritúdine ánimæ meæ; dicam Deo: Noli me condemnáre. *Job* 10. 1. 2.

Ant. 2. D. Quis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus? *Job* 14. 13.

℣. In médio umbræ mortis, non timébo mala, ℟. Quóniam tu mecum es. *Pſ.* 22. 4.

Sermo ſancti Auguſtíni epiſcopi.

Serm. 172. *de Verbis Apoſtoli,* §. 1. *Aliàs Serm.* 32.

Lectio iv.

ADmonet nos beátus Apóſtolus, [ut de dormiéntibus, hoc eſt, mórtuis caríſſimis noſtris, non contriſtémur, ſicut & céteri qui ſpem non habent;] ſpem ſcílicet reſurrectiónis & incorruptiónis ætérnæ. Nam ídeo & dormiéntes eos appéllat Scriptúræ veracíſſima conſuetúdo, ut cùm dormiéntes audímus, evigilatúros mínimè deſperémus. Unde étiam cantátur in Pſalmo: [Nunquid qui dormit, non adjíciet ut reſúrgat?] Eſt ergo de mórtuis, eis qui díligunt, quædam triſtítia quodámmodo naturális. Mortem

quippe horret, non opínio, ſed natúra. Nec mors hómini accíderet, niſi ex pœna quam præcéſſerat culpa. Quaprópter ſi animália quæ ita creáta ſunt, ut ſuo quæque témpore moriántur, mortem fúgiunt, díligunt vitam; quantò magìs homo, qui ſic fúerat creátus, ut ſi vívere ſine peccáto voluíſſet, ſine término víveret? Hinc ítaque necéſſe eſt ut triſtes ſimus, quando nos moriéndo déſerunt, quos amámus: quia etſi nóvimus eos non in ætérnum relínquere nos manſúros, ſed aliquántùm præcédere ſecutúros; tamen mors ipſa quam natúra réfugit, cùm óccupat diléctum, contríſtat in nobis ipsíus dilectiónis affectum. Ideo non admónuit Apóſtolus ut non contriſtémur; ſed [non ſicut céteri qui ſpem non habent.]

℟. Deus meus, cxx.

Lectio v. §. 1. 2.

CONtriſtámur ergo nos in noſtrórum mórtibus neceſſitáte amitténdi, ſed cum ſpe recipiéndi. Inde ángimur, hinc conſolámur: inde infírmitas ＆fficit, hinc fides réficit: inde dolet humána condítio, hinc ſanat divína promíſſio. Proínde pompæ fúneris, ágmina exequiárum, ſumptuóſa diligéntia ſepultúræ, monumentórum opulénta conſtrúctio, vivórum ſunt qualiacúnque ſolátia, non adjutória mortuórum. Oratiónibus verò ſanctæ Eccléſiæ, & ſacrificio ſalutári, & eleemóſynis quæ pro eórum ſpirítibus erogántur, non eſt dubitándum mórtuos adjuvári; ut cum eis miſericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à pátribus tráditum, univérſa obſérvat Eccléſia; ut pro eis qui in córporis & ſánguinis Chriſti communióne defúncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorántur, orétur; ac pro illis quoque id offérri commemorétur. Cùm verò eórum commendandórum causâ ópera miſericórdiæ celebrántur, quis eis dúbitet ſuffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegántur? Non omníno ambigéndum eſt iſta prodéſſe defúnctis; ſed tálibus qui ita vixerint ante mortem, ut poſſint eis hæc utília eſſe poſt mortem. Nam qui ſine fide quæ per dilectiónem operátur, ejúſque ſacraméntis, de corpóribus exiérunt, fruſtrà illis à ſuis hujúſmodi pietátis impendúntur offícia, cujus, dum hìc eſſent, pígnore caruérunt, vel non ſuſcipiéntes, vel in vácuum ſuſcipiéntes Dei grátiam, & ſibi non miſericórdiam theſaurizántes, ſed iram.

℟. Non intres, cxxj.

Lectio vj. §. 2. 3.

NOn ergo mórtuis nova mérita comparántur, cùm pro eis boni áliquid operántur ſui; ſed eórum præcedén-

ɔus conſequéntia iſta red-
úntur. Non enim actum eſt,
iſi cùm hìc víverent, ut eos
ec áliquid adjuvárent, cùm
ic vívere deſtitiſſent. Et ídeo
lam finiens quiſque vitam,
iſi quod méruit in ipſa, non
óterit habére poſt ipſam. Per-
ittántur ítaque pia corda
arórum de ſuórum mórtibus
ontriſtári dolóre ſanábili, &
onſolábiles lácrymas fundant
onditióne mortáli; quas citò
éprimat fidei gaúdium, quâ
redúntur fidéles, quando
noriúntur, paúlulùm à nobis
bíre, & ad melióra transíre.
Conſoléntur eos étiam fra-
érna obſéquia, ſive quæ fu-
éribus exhibéntur, ſive quæ
loléntibus adhibéntur, ne ſit
uſta queréla dicéntium: [Su-
tinui qui ſimul contriſtarétur,
& non fuit; & conſolántes,
& non invéni.] Sit pro víri-
ous cura ſepeliéndi & ſepúlcra
onſtruéndi; quia & hæc in
Scriptúris ſanctis inter bona
ſper adeputáta ſunt: nec ſolùm
n corpóribus Patriarchárum
liorúmque ſanctórum, & hu-
nánis cadavéribus quorum-
únque jacéntium; verùm
tiam in ipsíus Dómini cór-
ore prædicáti atque collau-
láti ſunt, qui iſta fecérunt.
mpleant hæc hómines erga
uos offícia poſtrémi múneris,
& ſui humáni leniménta mœ-
óris. Verùm illa quæ ádju-
vant ſpíritus defunctórum,
oblatiónes, oratiónes, ero-
gatiónes, multò pro eis ob-
ſervántiùs, inſtántiùs, abun-
dántiùs impéndant, qui ſuos
carne, non ſpíritu mórtuos,
non ſolùm carnáliter, ſed
étiam ſpirituáliter amant.

℞. Manum tuam, cxxj.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. b. Peccávi, quid fáciam tibi, ô cuſtos hóminum? quare non aufers iniquitátem meam? *Job* 7. 20. 21.

Ant. 8. G. Dies mei conſúmpti ſunt abſque ulla ſpe; meménto quia ventus eſt vita mea. *Job* 7. 6. 7.

Ant. 3. c. Parce mihi Deus, nihil enim ſunt dies mei. *Job* 7. 16.

℣. Líbera me Dómine, & pone me juxta te, ℞. Et cujúſvis manus pugnet contra me. *Job* 17. 3.

De Epíſtola prima beáti Pauli apóſtoli ad Corínthios.

Lectio vij. *c.* 15. 12. *ad* 22.

SI Chriſtus prædicátur quòd reſurréxit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis quóniam reſurréctio mortuórum non eſt? Si autem reſurréctio mortuórum non eſt; neque Chriſtus reſurréxit. Si autem Chriſtus non reſurréxit, inánis eſt ergo prædicátio noſtra, inánis eſt & fides veſtra: invenímur autem & falſi teſtes Dei; quóniam teſtimónium díximus advérsùs Deum, quòd ſuſcitáverit Chriſtum, quem non ſuſcitávit, ſi mórtui non reſúrgunt. Nam ſi

mórtui non reſúrgunt, neque Chriſtus reſurréxit. Quòd ſi Chriſtus non reſurréxit, vana eſt fides veſtra; adhuc enim eſtis in peccátis veſtris. Ergo & qui dormiérunt in Chriſto, periérunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperántes ſumus, miſerabilióres ſumus ómnibus homínibus. Nunc autem Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. Et ſicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Chriſto omnes vivificabúntur.

℟. Operi mánuum, cxxiij.

Lectio viij. *v.* 35. *ad* 44.

SEd dicet áliquis: Quómodo reſúrgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Inſípiens, tu quod ſéminas non vivificátur, niſi priùs moriátur: & quod ſéminas, non corpus quod futúrum eſt ſéminas, ſed nudum granum, ut putà trítici, aut alicújus ceterórum; Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuíque ſéminum próprium corpus. Non omnis caro, eádem caro: ſed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píſcium. Et córpora cœléſtia, & córpora terréſtria; ſed ália quidem cœléſtium glória, ália autem terréſtrium. Alia cláritas ſolis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas ſtellárum; ſtella enim à ſtella differt in claritáte. Sic & reſurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne: ſeminátur in ignobilitáte, ſurget in glória: ſeminátur in infirmitáte, ſurget in virtúte: ſeminátur corpus animále, ſurget corpus ſpiritále.

℟. Dómine Deus, cxxiij.

Lectio ix. *v.* 51. *ad fin.*

ECce myſtérium vobis dico: Omnes quidem reſurgémus, ſed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mórtui reſúrgent incorrúpti; & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſórpta eſt mors in victória. Ubi eſt mors victória tua? ubi eſt mors ſtímulus tuus? Stímulus autem mortis, peccátum eſt: virtus verò peccáti, lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque, fratres mei dilécti, ſtábiles eſtóte & immóbiles: abundántes in ópere Dómini ſemper, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

℟. Líbera me, cxxiv.

In Laud. comm. de Cruce. In Miſſ. quæ celebr. poſt Tert. & eadem eſt ac Miſſ. Stationis, (ſine Gloria in exc.) 2. Orat. de Cruce, *Benedicamus*. Hoc triduo, *Abſtinentia à carnibus*. Poſt Sext. fiunt Proc. Litaniarum majorum. Ad Stationem Proceſſionis, Miſſa *Exaudivit*, cùm Tunicis in ea 2. Orat. *Effunde*, pro fructibus terræ, (quæ eſt 43. inter Orat. diverſas;) Præf. Paſch. Ad Horas, Orat. de Laud. & ſic Fer. 4. ſeq. [In Metrop. in reditu Proceſſ. dr Noa. quando fit de Fer. his tribus dieb.]

Veſp. de Fer. Paſch. à Cap. de ſeq. in Propr.

xxviij | 6 | *Fer. 3. Rogationum*. S. Joannis ante Portam Latinam, *ſemid. col. rub.* ij. Lect. de Feſto, duabus in unam junctis. iij. de Homil. in Ev. Fer. ſub Bened. *Fulgeat* cujus comm. in Laud. per Orat. propr. Ad Miſſ. 2. Or. de Fer. *Credo*, Præf. de Apoſt. & in fine Ev. Fer. Ad Miſſ. Stat. Or. Ep. & Ev. propr. cætera ut heri.

Horis pomeridianis Synodus D. Cantoris.

xxix | 7 | *Fer. 4. Rogationum*. Vigilia Aſcenſionis, ſine jejunio. De ea, *col. alb. Te Deum*. In Laud. Suffr. de Cruce. * In Miſſ. propr. *Gloria in exc.* 2. Orat. de Cruce, *Ite Miſſa eſt*. Ad Miſſ. Stationis, Orat. Ep. & Evang. propr.

Veſp. de Feſto ſeq. in Propr. cum Pſſ. de Fer. ut & ad Complet. cum Añis de Feſto; Doxol. *Da, Chriſte*, & *Qui victor* in Hymn. ejuſdem metri per Oct. exceptis Hymn. propr. de Aſcenſ.

xxx | 8 | *Fer. 5.* Ascensio Domini, *Solemn. maj. col. alb.* Ad Noct. Pſſ. propr. Ad Horas Pſſ. de Dñica. In Laud. Cant. propr. & per Octav. ℣. br. Prim. *Qui victor* ad Fer. 4. ſeq. incluſivè. In Miſſ

Veſp. de Sabb. ante Dom. ſeq. Comm. Oct.
. Complet. de Pſalt.

7 DOM. XXIV. POST PENT. De ea. *col. vir.* Comm. Oct. poſt L. Mat. & in M. in qua Præfat. comm. Ad Pr. omittitur Symb. *Quicunque.* ſola Orat. de Pſalt. Ad Hor. ℟℟. br. non adduntur duo *Alleluia.*

Poſt Veſp. Comm. diei Oct. omn. SS. Complet. ut heri.

8 *Fer.* 2. Octava omnium SS. *Dupl. min. col. rub.* In M. dr *Credo.* Complet. ut in die.

9 *Fer.* 3. De ea. *col. vir.* In M. Ep. & Ev. è Fer. 4. ſeq.

Veſp. à Capit. de ſeq. Suffr. de omn. SS.

10 *Fer.* 4. Martini papæ & mart. *Simpl. col. rub.*

Veſp. de ſeq.

11 *Fer.* 5. Martini Tur. epiſc. *Dupl. maj.* (*In Eccl. Cath. feſtiv.*) *col. vir.* In M. non dr *Credo.*

12 *Fer.* 6. De ea. In M. Ep. & Ev. propr.

Veſp. à Capit. de Offic. ſeq. Comm. Suſcept. Reliq. SS. Alexandri, Chryſanti & Dariæ mart. deinde S. Brictii epiſc. Ad Complet. & cras ad Hor. in fine Hymn. & in ℟. br. ℣. *Qui natus es.*

13 *Sabb.* Offic. de B. M. V. *col. alb.* Comm. Suſcept. Reliq. SS. Alex. Chryſ. & Dariæ deinde S. Brictii poſt L. Mat. & in M.

Veſp. de Sabb. ante Dom. ſeq.

14 DOM. XXV. POST PENT. De ea. *col. vir.* Reſumitur Offic. Dom. V. poſt Epiph.

15 *Fer.* 2. De ea. *col. vir.* In M. Ep. & Ev. è Fer. 4. ſeq.

Veſp. de Feſto ſeq.

16 *Fer.* 3. Edmundi epiſc. *Semid. col. vir.*

Veſp. à Capit. de ſeq. Comm. præced.

[illegible] 4. Aniani epiſc. *Semid. col. vir.*

[illegible]ſp. de Feſto ſeq. Semiſol. Comm. præced
[illegible]d Complet. Orat. *Auge in nobis*, & *Veritas*

[illegible]

[illegible] Fer. 2. Hebdom. præced. Non dr Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Pſalmi de Officio Defunctorum, cxxiv.

Antiphona 8. *toni*. c.

NOlumus vos ignoráre de dormiéntibus, ut non contriſtémini, ſicut & cèteri qui ſpem non habent. 1. *Theſſ.* 4. 12.

Ant. 7. c. Sicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Chriſto omnes vivificabúntur. 1. *Cor.* 15. 22.

Ant. 8. G. Vobis dícimus quia nos, qui resídui ſumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. 1. *Theſſ.* 4. 14.

Ant. 1. â. Dóminus in tuba Dei deſcéndet de cœlo; & mórtui qui in Chriſto ſunt, reſúrgent primi. 1. *Theſſ.* 4. 15.

Ant. 5. a. Nos qui vívimus, rapiémur óbviàm Chriſto in áëra; & ſic ſemper cum Dómino érimus: ítaque conſolámini ínvicem in verbis iſtis. 1. *Theſſ.* 4. 16. 17.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. *Dupl.* Fortíſſimus Judas miſit Jeroſólymam offérri pro peccátis mortuórum ſacrifícium bene & religióſè de reſurrectióne cógitans. Sancta ergo & ſálubris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. 2. *Mach.* 12. 43. 46.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redémptor, animábus ómnium Fidélium Defunctórum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis & regnas cum Deo patre in unitáte Spíritûs-ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

Nulla ſit Commemoratio.

AD HORAS, *Pſalmi dicuntur de Dominica, tono recto, abſque Antiphona &* Glória Patri.

In fine cujuſque Pſalmi, loco Glória Patri, *dicitur*, Réquiem ætérnam dona eis Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Finitis Pſalmis ſtatim dicitur, ℣. Dóminus vobíſcum, *cum Oratione*, Fidélium, *poſt quam repetitur*, ℣. Dóminus vobíſcum, &c. *deinde*, ℣. Requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM, *poſtquam dictum eſt*, Requiéſcant in pace. ℟. Amen, *ſit Lectio Canonis ſecundùm Feriam occurrentis, ſine Benedictione, & ſine* Tu aûtem, *in fine. Deinde in Choro legitur Martyrologium, quo finito dicitur*, ℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 5.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & ſalvári, qui vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Si ſit Dominica, omittuntur ſequentia.

℣. Réſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua; & dírige filios eórum; ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16, 17.

Orémus. *Oratio.*

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Nihil aliud additur.

Officium illud Defunctorum terminatur ad Nonam.

VESPERÆ *de Octava Omnium Sanctorum, ut notatur infrà.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM.

Omnia ut in die Feſti, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi dicuntur de Feria, & nihil duplicatur.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. ex Nocturno diei ſecundùm Feriam occurrente.

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente; ſiuntque ex tribus duæ. Lectio* iij. *ut infrà in quolibet die.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Confiteántur, *ut in die.*

Ant. ſola, Vidi, *prima de Laudibus diei.*

AD VESPERAS.

Ant. ſola, Benedíctus Deus, *prima de II. Veſperis diei.*

Non dicitur Reſponſorium.

DOMINICA *intrà Octavam aut in ipſa Octava occurrente; totum Officium de Dominica, ut in Pſalterio, incipiendo à primis Veſperis, quæ erunt integra de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum Commemoratione Octavæ poſt utraſque Veſperas, & Laudes. Completorium ut in Pſalterio cum unica Oratione. Et ſic ad Primam.*

DIE III. De Octava OMNIUM SANCTORUM.

Ex libro ſancti Auguſtíni epiſcopi, de Civitáte Dei.

Lib. 22. *cap.* 30. §. 1.

Lectio iij.

VEra ibi glória erit, ubi laudántis nec erróre quiſquam, nec adulatióne laudábitur. Verus honor, qui nulli negábitur digno, nulli deferétur indígno: ſed nec ad eum ámbiet ullus indígnus, ubi nullus permittétur eſſe niſi dignus. Vera pax, ubi nihil adverſi, nec à

ſeipſo, nec ab álio quiſquam patiétur. Præmium virtútis erit ipſe qui virtútem dedit, eíque ſeípſum, quo mélius & majus nihil poſſit eſſe, promíſit. Quid eſt enim áliud quod per Prophétam dixit: [Ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi plebs;] niſi, Ego ero unde ſatiéntur, Ego ero quæcúnque ab homínibus honéſtè deſiderántur, & vita, & ſalus, & victus, & cópia, & glória, & honor, & pax, & ómnia bona? Sic enim & illud rectè intellígitur, quod ait Apóſtolus: [Ut ſit Deus ómnia in ómnibus.] Ipſe finis erit deſiderïórum noſtrórum, qui ſine fine vidébitur, ſine faſtídio amábitur, ſine fatigatióne laudábitur.

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE IV.

In Feſto

SANCTI CAROLI,

Mediolanenſis Epiſcopi.

Duplex-majus.

De Communi S. Pontificis, xx.

Pridie IN VESPERIS, *Oratio*, Eccléſiam tuam, *infrà*.

Fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum, Ant. Beáti, ℣. Juſti, 435. *Orat.* Omnípotens ſempitérne Deus, 432.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Caroli vita, autore Juſſano.

CArolus, Arónæ in território Mediolanénſi, nóbili Borromæórum famíliâ natus, à pueritia clero aſcríptus eſt. Etiam hâc ætáte patrem eníxè rogávit, ne redítibus Eccleſiáſticis, quibus potiebátur, rem familiárem augére præſúmeret; quorum ipſe nactus adminiſtratiónem, quidquid ex neceſſáriis ſúmptibus ſupérerat, expendébat in paúperes. Vicéſimum tértium ætátis annum agens, à Pio quarto avúnculo ſuo in Cardinálium collégium cooptátus, inſígni pietátis ac virtútum ómnium ſplendóre præluxit. Mox ab eódem Mediolanénſis Archiepíſcopus creátus, in eo plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta Concílium Tridentínum, quod ejus potiſſimum ſolicitúdine jam tum fúerat abſolútum, Eccléſiam ſibi commíſſam compóneret. Atque ut Eccleſiáſticam diſciplínam reſtitúeret, ac depravátos plebis ſuæ mores reformáret, præter iterátam ſæpiùs provínciæ ac diœcéſis ſuæ Synodórum celebratiónem, ſeípſum exímiæ ſanctitátis præbuit exémplar. Hæréticos è pártibus Rhætórum & Helvetiórum indeſinénter inſectátus, eórum permúltos Cathólicæ fidei addíxit.

Lectio v.

CAritátem ſuam in paúperes donis ampliſſimis maniſeſtávit. Quippe quadragínta aureórum míllibus, quod íntegrum erat Uritáni Principátûs vénditi prétium, unâ die in paúperes erogátis, non mi-

nóri pietáte ália vigínti míllia, quæ ſibi fúerant legáta, diſtríbuit. Quin & Eccleſiáſticos provéntus, quibus ab Avúnculo copióſè fúerat cumulátus, dimíſit, iis tantùm reténtis, qui ad quotidiános uſus, & egenórum neceſſitátes ſufficerent. Quo témpore peſtis Medioláni graſſabátur, doméſticam ſupelléctilem, ne relícto ſibi léctulo, in eóſdem aléndos cóntulit, ſuper nuda in póſterum tábula decúmbens: eóque morbo laboréntes ſédulò invíſens, patérno reficiébat afféctu; & Eccléſiæ ſacraménta própriis ipſe mánibus adminíſtrans, mirum in modum ſolabátur. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicâ ſupplicatióne indíctâ, fune ſibi ad collum alligáto, nudis pédibus, étiam offendículo cruentátis, crucem bájulans, ſemetípſum pro peccátis pópuli hóſtiam ófferens, divínam indignatiónem avértere ſatagébat. Eccleſiáſticæ libertátis fuit acérrimus propugnátor. Diſciplínæ verò inter mónachos reſtaurándæ ſolícitus, cùm ex more aliquándo in priváto Oratório véſperè cum família oráret, à perditíſſimo quodam mónacho è congregatióne Humiliatórum ſclopo percúſſus, divínâ virtúte ſervátus eſt illæſus.

Lectio vj.

Inguláris in eo emícuit humílitas & manſuetúdo: oratióni ac verbi divíni prædicatióni aſſíduè insíſtens, utrámque, graviſſimis licèt curis diſténtus, nunquam intermíſit. Céteris virtútibus acceſſérunt contínua duríſſimæ pœniténtiæ ópera, crebra jejúnia, noctúrnæ vigíliæ, aſpérrima cilícia. Multas Eccléſias, Seminária, Collégia, Monaſtéria ædificávit. Plúrima ſcripſit præcépta, Epíſcopis potíſſimùm utilíſſima; cujus étiam óperâ Parochórum Catechíſmus pródiit. Demum in ſolitúdinem Varálli montis, ubi ſculptis imagínibus Domínicæ paſſiónis myſtéria ad vivum exhibéntur, ſeceſſit; ibíque diébus áliquot, ſpontáneâ caſtigatióne áſperam, ſed Chriſti dolórum meditatiónibus ſuávem vitam ducens, febre corréptus eſt. Mediolánum revérſus, ingraveſcénte morbo, cínere ac cilício coopértus, & óculis in Crucifíxi imáginem defíxis, migrávit in cœlum ætátis anno quadragéſimo ſéptimo, Dómini verò milléſimo quingentéſimo octogéſimo quarto. Quem miráculis clarum Paulus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 10. 11. *ad* 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus quibúſdam ex Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Cároli epíſcopi.

Orat. hab. in Concil. 1. Mediol. circa medium.

IN delíctis corrigéndis illa nobis ineúnda rátio eſt, ut pro vi & modo morbórum, ægrorúmque natúra, medicínam accommodémus; nunc lénibus admonitiónis & objurgatiónis remédiis erráta caſtigántes; nunc acrióri curatióne uténtes; dénique exulcerátis pártibus ferrum & ignem admovéntes, quemádmodum mali rátio, & contagiónis perículum poſtulábit, mémores ſemper nos eſſe patres, non dóminos. Morum autem diſciplínam fácilè reſtituémus, ſi quâ ratióne, quibúſve factis primùm conſtitúta diúque conſervâta eſt, eándem nos in reſtituénda adhibébimus, illórum veſtígia perſequéntes, qui hanc bonórum amplitúdinem nobis, Deo autóre, ſuâ virtúte peperérunt.

Lectio viij.

PRoponámus nobis, quæſo, Patres, illórum vitæ ſanctitátem, & in adminiſtratióne ſui officii ſapiéntiam. Erant íntegri, caſti, ſimplices, modéſti, húmiles, bene moráti, in oratióne & lectióne aſsídui, ſui deſpiciéntes, in aliénæ ſalútis cura & cogitatióne defixi, consílio & óperâ benígni, hoſpitáles, in doméſtico cultu & victu parci, in áliis benéfici & liberáles. Erant vigilántes ſuper grégibus ſuis, víneam Dómini ſummâ diligéntiâ & labóre coléntes & cuſtodiéntes.

Lectio ix.

PAſcébant aſsíduè oves ſibi commíſſas, tríplici ſalútis cibo; verbo, exémplo, & ſacraméntis: mémores quoque & imitatóres ſummi Paſtóris Chriſti, qui pro univérſo grege ſuo ſánguinem & vitam profúdit, ipſi pro ſuárum óvium incolumitáte quemvis excípere labórem, ſubíre omnes caſus, omnem vim atque injúriam perférre, dénique ut bonus ille Paſtor Evangélicus, ánimam ſuam pro óvibus pónere non dubitábant, nullum inde hujus vitæ fructum expectántes, ut máximos cœléſtis retributiónis fructus conſequeréntur.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, ſancti Cároli pontíficis contínuâ protectióne cuſtódi; ut ſicut illum paſtorális ſollicitúdo glorióſum réddidit, ita nos ejus intercéſſio in tuo ſemper fáciat amóre fervéntes; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum, Antiph. Quos prædeſtinávit, ℣. Lætámini, *Oratio*, Omnípotens ſempitérne Deus, 432.

Post Vesperas, *fit Commemoratio Octavæ Omnium*

Sanctorum, *Ant.* Beáti, ℣. Juſti, 435. *Oratio*, Omnípotens ſempitérne Deus, 432.

DIE V.

De Octava

OMNIUM SANCTORUM.

Ex enarratióne ſancti Auguſtíni epíſcopi, ſuper Pſalmos.

Enarr. in Pſ. 83. §. 8.

Lectio iij.

DAvid póſitus inter tentatiónes, póſitus inter preſſúras, póſitus in torculáribus, ſuſpírans in ſupérna promíſſa, ... [Beáti (inquit) qui hábitant in domo tua.] Unde beáti? ... [In ſécula ſeculórum laudábunt te.] Hoc erit totum negótium noſtrum, ſine deféctu Allelúia. Non vobis, fratres, videátur quaſi faſtídium ibi futúrum: quia ſi modò hoc diu dicátis, non durátis, ab illo gaúdio necéſſitas vos avértit ... Cùm abſórpta fúerit mors in victóriam, cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, & corruptíbile hoc indúerit incorruptiónem, nemo dicet: Diu ſteti; nemo dicet: Diu jejunávi, diu vigilávi. Stabílitas enim magna ibi, & ipſa immortálitas jam córporis noſtri ſuſpendétur in contemplatiónem Dei ... Secúri ergo ſimus, fratres, non nos ſatiábit laus Dei, amor Dei. Si defícies ab amóre, defícies à laude. Si autem amor ſempitérnus erit, quia illa inſatiábilis pulcritúdo erit; noli timére ne non poſſis ſemper laudáre, quem ſemper póteris amáre. Ergo [Beáti qui hábitant in domo tua, in ſécula ſeculórum laudábunt te.] Huic vitæ ſuſpirémus.

DIE VI.

De Octava

OMNIUM SANCTORUM.

Ex libro ſancti Cypriáni epíſcopi & mártyris, de Mortalitáte.

Lectio iij. *ſub finem.*

AMplectámur diem, qui aſſígnat ſingulos domicílio ſuo; qui nos iſtinc eréptos, & láqueis ſeculáribus exolútos, paradíſo reſtítuit & regno cœléſti. Quis non péregre conſtitútus properáret in pátriam regredi? Quis non ad ſuos navigáre feſtínans, ventum próſperum cupídiùs optáret, ut velóciter caros licéret amplécti? Pátriam noſtram paradíſum computémus; paréntes Patriárchas habére jam cœpimus; quid non properámus & cúrrimus, ut pátriam noſtram vidére, ut paréntes ſalutáre poſſímus? Magnus illic nos carórum númerus expéctat, paréntum, fratrum, filiórum frequens nos & copióſa turba desíderat, jam de ſua immortalitáte ſecúra, & adhuc de noſtra ſalúte ſolícita. Ad horum conſpéctum & compléxum veníre, quanta & illis & nobis in commúne lætítia eſt!

Die VII.
De Octava
Omnium Sanctorum.

Ex libro ſancti Cypriáni epíſcopi & mártyris, de Mortalitáte.

Lectio iij. *in fine.*

Qualis illic cœléſtium regnórum volúptas ſine timóre moriéndi, & cum æternitáte vivéndi? quàm ſumma & perpétua felícitas? Illic Apoſtolórum glorióſus chorus: illic Prophetárum exultántium númerus: illic Mártyrum innumerábilis pópulus ob certáminis & paſſiónis victóriam coronátus: triumphántes illic Vírgines, quæ concupiſcéntiam carnis & córporis, continéntiæ róbore ſubegérunt: remuneráti miſericórdes, qui aliméntis & largitiónibus paúperum, juſtítiæ ópera fecérunt: qui Domínica præcépta ſervántes, ad cœléſtes theſaúros terréna patrimónia tranſtulérunt. Ad hos, fratres dilectíſſimi, ávidâ cupiditáte properémus; & cum his citò eſſe, ut citò ad Chriſtum veníre contíngat, optémus.

Vesperæ *de die Octava, ut in II. Veſperis Feſti,* 433. *Pſalmi dicuntur de Feria, & nihil duplicatur, nec dicitur* ℟.

Die VIII.
Octava
OMNIUM SANCTORUM.

Duplex minus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi dicuntur de Feria, & nihil duplicatur.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

De Mart. Quòd aut imitandi ſunt, aut non laudandi.

Lectio iv.

Qui Sanctórum mérita religióſâ caritáte mirátur, quique juſtórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores ſanctos atque juſtítiam imitétur; quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obſéquium. Quare, aut imitári debet ſi laudat, aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat: ut, qui álium laudat, laudábilem ſe reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur. Nam ſi proptérea juſtos fideléſque dilígimus, quòd in ipſis juſtítiam fidémque ſuſpícimus; póſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt. Neque enim diffícile nobis eſt quod ab ipſis géritur imitári, cùm ſine præcedénti exémplo ab antíquis tália geſta conſpícimus: ut non ipſi aliórum æmuli redderéntur, ſed æmulándæ virtútis ſeípſos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipſis & ex nobis

álii profíciunt, ſic Chriſtus in ſuis ſemper ſervis in Eccléſia ſancta laudétur.

Lectio v.

UNde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur; Enoch Deo placens transfértur; juſtus Noë invenítur; Abraham fidélis probátur, Móyſes manſuétus agnóſcitur; Jeſus caſtus, David lenis, Elías accéptus, Dániel ſanctus; tres púeri victóres reddúntur; Apóſtoli, diſcípuli Chriſti, credéntium magíſtri habéntur, è quibus erudíti Confeſſóres fortíſſimi pugnant, Mártyres perfécti triúmphant, & Chriſtiáni ſemper exércitus diábolum, Deo armáti, debéllant. In iſtis ſemper pares virtútes, diſsímiles pugnæ, glorióſæ victóriæ.

Lectio vj.

UNde, tu Chriſtiáne, delicátus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna víncere, ſine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio iſto concérta. Consídera pactum, conditiónem atténde, milítiam noſce; pactum, quod ſpopondíſti; conditiónem, quâ acceſsíſti; milítiam, cui nomen dedíſti. Hoc enim pacto, quos miráris cuncti pugnárunt; hâc conditióne univérſi vicérunt; hâc milítiâ omnes triumphárunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 5. 1. *ad* 12.

IN illo témpore; Videns Jeſus turbas, aſcéndit in montem; & cùm ſedíſſet, acceſſérunt ad eum diſcípuli ejus: & apériens os ſuum, docébat eos, dicens: Beáti paúperes ſpíritu; quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

De Serm. Domini in monte, ſec. Matt. Lib. 1. §. 13.

BEáti éritis (inquit) cùm vobis maledícent, & perſequéntur vos, & dicent omne malum advérsùm vos, mentiéntes propter me. Gaudéte & exultáte, quóniam merces veſtra multa eſt in cœlis.] Animadvértat quiſquis delícias hujus ſéculi, & facultátes rerum temporálium quærit in nómine Chriſtiáno, intrinſecùs eſſe beatitúdinem noſtram: ſicut de ánima eccleſiáſtica ore prophético dícitur: [Omnis pulcritúdo fíliæ regis intrínſecùs:] nam extrínſecùs maledícta & perſecutiónes & detractiónes promittúntur: de quibus tamen magna merces eſt in cœlis, quæ ſentítur in corde patiéntium, eórum qui jam poſſunt dícere: [Gloriámur in tribulatiónibus, ſciéntes quóniam tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem,

atiónem, probátio verò ſpem,
es autem non confúndit; quia
ritas Dei diffúſa eſt in cór-
bus noſtris, per Spíritum
ctum qui datus eſt nobis.]

Lectio viij.

On enim iſta pérpeti fru-
ctuóſum eſt, ſed iſta pro
iſti nómine non ſolùm
o ánimo, ſed étiam cum
tatióne toleráre. Nam
i hærétici, nómine Chri-
o ánimas decipiéntes, mul-
ia patiúntur: ſed ídeo ex-
íntur ab iſta mercéde,
non dictum eſt tantùm:
iti qui perſecutiónem pa-
ır;] ſed ádditum eſt:
pter juſtítiam.] Ubi au-
ána fides non eſt, non
eſſe juſtítia; quia [Ju-
fide vivit.] Neque ſchiſ-
áliquid ſibi ex iſta mer-
romíttant; quia ſimíliter
itas non eſt, non poteſt
ſtítia; [Diléctio enim
ii malum non operátur.]
ſi habérent, non dila-
corpus Chriſti, quod
léſia.

ix. §. 15.

déte (inquit) & exul-
, quóniam merces
ulta eſt in cœlis.] Non
s dici puto ſuperióres
ujus viſibilis mundi.
n merces noſtra, quæ
ſa & ætérna eſſe de-
rebus volubílibus &
ibus collocánda eſt.
cœlis] dictum puto,
ibus firmaméntis, ubi
utumnalis.

hábitat ſempitérna juſtítia: in quorum comparatióne terra dícitur ánima iníqua, cui peccánti dictum eſt: [Terra es, & in terram ibis.] De his cœlis dicit Apóſtolus: [Quóniam converſátio noſtra in cœlis eſt.] Séntiunt ergo jam iſtam mercédem qui gaudent ſpiritálibus bonis: ſed tunc ex omni parte perficiétur, cùm étiam hoc mortále indúerit immortalitátem.

In Vesperis, *non dicitur Reſponſorium.*

Die X.

In Feſto

SANCTI MARTINI

Papæ & Martyris.

Simplex.

De Communi unius Martyris, vij.

Oratio, Omnípotens, xj.

Lectio iij.

Ex Surio, & aliis.

MArtínus Theodóro in ſede Románа ſuccéſſit anno Chriſti ſexcentéſimo quadragéſimo nono. Eódem anno Concílium centum & quinque Epiſcopórum in Lateráno coégit, in quo Monotheletárum príncipes, qui in duábus Chriſti natúris únicam voluntátem & operatiónem admittébant, damnáti ſunt: proſcriptáque duo Imperatórum de hac quæſtióne Edícta, Ecthesis vidélicet Herácliі, & Typus Conſtántis. Quid in ea Synodo geſtum eſſet, omnes Eccléſias per Epíſtolam

encyclicam admónuit: ejúſque acta ad ſanctum Amándum Trajecténſem epíſcopum miſit, eum hortátus, ut ipsíus óperâ Epíſcopi Gálliæ ſuo illa conſénſu confirmárent. Interim Conſtans, ut ſuo Typo ab omnibus ſubſcriberétur, ſilentiúmque in eo de quæſtióne Cathólicos inter & Monothelétas agitáta indíctum obſervarétur, primùm Olympium exárchum Ravennátem Romam miſit; tum Callópam Olympii ſucceſſórem, à quo Martínus, cùm Edícto ímpio resíſteret, Româ vi abdúctus eſt; ac in ínſulam Naxum deportátus. Inde ductus Conſtantinópolim, in cárcerem trúditur. Hinc Cherſónem relegátus eſt; ubi quátuor poſt menſes, décimâ ſextâ die Septémbris, anno ſexcentéſimo quinquagéſimo quinto, ærúmnis conféctus ceſſit è vita, ante & poſt mortem clarus mirâculis. Córpus ejus póſtea Romam allátum, in Eccléſia ſancti Martíni in Móntibus, Turonénſis epíſcopi nómine dedicáta, cónditum eſt. Exul ſcripſit duas Epíſtolas de calamitátibus ſuis.

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XI.

In feſto SANCTI MARTINI, Turonenſis Epiſcopi.

Duplex-Majus.

Omnia de Communi S. Pontificis, xx. præter ſequentia.

IN PRIMIS VESPERIS.

Poſt Hymnum, ℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem; ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40. 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Nonne Deus consíderat vias meas? ſi ambulávi in vanitáte, ſi deſpéxi pereúntem eò quòd non habúerit induméntum, & abſque operiménto paúperem. *Job* 31. 4. 5. 19.

Oratio, Deus, qui in beáto Martíno, *infrà ad Laudes.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Sulp. Sev. & Greg. Turon.

Martínus, Sabáriæ in Pannónia, patre tribúno mílitum natus, Pápiæ verò in Itália educátus, anno ætátis décimo, invítis paréntibus in Eccléſiam confúgiens, inter catechúmenos nomen dedit. Aſcríptus milítiæ ex Imperatórum edícto, quo veteranórum fílii ſua nómina profitéri cogebántur, ſub Conſtántio vel Conſtantíno ſtipéndia méruit. Ambiánis ad portam urbis, paúperi nudo eleemóſynam peténti, cùm nihil habéret præter arma & veſtiméntum, partem chlámydis dedit. Cui ſequénti nocte Chriſtus dimidiátâ illa veſte indútus appáruit, circunſtántes Angelos ſic allocútus: Martínus adhuc catechúmenus hâc me veſte contéxit. Anno ætátis décimo

vo baptizátus, ejurâtâ ſe-
:i militiâ, cœléſtem am-
i cúpiens, ſanctum Hilá-
, Pictaviénſem epíſcopum
, à quo Diaconális órdinis
ım juſſus conſcéndere, in
o Exorciſtæ officio, eó-
permitténte, ſubſédit.
ad ſuos revérſus, ma-
à qua mundo génitus
, ab idolórum cultu
átam, Chriſto péperit.

Lectio v.

3 Epíſcopis Ariánis,
uòd ferè ſolus eórum
am frángeret, váriè exa-
, pública vérbera, vín-
iliúmque paſſus, Illyri-
ıúm, deínde Mediolá-
i monaſtérium ſibi con-
ıt, ejéctus, ſedem Pi-
xit, ibíque ſub Hilário
ibio à ſe ædificáto mó-
præfuit. Turonénſis
us ordinátus, ſecúndo
lápide monaſtérium
, in quo diſcípulos
a nihil próprium ha-
ongregávit; ex quibus
óſtea Epíſcopi creáti
lórum fana dejécit, &
cídit, non véritus
vitæ adíre diſcrí-
eórum cultum péni-
ret.

Lectio vj.

um fuit patientíſſi-
deò ut impúne, vel ab
léricis, læderétur;
trectántium peccáta
defléret. Innúmeris
ráculis, quæ libris
quátuor Gregórius Turonénſis compléxus eſt. Annis demum gravis, dum Condaténſis vici Eccléſiam in ſua diœcéſi viſitáret, víribus deféctum ſe ſéntiens, mortem ſibi imminére diſcípulis indicávit. Tum mœror & luctus ómnium, una vox plangéntium: Cur nos, Pater, déſeris? aut cui nos deſolátos relínquis? invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Tunc ille motus his flétibus, converſúſque ad Dóminum, hâc fléntibus voce reſpóndit: Dómine, ſi adhuc pópulo tuo ſum neceſſárius, non recúſo labórem; fiat volúntas tua. Ingraveſcénte febre, in cínere & cilício decúmbens, ne vile quidem ſtramen ſibi ſúbjici paſſus eſt. Rogátus à Preſbyteris ut corpus in álterum latus reclinándo ſubleváret: Sínite me, inquit, cœlum pótiùs reſpícere quàm terram, ut ſuo jam itínere itúrus ad Dóminum ſpíritus dirigátur. Inſtánte jam morte, viſo dæmone: Quid hìc aſtas, inquit, cruénta béſtia? nihil in me, funéſte, repéries; Abrahæ me ſinus récipit. Ea in voce octogéſimo círciter ætátis anno ánimam Deo réddidit.

In III. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 11. 33. *ad* 36.

IN illo témpore; Loquens Jeſus turbis cœpit dícere: Nemo lucérnam accéndit, &

in abſcóndito ponit, neque ſub módio; ſed ſupra candelábrum: ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi abbátis.

Serm. in feſto S. Martini, de exemplis obedientiæ, §. 12.

MArtínus lucérna erat ardens & lucens. Eum ſaltem non pígeat imitári; ſed imitári in eo quod eſt imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Ad menſam dívitis ſedes hódie: diligénter consídera quæ tibi apponúntur. Diſcérne inter cibos, & vaſa cibórum: illos enim jubéris tóllere, ſed non illa. Dives eſt iſte Martínus, dives in méritis, in miráculis, dives in virtútibus, dives in ſignis. Diligénter ergo consídera quæ apponúntur tibi, quænam vidélicet ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem: .... consídera quid appónitur, & in quo.

Lectio viij. §. 12. 13.

SUſcitávit Martínus tres mórtuos; .... réddidit viſum cæcis, ſurdis audítum, mutis loquélam, claudis greſſum, áridis ſoſpitátem. Eváſit divínâ virtúte pericula, própriì córporis óbice flammas répulit; immánem ſacrílegæ máchinæ molem colúmnâ párili è cœlo deſcendénte proſtrávit: lepróſum mundávit óſculo, curávit óleo paralyticam, dæmones vicit, Angelos vidit, futúra prævidit. Verùm hæc quidem, ceteráque ejúſmodi altíſſima quæ fecit magnália, quidni miríſica quædam vaſa díxerim dívitis hujus, auro grávia, gemmis micántia, paritérque matériâ & ópere pretióſa? Noli in his ſapórem quærere, ſed miráre ſplendórem.

Lectio ix. *Poſt pauca.*

CÆterùm ne putáveris ornátas quidem Martíni lámpades, ſed vácuas inveníri: non eſt fátua virgo, habet in vaſis óleum, habet vinum in phíalis, habet intrà parópſides iſtas cibórum cópiam, delícias útique ſpirituáles: ut non modò vídeant & miréntur, ſed edant paúperes & ſaturéntur; atque in illis quidem Dóminum laudent, porrò in his vivant corda eórum.... Ut ergo ſit jucúnda decóráque laudátio in admiratióne, étiam vivant ex imitatióne; & ut avídiùs ſumant delícias, ipſas quoque divítias curióſiùs contempléntur, Sic nimirum inter ſplendórem & fervórem lucérnæ hujus vicáriis quibúſdam affectibus diſcurréndum, ut nobis alter ex áltero commendétur, & ex mútua collatióne utérque complacítior fiat.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ℟. Sive per vitam,

re per mortem. *Philipp.* 1.
).

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. *C.*
)árctor è duóbus; deſidé-
m habens diſſólvi, & eſſe
n Chriſto, multò magìs
liùs: permanére autem in
ne neceſſárium propter
. *Philipp.* 1. 23. 24.

Oratio.

Eus, qui in beáto Mar-
tíno pontífice ſive per vi-
ſive per mortem mira-
er magnificátus es; éadem
rdíbus noſtris ínnova mi-
ia, ut neque mors neque
eparáre nos poſſit à cari-
Dómini noſtri Jeſu Chri-
Qui tecum vivit.

VESPERAS.

Hymnum, ℣. Guberná-
Dóminum cor gentis,
in diébus peccatórum
orávit pietátem. *Eccli.*

Magníficat, *Ant.* 7. G.
átum eſt nomen gló-
s uſque ad extrémum
Confirmávit omnes hú-
ópuli ſui, & legem
it, ſancta glorificávit.
. 14. 10. 14. 15.

DIE XIII.

In Feſto
tionis Reliquiarum
EXANDRI
yſanthi martyrum.

Simplex.

mmuni plurium Mar-
iij.

Mártyrum tuórum,

Pridie POST VESPERAS, *ante Suffragia, fit Commemoratio S. Bricii, Turonenſis epiſcopi, Ant.* Reſpéxit, ℣. Quæſívit, xxj. *Oratio*, Exaúdi, xxv.

Lectio iij.

Ex Hiſt. Epiſc. Autiſſ. apud Labb. Martyrol. Autiſſ. in Bibliot. Colbert. Regiſtr. Capituli an. 1560. *& Proceſſ. verb. Seguier. epiſc. Autiſſ. an.* 1636.

HEribáldus, Autiſſiodorénſis epíſcopus, Romam profectus circa annum octingentéſimum trigéſimum quartum, à Gregório quarto, Románo pontífice ſanctórum Alexándri & Chryſanthi mártyrum relíquias obtínuit. Autiſſiodórum revérſus, eas hâc die in Basílicam ſancti Joánnis Baptíſtæ, Cathedráli adjacéntem, & à ſe recéns inſtaurátam, ſolémni pompâ íntulit. Ante ſéculum undécimum ſacra pígnora ad Orientálem Eccléſiæ ſancti Stéphani partem deláta fúerant in Capéllam, cujus altáre ſancti Alexándri nómine inſignítum erat. Sedénte Guillélmo de Seligníaco díruta eſt Basílica vetus, & oſſa utriúſque Mártyris ad Septentrionále ſanctuárii latus depóſita ſunt. Anno tandem milléſimo quingentéſimo ſexagéſimo à præſúlibus Philíppo Autiſſiodorénſi, & António Trecénſi tranſláta ſunt in capſam novam. Quâ poſt ſeptem annos

ab hæréticis diréptâ, Mártyrum relíquiæ cum áliis in terram ſparſæ, & à Cathólicis piè colléctæ, póſtmodum à præſule Seguiério decénti thecâ recónditæ ſunt.

Poſt Laudes Matutinas, ante Suffragia, fit Commemoratio S. Brictii, Ant. In bonitáte, ℣. Státuit, *Oratio*, Exaúdi, xxv.

Veſpera de Pſalterio.

Die XVI.

In Feſto SANCTI EDMUNDI, Cantuarienſis Epiſcopi.

Semiduplex.

De Communi S. Pontificis, xx.

Oratio, Quæſumus, xxv.

Lectio ij.

Ex Anon. apud Sur. Hiſt. Eccl. Angl. & MSS. monaſt. Pontiniac.

EDmúndus, óppido Abendoniénſi in Anglia natus eſt paréntibus pietáte conſpícuis. Defúnctâ matre, cùm de ſoróribus in quodam monaſtério collocándis ágeret, ubi ab hujúſce monaſtérii virgínibus aſſértum eſt, niſi numerátâ certâ pecúniâ, illas in ſuum conſórtium mínimè admitténdas; ille ſimoníacum áliquid in hoc pacto reformídans, ab eis diſcéſſit: & altérius, ínopis quidem, ſed regulári diſciplínâ commendábilis monaſtérii Prioríſſæ ſorores ſuas abſque ullo pacto commendávit. Doméſticis exínde abſolútus curis, Lutétiam Pariſiórum, quo ſtudiórum causâ adhuc vivénte matre jam proféctus fúerat, íterum revértitur; & ibi Theológiæ Doctóris gradum invítus penè ſuſcépit, eo honóre ſe arbitrátus indígnum. Sacerdótio póſtea initiátus, nullum juxta hujúſce Facultátis doctrínam vóluit habére benefícium, in quo præſens non reſidéret: illud ipſum, quando prælectiónibus vacaturus erat, nullíus expectáto consílio dimíſit. Cantuariénſis Eccléſiæ Póntifex canónicè eléctus & conſecrátus, de conſuéta à téneris annis vitæ durítia & auſteritáte nihil dimíſit. Cùm totum ſe animárum ſalúti ac tuéndis Eccléſiæ libertátibus impénderet, multa ei advérſa & moléſta tum à rege tum à procéribus regni, ab ipſo étiam Cantuariénſis Eccléſiæ collégio illáta ſunt.

Lectio iij.

CUm multóties promiſſam, totiéſque procraſtinátam legum antiquárum obſervatiónem fruſtrà expectáſſet; cùm multas Eccléſias ob minùs líberas electiónes paſtóribus ſimul & ópibus doléret ſpoliátas, ipſámque Anglicánam Eccléſiam magìs a[c] magìs in dies conculcári cerneret; aliáque ejúſmodi quam plúra fieri quotídie anima[d]vérteret in regni damnum [ac] religiónis: eum ſe non e

itrátus qui tantis malis me-
ım afférre poſſet ſalutá-
ı, voluntárium ampléxus
ium, in Gállias ad Ponti-
:um Ciſterciénſis Ordinis
ıaſtérium ſe recépit, aſsí-
pro Angliæ ſalúte ora-
ibus & jejúniis vacatúrus.
num váriis córporis &
ni conféctus ærúmnis, in
ıcénſi Canonicórum re-
rium monaſtério, quò
ò antè ſalubrióris áëris
â ſecéſſerat, diem óbiit
ːmum décimâ ſextâ No-
bris, anno milléſimo du-
éſimo quadragéſimo pri-
Corpus ejus ad Pontinia-
ɛ cœnóbium revéctum,
cclésiæ ſanctuário ſepúl-
eſt. Tot miráculis refúlſit,
ibus círciter póſt annis
árdus de Soliaco, Autiſ-
rénſis epiſcopus, dili-
eórum inquiſitióne factâ,
nocéntio quarto Sanctó-
número Edmúndum aſ-
poſtuláverit. Non multò
dem corpus à Guidóne
ɛllóto Bernárdi ſucceſ-
túmulo levátum, ſuper
altáre fidélium venera-
ɛxpóſitum eſt.

'era à Capitulo de Feſto ti.

Die XVII.

In feſto

CTI ANIANI,

'elianenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

ia de Communi S. Ponti- . exceptis quæ ſequuntur.

Oratio, Deus, qui beáti Aniáni, *infrà*, 456.

Pridie Post Vesperas, *fit Commemoratio S. Edmundi*, *Ant.* Beatificávit, ℣. Dedit, xxvj. *Oratio*, Quæſumus, Dómine, xxv.

Lectio ij.

Ex Sidon. Apoll. Greg. Turon. Heric. Autiſſ. MSS. Eccleſ. Aurel. Ducheſn. & Surio.

ANiánus máximus conſummatiſſimúſque póntifex, dignus hábitus qui Germáno Autiſſiodorénſi & Lupo Trecénſi compararétur, exímiæ non ſolùm ſanctitátis ſed & prudéntiæ vir, Ecclésiæ Aurelianénſi multis annis præfuit. Beátum Germánum Aureliánis tranſeúntem, totíus pópuli ágmine ſtipátus, honorífice excépit. Ibi rogánte Aniáno Germánus mórtuum ſuſcitávit, eo in loco in quo erécta eſt Basílica, quæ ejúſdem Germáni nómine gaudet. Attila Hunnórum rex, ſedénte Aniáno jam ſene, Gállias devaſtábat. Imminébat Aureliánis præcípuè hæc tempéſtas, imò pótiùs ira indignatiónis Dei quam précibus ſuis differre decertábat Aniánus, ut pópulum ínterim ad pœniténtiam revocáret. Nec negléxit Arelátem uſque ad Aëtium pérgere, qui rebus Románis Valentiniáni nómine tunc præerat, ut feſtínum urbi periclitánti auxílium impetráret.

Lectio iij.

JAmque áderat Attila, totáque vi Aureliános impugnábat. Cúmque inclúſi pópuli ſuo Pontífici quid ágerent acclamárent, ille fiſus in Deo, monet omnes in oratiónem proſtérni, & cum lácrymis præſens ſemper in neceſſitátibus Dómini auxílium imploráre. Factum id íterum ac tértiò, ardentióri ſemper deſidério atque uberióri fletu, donec his ut præcéperat deprecántibus, poſt tértiam oratiónem, de muro juxta ſenis impérium aſpiciéntes, vidérunt à longè quaſi nébulam de terra conſúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Sacérdos: Dómini auxílium eſt. Interim tamen non oppugnabátur modò cívitas, ſed & expugnabátur. Jamque ingréſſi Hunnórum próceres, nil niſi de victæ plebis ſpóliis cogitábant, cùm ecce mixti Románi Gothíque inexpectáti ſupervéniunt, imparatóſque fácilè fundunt, expéllunt, fugant. Biénnio pòſt, ut putant, Aniánus plenus bonis opéribus obdormívit in Dómino, anno ſalútis quadringentéſimo quinquagéſimo tértio.

Oratio.

DEus, qui beáti Aniáni pontíficis ſupplicatióne placátus, pópulo tuo in tribulatióne ſuccurríſti; ejúſdem nos interceſſióne ab hóſtium viſibílium & inviſibílium inſídiis redde ſecúros; Per.

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XVIII.

IN VENERATIONE SS. RELIQUIARUM.

SEMISOLEMNE.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni. D.*

SIcut Pater ſúſcitat mórtuos, & vivíficat; ſic & Fílius, quos vult vivíficat. *Joan.* 5. 21.

Ant. 2. *D.* De ómnibus tribulatiónibus liberábit juſtos Dóminus. Cuſtódit ómnia oſſa eórum; unum ex his non conterétur. *Pſ.* 33. 20. 21.

Ant. 3. *E.* Rex mundi deſúnctos pro ſuis légibus in ætérnæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. 2. *Mach.* 7. 9.

Ant. 4. *irreg. c.* Dixit Dóminus; De manu mortis libe-

ɔo eos, de morte rédimam
s. *Oſee* 13. 14.
Ant. 5. *F.* Qui in monu-
ɛntis ſunt, aúdient vocem
ii Dei : & procédent qui
na fecérunt, in reſurrectió-
n vitæ. *Joan.* 5. 28. 29.
apitulum. 1. *Theſſ.* 4. 14.
[crédimus quòd Jeſus mór-
tuus eſt, & reſurréxit : ita
Deus eos qui dormiérunt
Jeſum, addúcet cum eo.
℟. Cùm tradíderit Chri-
regnum Deo & Patri,
ı evacuáverit omnem prin-
ıtum, & poteſtátem, &
útem,* Noviſſima inimíca
ruétur mors. 1. *Cor.* 15.
26. ℣. Præcipitábit mor-
in ſempitérnum : & aú-
t Dóminus Deus lácry-
ı ab omni fácie. *Iſai.* 25. 8.
oviſſima. Glória. * No-
na.

mnus. Santol. Maglor.

Vos unánimes Chriſtía-
dum chori,
tórum túmulos & cíneres
Patrum,
es exúvias, pígnora Cœ-
litum
tis dícite cántibus.
. o quando piis æqua la-
bóribus
s ánimæ gaúdia póſſi-
dent,
rum ſóciis débita réd-
ditur.
c laus & decus óſſi-
bus.
ɪ ᴍ ſparſa, Deus, pol-
íciti memor,
Cuſtos, ne péreant, pígnora
cólligit;
Electóſque ſuis próvidus ág-
gerit
Aptándos lápides locis.
Qᴜɪɴ & relliquias & túmu-
los, ſibi
Aras ipſe Deus cónſecrat hó-
ſtia;
Conjungénſque ſuis ſe caput
ártubus,
Hos ſecum ſimul ímmolat.
Vᴏs quorum cíneres ſupplí-
cibus pia,
Tutum præſídium, plebs colit
óſculis;
Si vos noſtra movent, ſubsí-
dium, boni,
Veſtris ferte cliéntibus.
Uᴛ cùm noſtra novis ſplén-
dida dótibus
Surget juncta choris ſpiríṫuum
caro,
Indivíſa Trias ſit Deus ómnia
Nobis ſemper in ómnibus.
Amen.

℣. Glória revelábitur in no-
bis; ℟. Nam expectátio crea-
túræ, revelatiónem filiórum
Dei expéctat. *Rom.* 8. 18. 19.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D.* *Dupl.*
Vanitáti creatúra ſubjécta eſt
non volens, ſed propter eum
qui ſubjécit eam in ſpe; &
ipſa liberábitur à ſervitúte
corruptiónis, in libertátem
glóriæ filiórum Dei. *Rom.* 8.
20. 21.

Oratio, Auge in nobis, *in-
frà ad Laudes.*

*Fit Commemoratio S. Ania-
ni*, *Ant.* Beatificávit, ℣. De-

dit, xxvj. *Oratio*, Deus, qui beáti Aniáni, *ſuprà*, 456.

AD COMPLETORIUM, *Orationes*, Auge in nobis, *infrà in Laudibus*, *&* Véritas, *ſub una concluſione.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Dóminum cui exultábunt oſſa humiliáta, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 50. 10.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

DURI ſola viget néſcia fúneris
Virtus, luce fruens irrevocábili;
Hìc dum membra colúntur,
Ipſo mens ovat in Deo.

URBS muníta nimis, quam velut árcibus
Deféndunt géminis, hinc pia Præſulum
Sacro monte coróna,
Illinc ágmina Mártyrum.

PRÆCONUM ſíluit vox abeúntium;
Quæ dixére manent. Ipſa poténtiùs,
Vos audíte, perórant
Linguis facta perénnibus.

SACRO ſemen agro ne quis adúlteret,
Meſſis vos dóminum póſcite, Cœlites,
Quales antè fuiſtis,
Det nobis operários.

TU fac Trine Deus, tu Deus Unice,
Noſtris ut vígeat férvida móribus
Quæ permánſit avíto
De cognómine ſánctitas.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Spelúncam dúplicem emit Abraham ab Ephron Hethæo, in poſſeſſiónem ſepúlcri. *Gen.* 49. 30.

Ant. 2. D. In ſpelúnca dúplici ſepeliérunt Abraham, & Saram uxórem ejus: ibi ſepúltus eſt Iſaac cum Rebécca: ibi & Lia cóndita jacet. *Gen.* 49. 31.

Ant. 3. a. Dixit Jacob ad Joſeph: Dórmiam cum pátribus meis; aúferas me de terra hac, condáſque in ſepúlcro majórum meórum. Reſpóndit Joſeph: Fáciam quod juſsíſti. *Gen.* 47. 29. 30.

℣. Sepeliérunt Jacob in ſpelúnca dúplici, ℟. Quam émerat Abraham cum agro in poſſeſſiónem ſepúlcri. *Gen.* 50. 13.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Cùm emiſíſſet Phárao pópulum, tulit Móyſes oſſa Joſeph ſecum: eò quòd adjuráſſet filios Iſraël, dicens: * Viſitábit vos Deus, efférte oſſa mea hinc vobíſcum. *Exod.* 13. 17. 19. ℣. Fide Joſeph móriens, de profectióne filiórum Iſraël memorátus eſt, & de óſſibus ſuis mandávit. *Hebr.* 11. 22. * Viſitábit vos.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Illi viri miſericórdiæ ſunt, quorum pie-

átes non defuérunt : * Córpora ipſórum in pace ſepúlta ſunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccli.* 44 10. 14. ℣. Tranſláti ſunt in Sichem, & pósiti ſunt in ſepúlcro quod emit Abraham prétio argénti. *Act.* 7. 16. * Córpora.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Duódecim Prophetárum oſſa púllulent de loco ſuo; nam * Corroboravérunt Jacob, & † Redemérunt ſe in fide virtútis. *Eccli.* 49. 12. ℣. Per fidem operáti ſunt juſtítiam, adépti ſunt repromiſſiónes. *Hebr.* 11. 33. * Corroboravérunt. Glória. † Redemérunt ſe.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Oſſa Joſeph viſitáta ſunt, & poſt mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49. 18.

Ant. 5. a. In Eliſéo completus eſt ſpíritus Elíæ : & mórtuum prophetávit corpus Eliſéi. *Eccli.* 48. 13. 14.

Ant. 6. C. Cùm tetigíſſet cadáver oſſa Eliſéi, revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 4. *Reg.* 13. 21.

℣. Eliſéus in vita ſua fecit monſtra, ℟. Et in morte mirabília operátus eſt. *Eccli.* 48. 15.

Lectio iv.

Ex Hiſt. Epiſc. Autiſſ. Heric. lib. de mirac. S. Germ. apud Labb. veteribus Martyrol. Breviar. Chartis, Bolland. & aliis.

INterrúptam, quæ olim in Eccléſia Autiſſiodorénſi diu víguit, conſuetúdinem renovántes, ómnium Sanctórum intrà Diœcéſim quieſcéntium ſacra pígnora ſub una celebritáte venerámur. Hoc máximè decet hanc Eccléſiam quæ tot Sanctórum ſpóliis inſignítur, ut præ multitúdine ſpeciálem diem unicuíque aſſignáre non poſſit. Inter multos Præſules ſuos ſanctitáte inſígnes, vigínti & unum ſinguláti cultu venerátur, qui omnes, excépto beáto Peregríno, Autiſſiodóri ſepúlti ſunt. Cathedrális Eccléſia protomártyris Stéphani óſſibus áliquot ex Oriénte allátis, ſanctórum ínſuper mártyrum Lauréntii diáconi, Gerváſii & Protáſii, Priſci & Sociórum ejus, Eugéniæ vírginis, Ciryci & Julíttæ, Juſti Autiſſiodorénſis púeri, Alexándri & Chryſánti, imò & nonnúllis ſanctórum pontíficum Amatóris ac Germáni pignóribus locupletáta eſt. Harum Reliquiárum partem cùm deprædáti eſſent Calviniáni, pars áltera Catholicórum pietáte incólumis eváſit, hactenúſque in decénti theca retro majus altáre, & in ejúſdem Eccléſiæ ſacrário religióſè ſervátur. Novíſſimè poſt hæreticórum tumúltus váriis ſancti Peregríni óſſibus decoráta eſt, atque ſancti Saturníni bráchio, quod è Romána ſanctórum Joánnis & Pauli Baſílica præſuli noſtro Amyóto concéſſum fuit.

℟. Stetit Eliſéus ſuper ri-

pam Jordánis, & * Pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percúſſit aquas, & divíſæ ſunt. 4. *Reg.* 2. 13. 14. ℣. Quicúnque non hæſitáverit in corde ſuo, ſed credíderit quia quodcúnque díxerit, fiat; fiet ei. *Marc.* 11. 23. * Pállio Elíæ.

Lectio v.

VIx étiam una eſt in Autiſſiodorénſi civitáte Basílica, quæ de ſanctárum Reliquiárum poſſeſſióne non gloriétur. In monte præſértim Aútrico, quamplúrima Sanctórum córpora jacuiſſe conſtat, variáſque eórum lóculis ſuperſtrúctas céllulas, unde Loca-ſanctórum vulgò vocitabátur. Plures quoque Vírgines, ſedéntibus Eládio, Palládio, aliíſque ſanctis Præſúlibus, noſtram hanc terram virtútum méritis, ſuíſque cinéribus exornáſſe, véterum teſtimónio comprobátum eſt. Tantam dénique dignitátem ac veneratiónem à ſacris exúviis ſibi conciliávit ſancti Germáni Basílica, ut vix in toto orbe ſánctior locus inveniátur. Ibi quippe innúmera ſanctórum Pontíficum córpora, aliorúmque omnis órdinis ac ſexûs, circa ejúſdem beatíſſimi Germáni túmulum cóndita, vel ex váriis regiónibus tranſláta, requiéſcunt.

℟. Per manus Apoſtolórum fiébant prodígia; ita ut in platéas ejícerent infirmos, ut ſaltem umbra Petri obumbráret quenquam illórum: qui * Curabántur omnes. *Act.* 5. 12. 15. 16. ℣. Sic amplificátus eſt Elías in mirabílibus ſuis. *Eccli.* 48. 4. * Curabántur omnes.

Lectio vj.

NEque verò ſola cívitas Autiſſiodorénſis multíplici Reliquiárum número gaudet. Nullum ferè eſt in tota Diœcéſi monaſtérium, nulla ferè Basílica cui peculiáris ſui patróni ſpólia defúerint. Sancti Priſci exúviis, atque ingénti Sociórum ejus multitúdine ditáta eſt Cociacénſis Eccléſia. Beáti Peregríni cápite celebrátur vicus Baugíacus; Regnobérti ac Zenónis, aliorúmque plurimórum pignóribus, óppidum Varziacénſe; Caradóci, Domitiacum; Urſicíni, vicus Crincénſis; Camíllæ vírginis, Scolíva; Palládiæ, ejus nóminis vicus. Baudélii étiam mártyris, Rómuli abbátis, aliorúmque cinéribus decorátum fuit Saxiacénſe monaſtérium. Archicœnóbium verò Pontiniacénſe tot ſanctis Præſúlibus ab Anglia propter juſtítiam exulántibus jam pridem illuſtrátum, nunc étiam, ampliſſimo velut theſaúro, ſancti Edmúndi córpore locupletátur.

℟. Virtútes non quáſlibet faciébat Deus per manum Pauli; ita ut ſuper lánguidos deferréntur à córpore ejus ſudária & ſemicínctia, & * Recedébant ab eis languóres, &

Spíritus nequam egrediebántur. *Act.* 19. 11. 12. ℣. Mi- ibilis Deus in Sanctis ſuis. ſ. 67. 36.* Recedébant. Glóa. † Spíritus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Manus Dómini ımíſit me in médio campi, ui erat plenus óſſibus: erant ıtem multa valde, ſiccáque ɜheménter. *Ezech.* 37. 1. 2.

Ant. 8. G. Dixit Dóminus: ili hóminis, putáſne vivent ſſa iſta? Et dixi: Dómine)eus, tu noſti. *Ezech.* 37. 3.

Ant. 1. a. Dixit: Vaticináre : óſſibus iſtis; & dices eis: ıæc dicit Dóminus, Introıittam in vos ſpíritum, & ivétis. *Ezech.* 37. 4. 5.

℣. Succréſcere fáciam ſuper os carnes, ℟. Et ſuperexténam in vobis cutem; & dabo obis ſpíritum. *Ezech.* 37. 6.

éctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 20. 27. *ad* 38.

N illo témpore; Acceſſé. runt quidam Sadducæórum, ui negant eſſe reſurrectióem. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Preſbyteri.

Lib. adversùs Vigilantium, cap. 2.

DOlet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióſo ɔeríri velámine, & non vel ınnis, vel cilício colligári, :l prójici in ſterquilínium; ſolus Vigilántius ébrius & ɪrmiens adorétur. Ergo ſacrílegi ſumus, quando Apoſtolórum Baſílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Conſtántius imperátor, qui ſanctas Relíquias Andréæ, Lucæ, & Timóthei tránſtulit Conſtantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, & inhabitatóres Vigiántii illórum ſe ſentíre præſéntiam confiténtur? Sacrílegus dicéndus eſt & nunc Augúſtus Arcádius, qui oſſa beáti Samuélis, longo pòſt témpore de Judæa tránſtulit in Thráciam? Omnes Epíſcopi, non ſolùm ſacrílegi, ſed & fátui judicándi, qui rem viliſſimam, & cíneres diſſolútos, in ſérico & vaſe aúrëo portavérunt?

℟. Prophetávi ſicut præcéperat mihi Dóminus.* Prophetánte me, ecce commótio; & acceſſérunt oſſa ad oſſa, unumquòdque ad junctúram ſuam. *Ezech.* 37. 7. ℣. Deus vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. *Rom.* 4. 17.* Prophetánte me.

Lectio viij. *Paulò pòſt.*

SI Apóſtoli, & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti, poſſunt oráre pro céteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolíciti; quantò magìs poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini ſui, & primus martyr in Chr

ſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur : & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valébunt ? Paulus apóſtolus ducéntas ſeptuagínta ſex ſibi dicit in navi ánimas condonátas ; & poſtquam reſolútus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſúrus eſt, & pro his qui in toto orbe ad ſuum evangélium credidérunt, mutíre non póterit ?

℟. Oſſa ſpíritum non habébant : &* Prophetávi ; & ingréſſus eſt in ea ſpíritus, & vixérunt. *Ezech.* 37. 8. 10. ℣. A mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus. *Hebr.* 11. 19. * Prophetávi.

Lectio ix. *cap.* 3.

MAléfacit ergo Románus Epíſcopus, qui ſuper mortuórum hóminum Petri & Pauli ſecúndùm nos oſſa veneránda, ſecúndùm te vilem pulvíſculum, offert Dómino ſacrificia, & túmulos eórum Chriſti arbitrátur altária ? Et non ſolùm uníus urbis, ſed totíus orbis errant Epíſcopi, qui caupónem Vigiláatium contemnéntes, ingrediúntur baſílicas mortuórum, in quibus pulvis viliſſimus, & favílla, néſcio quæ, jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat ; & quaſi ſepúlcra phariſǽica foris dealbáta ſint, cùm intùs immúndo cínere, juxta te, immúnda ómnia óleant atque ſórdeant.... O porténtum in terras últimas deportándum.

℟. Hæc dicit Dóminus Deus : Ecce ego * Apériam túmulos veſtros, & † Edúcam vos de ſepúlcris veſtris, pópulus meus. *Ezech.* 37. 12. ℣. Ego ſum reſurréctio & vita : qui credit in me, etiámſi mórtuus fúerit, vivet. *Joan.* 11. 25. * Apériam. Glória. † Edúcam.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Anima mea delectábitur ſuper ſalutári ſuo. ℟. Omnia oſſa mea dicent : Dómine, quis ſímilis tibi ! *Pſ.* 34. 9. 10.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. *toni.* a.

EXpergiſcímini, & laudáte qui habitátis in púlvere. *Iſai.* 26. 19.

Ant. 1. â. Vivent mórtui tui, interfécti mei reſúrgent. *Iſai.* 26. 19.

Ant. 3. g. Revelábit terra ſánguinem ſuum, & non opériet ultrà interféctos ſuos. *Iſai.* 26. 21.

Ant. 8. G. Diſténti ſunt, non ſuſcipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrectiónem. *Hebr.* 11. 35.

Ant. 4. f. Qui digni habebúntur reſurrectióne ex mórtuis, æquáles Angelis ſunt, & fílii ſunt Dei, cùm ſint fílii reſurrectiónis. *Luc.* 20. 35. 36.

Capitulum. Eccli. 46. 14. 15.

NOn avérſi ſunt à Dómino, ut ſit memória illórum in benedictióne, & oſſa

rum púllulent de loco ſuo, nomen eórum permáneat ætérnum.

Hymnus.

PUlsa nocte redux ecce micat dies,
Pontes qui júbeat ſcándere lúcidos,
Terris unde refúlſit
Tantus ſplendor in Aútricis.

Huc cives páribus cúrrite méntibus,
Sanctos ſancta juvet cárpere gaúdia:
Sacris ferte ſepúlcris
Puri múnera péctoris.

Vires inde novas, robur & haúriat
Languéſcit gélido quiſquis in ótio.
Fax extíncta propínquis
Ignes ducat ab ígnibus.

Felix terra ſacer quam tóties cruor,
Sudor quam tóties ille rigáverit,
Tantas unde nepótes
In meſſes adolévimus.

Tantæ nos mémores ſimus oríginis;
Sanctórum ſóboles, ne ſterileſcere,
Ne torpére ſinámus
Priſcam degéneres fidem.

Tu fac Trine Deus, tu Deus Unice,
Noſtris ut vígeat férvida móribus,
Solo neve ſupérſit
In cognómine ſánctitas.
Amen.

℣. Mórtui reſúrgent incorrúpti: ℟. Et nos immutábimur. 1. *Cor.* 15. 52.

Ad Bened. *Ant.* 8. G.* *Dupl.* Quia reſúrgant mórtui, & Móyſes oſténdit, ſicut dicit Dóminum, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob: Deus autem non eſt mortuórum, ſed vivórum; omnes enim vivunt ei. *Luc.* 20. 37. 38.

Oratio.

AUge in nobis, Dómine, reſurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: & fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Expergiſcímini.

Orationes, Auge in nobis, *ſuprà*, & Dómine ſancte, Pater omnípotens, *ſub una concluſione.*

Ad Tertiam, *Ant.* Vivent.

Capitulum. 2. *Mach.* 7. 23.

MUndi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem; & ſpíritum vobis íterum cum miſericórdia reddet & vitam.

℟. *breve*, Oſſa veſtra quaſi herba germinábunt: * Allelúia, allelúia. ℟. Oſſa veſtra.
℣. Et cognoſcétur manus Dó-

mini ſervis ejus. * Allelúia. Glória. ℟. Oſſa veſtra. *Iſai.* 66. 14.

℣. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra; tunc & vos apparébitis ℟. Cum ipſo in glória. *Coloſſ.* 3. 4.

Ad Sextam, *Ant.* Revelábit.

Capitulum. *Rom.* 8. 11.

QUi ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra; propter inhabitántem ſpíritum ejus in vobis.

℟. *breve*, Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem; * Allelúia, allelúia. ℟. Opórtet. ℣. Et mortále hoc indúere immortalitátem. * Allelúia. Glória. ℟. Opórtet. 1. *Cor.* 15. 53.

℣. Omnes quidem reſurgémus, ℟. Sed non omnes immutábimur. 1. *Cor.* 15. 51.

Ad Nonam, *Ant.* Qui digni.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 22. 23.

IN Chriſto omnes vivificabúntur: unuſquíſque in ſuo órdine, primítiæ Chriſtus; deínde ii qui ſunt Chriſti, qui in advéntum ejus credidérunt.

℟. *breve*, Seminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne: * Allelúia, allelúia. ℟. Seminátur. ℣. Seminátur in ignobilitáte, ſurget in glória. * Allelúia. Glória. ℟. Seminátur. 1. *Cor.* 15. 42. 43.

℣. Seminátur in infirmitáte, ſurget in virtúte: ℟. Seminátur corpus animále, ſurget corpus ſpiritále. 1. *Cor.* 15. 43. 44.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 2. *toni.* D.

IPſi intrà nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis noſtri. *Rom.* 8. 23.

Ant. 4. d. Habéntes eúndem ſpíritum fidei, & nos crédimus, ſciéntes quóniam qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit. 2. *Cor.* 4. 13. 14.

Ant. 4. a. Si mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto. *Rom.* 6. 8.

Ant. 5. a. Dóminus vivificábit nos poſt duos dies, in die tértia ſuſcitábit nos, & vivémus in conſpéctu ejus. *Oſee* 6. 3.

Ant. 6. F. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſórpta eſt mors in victória. 1. *Cor.* 15. 54.

Capitulum. 2. *Petr.* 3. 13. 14.

NOvos cœlos & novam terram ſecúndùm promíſſa Dómini expectámus, in quibus juſtítia hábitat, propter quod, cariſſimi, hæc expectántes ſatágite immaculáti & invioláti ei inveníri in pace.

℟. Hæc dicit, *ut ſuprà poſt ultimam Lectionem Officii Nocturni.*

Hymnus.

Hymnus.

QUORUM mens ſúperis regnat in árcibus :
ſis en ſuus eſt hìc honor ártubus :
tis quanta fluant quot bona fóntibus,
Expérti tóties canant.
os cives mémori víſite péctore,
anctórum túmulos víſite Mártyrum :
antis hæc méritis débita grátia,
Fuſo débita ſánguini.
ERUM nec lápides, tecta nec aúrea,
ec cantáta juvent cármina Cœlites ;
i ſit vita piis cónſona vócibus :
Laudas, quiſquis es æmulus.
ORTU nunc plácido certa licèt quies
ecúros hábeat, flúctibus óbrutos
ùm ſpectant médiis, ſollícitos tenet
Nunc & pátria cáritas.
A QUO cuncta fluunt, ſit tibi laus, Deus,
acros quâ décuit dum reveréntiâ
Artus nos cólimus, tota refúnditur
Summo glória Vértici.
Amen.

℣. Deus & Dóminum ſuſcitávit, & nos ſuſcitábit, ℟. Per virtútem ſuam. 1. *Cor.* 6. 14.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G.* *Dupl.* Noſtra converſátio in cœlis eſt, unde étiam ſalvatórem expectámus Dóminum Jeſum, qui reformábit corpus humilitátis noſtræ configurátum córpori claritátis ſuæ. *Philipp.* 3. 20. 21.

AD COMPLETORIUM, *Orationes*, Auge in nobis, *ſuprà*, & Véritas, *ſub una concluſione.*

DIE XXI.

In Feſto PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in Nativitate ejuſdem, ſuprà, 345. exceptis quæ ſequuntur.

In toto Officio nihil duplicatur.

IN PRIMIS VESPERIS.

℟. Benedícam tibi, complens juraméntum quod ſpopóndi Abraham patri tuo.* Et † Benedicéntur in ſémine tuo omnes gentes terræ. *Gen.* 26. 3. 4. ℣. Erit radix Jeſſe, & qui exúrget régere gentes ; in eum gentes ſperábunt. *Rom.* 15. 12. * Et benedicéntur. Glória. † Benedicéntur.

Hymnus, Ave radix Jeſſe, *ut in Officio B. Mariæ in Sabbato*, lxxiij.

Oratio, Deus, qui beátam Maríam, *infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Pſalterio.*

Ad Hymnum, *Doxologia*,

QUI natus es de Vírgine, Jeſu, tibi ſit glória,

Cum Patre cumque Spíritu,
In ſempitérna ſǽcula.
Amen.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Jeſum de María natum, lxxiv.

Hymnus, Dávidis ſóboles, *ibidem*.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Ambróſii epíſcopi, de Virgínibus.

Lib. 2. *cap.* 2. §. 6. 7.

Lectio iv.

SIt vobis tanquam in imágine deſcrípta virgínitas vitâ Maríæ, de qua velut ſpéculo refúlgeat ſpécies caſtitátis, & forma virtútis. Hinc ſumátis licet exémpla vivéndi, ubi tanquam in exemplári magiſtéria expréſſa probitátis, quid corrígere, quid effíngere, quid tenére debeátis, oſténdunt. Primus diſcéndi ardor, nobílitas eſt magíſtri. Quid nobílius Dei matre? Quid ſplendídius eâ quam Splendor elégit? Quid cáſtius eâ quæ corpus ſine córporis contagióne generávit?

Lectio v.

NAm de céteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm córpore, ſed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu ſincérum adulteráret affécum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimi prudens, loquéndi párcior, legéndi ſtudióſior: non in incérto divitiárum, ſed in prece paúperum ſpem repónens: inténta óperi, verecúnda ſermóne, árbitrum mentis ſólita non hóminem, ſed Deum quærere: nullum lædere, bene velle ómnibus, aſſúrgere majóribus natu, æquálibus non invidére, fúgere jactántiam, ratiónem ſequi, amáre virtútem.

Lectio vj.

QUando iſta vel vultu læſit paréntes? quando diſſénſit à propínquis? quando faſtidívit húmilem? quando derísit débilem? quando vitávit inopem? eos ſolos ſólita cœtus virórum inviſere, quos miſericórdia non erubéſceret, neque præteríret verecúndia. Nihil torvum in óculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecúndum: non geſtus fráctior, non incéſſus ſolútior, non vox petulántior; ut ipſa córporis ſpécies ſimulácrum fúerit mentis, figúra probitátis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *c.* 11. 27. *ad* 28.

IN illo témpore; Loquénte Jeſu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit! Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Lib. de S. Virginitate, §. 3.

B Eátior María percipiéndo fidem Chriſti, quàm conpiéndo carnem Chriſti. Nam dicénti cuídam: [Beâtus nter qui te portávit;] ipſe ſpóndit: [Imò beáti qui diunt verbum Dei, & cuódiunt.] Dénique frátribus us, id eſt, ſecúndùm carnem gnátis, qui non in eum credérunt, quid prófuit illa gnátio? Sic & matérna pronquitas nihil Maríæ profuíſ:, niſi felíciùs Chriſtum cor- quàm carne geſtáſſet.

Lectio viij. §. 4.

Pſa quoque virgínitas ejus ídeo grátior & accéptior, ia non eam concéptus Chriis viro violatúro quam conrváret ipſe prærípuit; ſed iúſquam conciperétur, jam eo dicátam de qua naſcerér elégit. Hoc índicant verba æ ſibi fœtum annuntiánti ngelo María réddidit. [Quóodo (inquit) fiet iſtud, óniam virum non cognóſ-?] Quod profécto non díret, niſi Deo vírginem ſe tè vovíſſet.

Lectio ix.

P Oterat & jubéri virgo permanére, in qua Dei Fílius rmam ſervi congruénti miculo accíperet; ſed exémplo ctis futúra virgínibus, ne tarétur ſola virgo eſſe deíſſe, quæ prolem étiam ſine concúbitu concípere meruíſſet, virginitátem Deo dicávit, cùm adhuc quid eſſet conceptúra neſcíret, ut in terréno mortalíque córpore cœléſtis vitæ imitátio voto fieret, non præcépto; amóre eligéndi, non neceſſitáte ſerviéndi.

AD LAUDES MATUTINAS.

Pſalmi de Feria.

Capitulum, Hymnus, ℣. *Antiph. ad* Benedíctus, *ut in Officio B. Mariæ in Sabbato*, lxxv.

Oratio.

D Eus, qui beátam Maríam ſemper vírginem Spíritûs-ſancti habitáculum in templo præſentári voluíſti; præſta, quæſumus, ut ejus interceſſióne, in templo glóriæ tuæ præſentárì mereámur; Per Dóminum . . . in unitáte ejúſdem.

A D H O R A S, *in fine Hymnorum, Doxologia*, Qui natus es de Vírgine, Jeſu, tibi ſit, &c. *ut ſuprà.*

Pſalmi de Feria.

A D P R I M A M, *in* ℟. *brevi*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Unica Oratio de Pſalterio, Canon verò legitur ſecundùm Feriam.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Hymnus, Ave radix Jèſſe, lxxiij.

Fit Commemoratio S. Cæciliæ; Ant, Vincénti, ℣. F

dinis, lviij. *Oratio*, Omnípotens ſempitérne Deus, lix.

Completorium, *ut in Pſaltério.*

Ad Hymnum, Doxologia, Qui natus es de Vírgine, &c. *ut ſuprà.*

Die XXII.

In Feſto SANCTÆ CÆCILIÆ Virginis & Martyris.

Simplex.

De Communi SS. Virginum Martyrum, lviij.

Oratio, Omnípotens ſempitérne Deus, lix.

Ex libro Sacramentórum ſancti Gregórii papæ.

Præfat. Miſſæ S. Cæciliæ.

Lectio iij.

DEus in infirmitáte virtútem pérficit, & humáni géneris inimícum non ſolùm per viros, ſed étiam per féminas vincit. Cujus múnere beáta Cæcília in virginitátis propóſito, & in fidei confeſſióne Dei múnere ſic roboráta eſt, ut nec ætátis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandiméntis carnálibus demulcerétur, nec ſexûs fragilitáte deterrerétur, nec tormentórum immanitáte vincerétur; ſed ſervándo córporis ac mentis integritátem, cum virginitátis & martyrii palma ætérnam mererétur adipíſci beatitúdinem. [Hæc una eſt ex quátuor celebérrimis Eccléſiæ Occidentális virgínibus martyrio coronátis, quarum nomen antíquitus inſértum eſt in Cánone Miſſæ. Corpus ejus in cœmetério Prætextáti extra Urbem viâ Appiâ vel inítio ſepúltum eſt, vel illuc tranſlátum.]

Veſpera de Feſto ſequenti.

Die XXIII.

In Feſto SANCTI CLEMENTIS Papæ & Martyris.

Semiduplex.

De Communi unius Martyris, vij.

Oratio, Omnípotens, xj.

Ex libro ſancti Irenæi epíſcopi & mártyris, advérsùs hæreſes.

Lib. 3. cap. 3. §. 3.

Lectio ij.

FUndántes & inſtruéntes beáti apóſtoli (Petrus & Paulus) Eccléſiam, Lino epiſcopátum adminiſtrándæ Eccléſiæ tradidérunt. Succédit autem ei Anaclétus: poſt eum tértio loco ab Apóſtolis epiſcopátum ſortítur Clemens, qui & vidit ipſos Apóſtolos, & cóntulit cum eis, cùm adhuc inſonántem prædicatiónem Apoſtolórum & traditiónem ante óculos habéret. Non ſolus; adhuc enim multi ſupérerant tunc ab Apóſtolis docti. Sub hoc ígitur Cleménte, diſſenſióne non módicâ inter eos qui Corínthi eſſent fratres factâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccléſia potentíſſimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & réparans fidem

rum, & annúntians quam recénti ab Apóſtolis recé-rant traditiónem. [Obiit tio Trajáni anno; & nómi-; ejus memóriam uſque hó-: Romæ extrúcta Eccléſia ſtódit.]

Epíſtola ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris, ad Corínthios.

ectio iij. *Epiſt.* 1. §. 7. 54. 55.

HÆc, dilécti, non tantùm ut vos moneámus, íbimus; ſed étiam ut nos i commonefaciámus: in dem enim ſtádio verſámur, certámen idem nobis imſitum eſt. Quocírca relinámus inánes & vanas cu-, atque veniámus ad gloſam & venerábilem ſanctæ catiónis noſtræ régulam.... uis inter vos generóſus? is miſéricors? quis caris plenus? Dicat ſi propme ſedítio, & diſcórdia, ſchíſmata; diſcédo, ábeo ocúnque voluéritis, & fáquæ à plebe mandántur: im ovíle Chriſti in pace gat cum conſtitútis Preſbys. Qui hoc fécerit, ſibi gnum decus in Dómino nparábit; & omnis locus n ſuſcípiet. [Dómini (enim) terra, & plenitúdo ejus.] c, qui divínam ac cujus quam pœnitet, vitam vit, fecérunt & fácient...., ltos, inter nos cognóvis, qui ſeípſos in víncula jecérunt, ut álios redímerent. Multi ſeípſos in ſervitútem dedérunt, & accépto prétio ſuî, álios cibárunt.

In Vesperis, *fit Commemoratio S. Chryſogoni martyris*, *Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Deus, qui beátum, xj.

Die XXIV.

SANCTI CHRYSOGONI Martyris

Commemoratio.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Oratio*, Deus, qui beátum, xj.

Veſpera de Pſalterio.

Die XXVI.

SANCTI LINI, Papæ & Martyris

Commemoratio.

Pridie Post Vesperas, *Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Deus, cujus grátia, xj.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* Dóminus, ℣. Glorificátus ſum, *Oratio*, Deus, cujus grátia, xj.

Veſpera de Pſalterio.

Die XXVIII.

In feſto

SANCTI VIGILII, Autiſſiodorenſis Epiſcopi & Martyris.

Duplex-minus.

De Communi unius Martyris, vij. *præter ſequentia.*

Oratio, Omnípotens ſempitérne Deus, *infrà*.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Hiſt. Epiſc. Autiſſ. apud Labb. tom. 1. *Bibliot. MSS. Chron. Fredeg. Mabill. ſec.* ij. *Bened. & MSS. Amyoti epiſc. Autiſſ.*

VIgílius génere Autiſſiodorénſis, Palládio ſuffectus, Autiſſiodorénſem Eccléſiam, jam vigínti Præſulum ſanctitáte illuſtrátam, non minóri ſanctitátis famâ, per annos vigínti quinque, circa Clotárii tértii, & ſucceſſórum regum témpora gubernávit. Amplum patrimónium paupéribus diſtríbuit, amplióra poſt óbitum diſtribuénda curans. Monaſtérium extra urbis muros ſub beátæ Maríæ invocatióne, patérnis facultátibus dotávit; & juxta illud, ad egenórum curam, Xenodóchium eréxit. Adjíciunt nonnúlli, ab eo éditam fuiſſe régulam quæ Magíſtri vulgò dícitur. Adjutórem ſe præbuit monáſticæ vitæ cultóri beáto Drausíno, Sueſſionénſi epíſcopo, cujus lítteras pro inſtitutióne puelláris monaſtérii, ſubſcriptióne ſuâ roborávit his verbis; Vigílius peccátor ſubſcripſi.

Lectio v.

EBroíni flagitioſíſſimi hóminis factiónes deteſtátus, quorúmdam Aulicórum, vel ſpe, vel metu, vel ſánguinis & morum affinitáte, potentióris partes iníquè tuéntium, ódium in ſe concitávit. Hinc minæ, hinc insídiæ, hinc perícula Ebroíno vivénte; hinc ipſo mórtuo nefária cædes. Namque cùm ímpius Ghiſlemárus pium ſed símplicem Varathónem patrem ſuum è Palátii Præfectúra vi & fraude detrusíſſet; odióſum fácinus abhorruére ſancti Pontífices, quos inter Vigílius murum ſe æneum iniquitáti oppónere decrévit, vitam ipſam pro juſtítia & gregis pace profúndere parátus. Tranſeúntem per ſilvam Cótiam prope Compéndium, adórti ex improvíſo inſidiántes ſicárii comprehendérunt, ferróque trucidavérunt die undécimâ Mártii. Corpus Autiſſiodórum uſque delátum, in Basílica beátæ Maríæ quam ædificáverat, ſepúltum eſt.

Lectio vj.

NEc morte ejus in próximum amor extínctus eſt. Nam cùm ſacri córporis exúviæ per urbem Senonénſem deferréntur, cárceres divínitus reſeráti, príſtinæ libertáti reſtituérunt deténtos; qui beneficii mémores, corpus Autiſſiodórum uſque ſecúti, perpétuo ſeſe ejus obſéquio devovérunt. In cujus miráculi teſtimónium caténæ ſepúlchro affíxæ, nono étiam ſéculo videbántur, quarum tactu infírmos convaluíſſe tradidérunt ejúſdem ævi ſcriptóres. Rurſus verò crebreſcéntibus

d túmulum miráculis, uno ut áltero pòſt ſéculo, beáti 'ræſulis oſſa majóri altári ſuerpóſita die vigéſimâ octávâ Novémbris, ad ſéculum uſue décimum ſextum laboántes váriis morbis, præſerímque fébribus, ſanárunt. Hæréticis autem urbem deprædántibus, ex hoc loco disjécta, ſed à fidélibus piè collécta, & in capſa novi ópeis, poſt vigínti círciter annos, ib insígni præſule Amyóto olémniter recóndita, ibídem tiámnum requiéſcunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 15: 18.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si mundus vos odit, ſcitóte quia me prióem vobis ódio hábuit. Et réiqua.

Homília ſancti Cyrílli Alexandríni.

In idem Evangelium.

DIſtínctè ait Chriſtus re-ctèque cómprimit ac diértè; [ſi mundus vos odit,] d eſt, etſi vos ódio habitúri int, qui mundi res in prétio abent, ac terréna tantùm ſápiunt, tunc útique, inquit, citóte id priùs magíſtro eveíſſe ... [Quia verò de mundo non eſtis, proptérea odit vos nundus.] Artificiósè planè ácilem reddit rem quoque ómnium graviſſimam, eóque nirâ quâdam ac inaudítâ ratióne obleſtáre facit, quod non mediocrem moléſtiam jure allatúrum videbátur. Grave enim eſt revéra ódio eſſe nonnúllis, propter damna quæ intérdum emérgunt, & inopinátas insídias; ſed ſuáve illud eſt propter Deum: & ſi pietátis causâ contíngat, maniſeſtíſſimo indício eſt & arguménto, non eſſe mundo deditiórem in quem nonnúlli iſtud moliúntur ... Quocírca necéſſe eſt ódio habéri virtútis ſtudióſum, ex quibus is ipſe admiratióni eſſe débeat, dum improbitátem coárguit, ſuorúmque morum oppoſitióne, malórum obſcœnitátem rétegit. Bono quippe pródito, necéſſe omníno ut ſe mali fœditas oſténdat.

Lectio viij.

ODio à nonnúllis habéri, perículo útique prórſus non vacat: líberam tamen apud Deum excuſatiónem non habet; quin lucri plúrimùm eum manet, qui illud ultrò ſuſcéperit. Si enim qui ódio illis habeátur qui ea quæ mundi ſunt ſápiunt, mundo exceſsiſſe cenſétur, planè fit ut qui ódio non habétur, mundi jam neceſſáriò malis implicári noſcátur. Quid ergo his verbis Chriſtus consílio egit ac præſtitit? ut nempe cum fidúcia atque líberè ii loquántur, nec ullórum peccatórum metu, aut eórum qui divínâ prædicatióne contémptâ, ca-

ſtigántem doctrínam, & ſe ad meliórem inducéntem frugem, vetant; ſine fructu auditóres ſinant; ſed perículis, quæ ex ódio plerúmque contíngunt neglectis, fortes ac ſtrénui in propóſito máneant, nec priùs quidquam hábeant aut ducant, quàm ut Deo pláceant: quod & Paulus egrégiè præſtans ita ſcribit: [Modò enim homínibus ſuádeo an Deo? An quæro homínibus plácere? Si adhuc homínibus placérem, Chriſti ſervus non eſſem.] Nec enim fíeri poteſt; ut quis ímprobis Deóque pláceat.

Lectio ix.

QUI ergo ſinguláriter Deo ſervíre conſtítuit, nec pietáte in ipſum priùs quidquam habet, in eórum qui mundum díligunt offénſam incúrrat necéſſe ſit, dum ut ſápiant ſuádens, mundi impuritátem prodúcit. Graviſſimæ enim ſunt voluptátis cultóribus exhortatiónes, quæ ad áliud quidquam ac frugem meliórem redúcant... [Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum, quia néſciunt eum qui me miſit...] Cùm cunctis perſpícuum ſit, néminem quidquam Dei causâ immunerátum paſſúrum eſſe (illúſtris namque eo nómine nobis coróna propóſita eſt) ad ánimi virtútem rurſus hortátur, ac malórum toleråntes éfficit, retributiónis ſpe, quam futúri ſuccéſſus arcéſſant, moléſtiam profligans. Lucrum ígitur eſſe oſténdit, ipſáque mala ac perícula, rem votis proſequéndam... Suaviſſimum ígitur eſt pati propter Chriſtum, & dulce perículum, cùm ejus appeténdi cauſa, eſt diléctio erga Deum.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui fortitúdine Spíritûs tui, beátum Vigílium antíſtitem induíſti; fac nos, ipſo intercedénte, nec adverſórum metu frangi, nec vitæ frágilis amóre, à te qui ſolus vera vita es, ſeparári; Per *Dóminum*... in unitáte ejúſdem Spíritûs.

POST VESPERAS, *fit Commemoratio S. Saturnini, Toloſani epiſcopi & martyris*, *Ant.* Qui vícerit, ℣. Vincénti, viij. *Oratio*, Deus, cujus grátia, xj.

DIE XXIX.

Vigilia S. ANDREÆ APOSTOLI.

Officium de Feria occurrente, exceptis quæ ſequuntur.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Lectio j. & ij. *de Scriptura occurrente; fiuntque ex tribus duæ.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. *c.* 1. 35. *ad* 42.

IN illo témpore; Stabat Joánnes, & ex diſcípulis ejus duo: & reſpíciens Jeſum

mbulántem, dicit: Ecce A-
;nus Dei. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni epíſcopi.

n Joan. Evang. Tract. 7. §. 9.

ET audiérunt eum duo diſcípuli loquéntem, & ecúti ſunt Jeſum .....] In is duóbus erat Andréas, ſicut nodò audiſtis: Andréas autem rater Petri erat: & nóvimus n Evangélio quòd Petrum & Andréam Dóminus de navi ocávit, dicens: [Veníte poſt ne, & fáciam vos piſcatóres ıóminum.] Et ex illo jam in-ıæſérunt illi, ut non recéde-ent. Modò ergo quòd illum equuntur iſti duo, non quaſi ıon receſſúri ſequúntur, ſed idére voluérunt ubi habitá-et, & fácere quod ſcriptum ſt: [Limen oſtiórum ejus éx-erat pes tuus, ſurge ad illum eníre aſsíduè, & erudíre præ-éptis ejus.] Oſténdit eis ille bi manéret: venérunt & fué-unt cum illo. Quàm beátum iem duxérunt, quàm beátam octem! Quis eſt qui nobis icat quæ audíerint illi à Dó-nino? Ædificémus & noſmet-ıſi in corde noſtro, & faciá-ius domum quò véniat ille, t dóceat nos, & colloquátur obis.

℟. Videns Jeſus duos diſcí-ulos ſequéntes ſe, dicit eis: Quid quæritis? dixérunt ei: abbi ubi hábitas? Dicit eis: eníte, & vidéte.* Venérunt, † Apud eum manſérunt die illo. *Joan.* 1. 38. 39. ℣. In amicítia illíus delectátio bo-na, & præclárітas in commu-nicatióne ſermónum ipsíus. *Sap.* 8. 18.* Venérunt. Glória. † Apud eum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Preces, flexis genibus, 135.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómi-ne, ſupplíciter exorá-mus, ut qui beáti Andréæ Apóſtoli feſtum ſolémnibus jejúniis, & devótis præveni-mus offíciis, illíus apud te adjuvémur méritis, & inſtruá-mur exémplis; Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. Saturnini, Ant. Dóminus, ℣. Glo-rificátus ſum, *Oratio*, Deus, cujus grátia, xj.

AD HORAS, *dicuntur etiam Preces, flexis genibus, ut in Pſalterio.*

Veſpera de Feſto ſequenti.

DIE XXX.

In Feſto

S. ANDREÆ APOSTOLI.

Duplex-majus.

Omnia de Communi Apoſto-lorum, j. *exceptis quæ ſequun-tur.*

Pridie IN VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Audiérunt Joánnem duo diſcí-puli loquéntem, & ſecúti ſunt Jeſum. Erat autem Andréas, frater Simónis-Petri, unus ex duóbus qui ſecúti fúerant eum. *Joan.* 1. 37. 40.

Oratio, Omnípotens Deus, *infrà in Laudibus.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Evang. Euſeb lib. 3. *Hiſt. Greg. Naz. orat.* 25. *Paulin. carm.* 24. *Greg. Turon. de glor. Mart.* 31. *& aliis.*

ANdréas, Bethſäide in Galilæa natus, fílius Jonæ, frater Simónis-Petri, piſcátor, unus fuit ex duóbus diſcípulis Joánnis-Baptíſtæ, qui audiérunt eum de Jeſu dicéntem: [Ecce Agnus Dei,] & ſecúti ſunt Jeſum. Apud quem cùm mansíſſent die illâ, invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dixit ei: Invénimus Meſsíam; & addúxit eum ad Jeſum. Ambos fratres, jam diſcípulos ſuos, nondum tamen itínerum vitæque perpétuos ſócios, cùm ámbulans póſtea Jeſus juxta mare Galilææ vidíſſet mitténtes rete in mare, his vocávit verbis: [Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum.] Qui continuò, relíctis rétibus, ſecúti vocántem, ita ei adhæſérunt & placuérunt, ut inter Duódecim, quos è diſcípulis ſuis elégit, & Apóſtolos nominávit, primùm Simónem quem cognominávit Petrum, mox Andréam fratrem ejus Matthæus & Lucas recénſeant.

Lectio v.

QUærénti Chriſto, unde emeréntur panes ut manducáret multitúdo máxima quæ vénerat ad eum, dixit Andréas: [Eſt puer unus hìc qui habet panes quinque hordeáceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?] Jeſum, paucis ante paſſiónem ſuam diébus, ſedéntem in monte olivárum contra templum, & ſubverſiónem templi prædicéntem interrogavérunt ſeparátim Petrus, & Jacóbus, & Joánnes, & Andréas: [Dic nobis quando iſta fient, & quod ſignum erit, quando hæc ómnia incípient conſummári?] Quos ille, cùm ne ſeduceréntur monuíſſet, ac prænuntiáſſet eis bella, terræ motus per loca, & fames inítia dolórum, ſubjúnxit ſtatim: [Vidéte voſmetípſos; tradent enim vos in concíliis, & in ſynagógis vapulábitis, & ante præſides & reges ſtábitis propter me, in teſtimónium illis: & in omnes gentes primùm opórtet prædicári Evangélium.] Hoc Chriſti in præcépto Andréas, ut quod ſuum erat impléret, poſt ejus paſſiónem ac reſurrectiónem ſortítur Scythiam; in Epiro étiam, Achäia, & áliis provínciis innúmeros Chriſto piſcátus eſt.

Lectio vj.

PAtras civitátem Achäiæ célebrem fecit, & morte quam óbiit crucifixus, & túmulo. Hinc Conſtántius circa annum trecentéſimum quinquagéſimum ſextum, impérii

erò ſui vigéſimùm, ut æmu-
m Romæ Conſtantinópolim
poſtólicis corpóribus muní-
t, ſanctórum Andréæ & Lu-
e córpora tránſtulit, & cum
rpore ſancti Timóthei à ſe
m anno ſuperióre tranſláto,
Basílica ſanctórum Apoſto-
rum, quam Conſtantínus
dificáverat, ut in ea Impe-
tóres humaréntur, collocá-
t. Toto itínere & per omnes
as, quà córpora ſancta tran-
ére, divínam manum mira
gna operátam fuiſſe refert
nctus Paulínus. Anno autem
illéſimo ducentéſimo déci-
o, poſt Conſtantinópolim à
allis captam, corpus ſancti
ndréæ Petrus Capuánus A-
oſtólicæ ſedis legátus Amál-
im in pátriam ſuam in re-
o Neapolitáno, deférri cu-
vit, ubi pio fidélium con-
rſu honorátur.

IN III. NOCTURNO.

éctio ſancti Evangélii ſecún-
dùm Matthæum.

Lectio vij. *c.* 4. 18. *ad* 22.

N illo témpore; Ambulans
Jeſus juxta mare Galilææ,
dit duos fratres, Simónem
ui vocátur Petrus, & An-
éam fratrem ejus, mittén-
s rete in mare (erant enim
ſcatóres:) & ait illis: Ve-
te poſt me, & fáciam vos
ri piſcatóres hóminum. At
i contínuò, relíctis réti-
s, ſecúti ſunt eum. Et ré-
lua.

Homília ſancti Gregórii
papæ.

Homil. 5. *in Evang. hab. in Baſ. S. Andreæ, in natali ejus.*

AUdíſtis, fratres cariſſimi, quia ad uníus juſſiónis vocem Petrus & Andréas, relíctis rétibus, ſecúti ſunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant, nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant; & tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc quod poſſidére videbántur, oblíti ſunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum aſperitátibus deterrémur; & tamen vocántem ſequi contémnimus! In cœlo jam ſedet, qui de converſióne nos ádmonet; jam jugo fídei colla géntium ſúbdidit; jam mundi glóriam ſtravit; jam ruínis ejus crebreſcéntibus diſtrícti ſui judícii diem propinquántem denúntiat: & tamen ſupérba mens noſtra adhuc non vult hoc ſponte deſérere, quod quotídie perdit invíta.

Lectio viij. *Paulò pòſt.*

SEd fortáſſe áliquis tácitis ſibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iſte piſcátor quid aut quantum dimíſit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríſſimi, affectum debémus pótiùs penſáre quàm cenſum. Multùm reliquit, qui ſibi

nihil retínuit. Multùm relíquit, qui quantúmlibet parum, totum deſéruit. Certè nos & hábita cum amóre poſſidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex deſidério quærimus. Multùm ergo Petrus & Andréas dimíſit, quando utérque étiam deſidéria habéndi derelíquit.

Lectio ix. *Longè pòſt.*

Quia ergo, fratres caríſſimi, beáti Andréæ apóſtoli natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Oſténdat noſtræ obſéquium devotiónis, immutátæ ſolémnitas mentis: deſpiciámus quæ terréna ſunt; relíctis temporálibus mercémur ætérna. Si autem necdum póſſumus relínquere própria, ſaltem non concupiſcámus aliéna. Si necdum mens noſtra accénditur igne caritátis, in ambitióne ſua hábeat frænum timóris; ut proféctûs ſui páſſibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéſcitur, quandóque ad própria contemnénda perducátur, adjuvánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dicit ei: Invénimus Meſsíam (quod eſt interpretátum Chriſtus.) Et addúxit eum ad Jeſum. *Joan.* 1. 41. 42.

Oratio.

Omnípotens Deus, qui beáto Andréæ apóſtolo tuo Chriſto configi in cruce tribuíſti; præſta, quæſumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobiſmetípſis deſidéria crucifigéntes, tibi firmiter adhærére valeámus; Per eúndem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Vidit Jeſus Simónem & Andréam fratrem ejus, mitténtes rétia in mare; & dixit eis: Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. Et prótinus, relíctis rétibus, ſecúti ſunt eum. *Marc.* 1. 16.

Die II. Decembris.
S. PETRI CHRYSOLOGI, Ravennenſis Epiſcopi *Commemoratio.*

Pridie Post Vesperas, *Ant.* Reſpéxit, ℣. Quæſivit, xxj. *Oratio*, Quæſumus, xxv.

Poſt Laudes Matutinas, *Ant.* In bonitáte, ℣. Státuit, *Oratio*, Quæſumus, xxv.

COMMUNE SANCTORUM.

Pars Autumnalis.

COMMUNE APOSTOLORUM.

N PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* D.

EXiit Jeſus in montem oráre,& erat pernoctans in oratióne Dei.Et cùm ies factus eſſet, vocávit diſ-ipulos ſuos. *Luc.* 6. 12. 13.

Ant. 6. F. Elégit duódecim x ipſis, quos & Apóſtolos ominávit. *Luc.* 6. 13.

Ant. 3. a. Vocávit ad ſe quos óluit ipſe ; & venérunt ad um. Et fecit ut eſſent duóde-im cum illo, & ut mitteret os prædicáre. *Marc.* 3. 13. 14.

Ant. 8. G. Dedit illis virtú-em & poteſtátem ſuper ómnia æmónia, & ut languóres cu-írent. *Luc.* 9. 1.

Ant. 1. D. Ignobília mundi, contemptibília elégit Deus; ea quæ non ſunt, ut ea quæ int deſtrúeret; ut non glorié-ır omnis caro in conſpéctu jus. 1. *Cor.* 1. 28. 29.

Capitulum. Iſai. 66. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus : An-nuntiábunt glóriam meam éntibus, & addúcent omnes atres veſtros de cunctis gén-bus donum Dómino.

In Duplicibus-majoribus,

℟. Meſſis quidem multa, ope-rárii autem pauci ; * Rogáte dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. *Luc.* 10. 2. ℣. Oráte ut reſpí-ciat Dóminus pópulum ſuum Iſraël. *Judith* 8. 32. * Rogáte. Glória. * Rogáte.

Hymnus. *Santol. Vict.*

COELESTIS aulæ Prín-cipes,
Sacri duces exércitûs,
Biſſéna mundi lúmina,
Olim futúri júdices.

MERSIS gravi calígine,
Per vos dies renáſcitur;
Quos vanus error lúſerat,
Illúſtrat ipſa Véritas.

NON vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo ſed irríſæ Crucis,
Chriſto rebélles ſúbditis.

QUIBUS gemébat ſúbditus,
Rumpúntur orbis víncula:
Jam gaudet excúſſo jugo,
Liber Dei ſub légibus.

VULGATA terris ómnibus,
Per vos Dei myſtéria:
Sic veſtra terris ómnibus
Præclára facta pérſonant.

UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum
De nocte qui nos a
Lumen vocávit glór

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Pſ.* 144. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram; memóres erunt nóminis tui: proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum. *Pſ.* 44. 17. 18.

Oratio in Proprio Sanctorum.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 1. a. Per manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa. *Act.* 5. 12.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Magnificábat eos pópulus: magìs autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo. *Act.* 5. 13. 14.

Duæ Orationes, de Feſto & de Pſalterio.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Apoſtolórum Magíſtrum & Dóminum,* Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13.

Pſalmus, Venite, *pag.* 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

SUPREME quales árbiter
Tibi miníſtros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vaſis amas commíttere!

HÆC nempe plena lúmine
Tu vaſa frangi prǽcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube ſciſsâ, fúlgura.

TOTUM per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant;
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruſcant, pérpluunt.

CHRISTUM ſonant: verſæ ruunt
Arces ſupérbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus,
Sic verſa quondam mœnia.

FAC, Chriſte, cœléſtes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accénſa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.

UNI ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ. Amen.

Pſalmi de Feria.

[*In Annualibus & Solemn. Pſalmi de Dominica in toto Officio: & ſic in omni Communi.*]

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Convocátis duódecim diſcípulis ſuis, hos miſit Jeſus dicens: Eúntes prædicáte, quia appropinquávit regnum cœlórum. *Matt.* 10. 1. 5. 7.

Ant. 2. D. Infirmos curáte, mórtuos ſuſcitáte, lepróſos mundáte, dæmónes ejícite: gratìs accepíſtis, gratìs date. *Matt.* 10. 8.

Ant 3. E. Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. *Luc.* 9. 3.

℣. Sanctificámini, & eſtóte ſancti; ℟. Quia ego ſum Dóminus Deus veſter. *Lev.* 20. 7.

Pater noſter.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

[*In Annualibus Lectiones*
opria : & ſic in omni alio
mmuni.]
Poſt 1. *Lect.* ℟. In viam gén-
m ne abiéritis ; ſed pótiùs,
te ad oves, quæ periérunt
mûs Iſraël. *Matt.* 10. 5. 6.
Diſpérſæ ſunt oves meæ,
quòd non eſſet paſtor ; &
tæ ſunt in devoratiónem.
ech. 34. 5. * Ite ad oves.
Poſt 2. *Lect.* ℟. Non vos me
gíſtis ; ſed ego elégi vos ;
t póſui vos ut eátis, & fru-
m afferátis ; & fructus veſter
neat. *Joan.* 15. 16. ℣. Ego
ávi manum meam ut vos,
ntes Iſraël, germinétis, &
ctum afferátis pópulo meo.
ech. 36. 7. 8. * Et póſui vos.
Poſt. 3. *Lect.* ℟. Pater, ſicut
me miſiſti in mundum, &
o miſi eos in mundum :
t † Pro eis ego ſanctífico
ípſum, ut ſint & ipſi ſancti-
iti in veritáte. *Joan.* 17. 18.
℣. Sint ergo ſancti, quia
ſanctus ſum, Dóminus
ſanctífico eos. *Levit.* 21. 8.
t pro. Glória. † Pro eis.

In II. Nocturno.

nt. 4. E. In quamcúnque do-
m intravéritis, dícite : Pax
c dómui ; & ſi ibi fúerit
s pacis, requiéſcet ſuper
m pax veſtra ; ſin autem, ad
revertétur. *Luc.* 10. 5. 6.
Ant. 5. a. Qui vos audit,
audit ; & qui vos ſpernit,
ſpernit ; qui autem me
nit, ſpernit eum qui miſit
Luc. 10. 16.

Ant. 6. F. Quod dico vobis
in ténebris, dícite in lúmine :
& quod in aure audítis, præ-
dicáte ſuper tecta. *Matt.* 10. 27.
℣. Cuſtodíte præcépta mea,
& fácite ea : ℟. Ego Dóminus
qui ſanctífico vos. *Levit.* 20. 8.
Pater noſter.

Benedictiones ut poſt Pſalte-
rium.

Tres Lectiones ut in Proprio
Sanctorum.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Mementóte
ſermónis mei, quem ego dixi
vobis : * Non eſt ſervus major
Dómino ſuo ; ſi me perſecúti
ſunt, & vos perſequéntur.
Joan. 15. 20. ℣. Locúti ſunt
advérsùm me linguâ dolóſâ,
& ſermónibus ódii circunde-
dérunt me. *Pſ.* 108. 3. * Non
eſt ſervus.
Poſt 5. *Lect.* ℟. Nolíte timére
oppróbrium hóminum, &
blaſphémias eórum ne metuá-
tis : * Salus autem mea in ſem-
pitérnum erit ; Ego, ego ipſe
conſolábor vos. *Iſai.* 51. 7. 8.
12. ℣. Tradémini à paréntibus,
& amícis, & morte afficient
ex vobis ; & éritis ódio ómni-
bus propter nomen meum.
Luc. 21. 16. 17. * Salus autem.
Poſt 6. *Lect.* ℟. Cùm tradent
vos, nolíte cogitáre quómodo,
aut quid loquámini : * Non
enim vos eſtis qui loquímini,
ſed Spíritus Patris veſtri, qui
lóquitur in vobis. *Matt.* 10. 19.
20. ℣. Spíritus meus in médio
veſtrûm, nolíte timére. *Agg.* 2.
6. * Non. Glória. * Non.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. g. Ite, ecce ego mitto vos, ſicut oves in médio lupórum: Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & símplices ſicut colúmbæ. *Matt.* 10. 16.

Ant. 7. a. Quicúnque volúerit inter vos major fieri, ſit veſter miníſter; ſicut Fílius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre. *Matt.* 20. 26. 28.

Ant. 3. *a.* Cùm fecéritis ómnia quæ præcépta ſunt vobis, dícite: Servi inútiles ſumus; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17. 10.

℣. Non nobis Dómine, non nobis, ſed nómini tuo da glóriam. ℟. Super miſericórdia tua, & veritáte tua. *Pſ.* 113. 9. 10.

Pater noſter.

Benedictiones ut poſt Pſalterium.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. Lect. ℟. Jam non dicam vos ſervos; vos autem dixi amícos; * Quia ómnia quæcúnque audívi à Patre meo nota feci vobis. *Joan.* 15. 15. ℣. Antíqua ne intueámini: ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur, útique cognoſcétis ea. *Iſai.* 43. 18. 19. * Quia.

Poſt 8. Lect. ℟. Vos eſtis qui permanſíſtis mecum in tentatiónibus meis; * Et ego diſpóno vobis, ſicut diſpóſuit mihi Pater meus regnum. *Luc.* 22. 28. 29. ℣. Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis. *Pſ.* 88. 4. * Et ego.

Poſt 9. Lect. ℟. Ecce dedi vobis poteſtátem ſuper omnem virtútem inimíci: * Verúntamen in hoc nolíte gaudére; † Gaudéte quòd nómina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *Luc.* 10. 19. 20. ℣. Dabo vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis terræ. *Sophon.* 3. 20. * Verúntamen. Glória. † Gaudéte.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95. 3.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 8. *toni.* G.

JEſus locútus eſt úndecim diſcípulis, dicens: Data eſt mihi omnis potéſtas in cœlo & in terra; eúntes ergo docéte omnes gentes. *Matt.* 28. 18. 19.

Ant. 6. C. Prædicáte Evangélium omni creatúræ, baptizántes eos, docéntes ſerváre ómnia quæcúnque mandávi vobis. *Marc.* 16. 15. *Matt.* 28. 19. 20.

Ant. 8. *G.* Quorum remiſéritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, reténta ſunt. *Joan.* 20. 23.

Ant. 5. a. Accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs-ſancti in vos, & éritis mihi teſtes uſque ad últimum terræ. *Act.* 1. 8.

Ant. 1. â. Ecce ego vobíſcum ſum ómnibus diébus, uſque ad conſummatiónem ſǽculi. *Matt.* 28. 20.

*apitulum. Epheſ.*4.11.12.
Hriſtus dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſm autem prophétas, álios rò evangeliſtas, álios autem ſtóres, & doctóres, ad connmatiónem ſanctórum, in us miniſtérii, in ædificatióm córporis Chriſti.

Hymnus. Santol. Vict.

UEM miſit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
móris hic fidos ſui
os éligit vicários.

OCCISUS Agnus à lupis,
os miſit agnos ad lupos;
ores feríños éxuunt,
gni repéntè de lupis.

QUÆ victimárum cædibus
ellus madébat ímpiis,
eſtris eam ſudóribus,
eſtro piáſtis ſánguine.

HOC rore facta pínguior,
uot illa fructus prótulit!
uæ, quanta ſurréxit ſeges!
t iſta nos ſeges ſumus.

QUAM ſi bonus reſpéxeris,
ui das rigátis créſcere;
uménta nos cœléſtibus
atúra condes hórreis.

UNI ſit & trino Deo
ipréma laus, ſummum decus,
e nocte qui nos ad ſuæ
ımen vocávit glóriæ. Amen.

℣. Judicábunt juſti natióes, ℟. Et dominabúntur pónlis. *Sap.* 3. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* os qui ſecúti eſtis me, in generatióne cùm ſéderit Fíus hóminis in ſede majeſtá ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſraël. *Matt.* 19. 28.

Oratio in Proprio Sanctorum.

AD HORAS, *Pſalmi de Feria.*

AD PRIMAM, *Ant.* Jeſus locútus eſt.

Capitulum, Regi ſeculórum.

CANON, ut habetur poſt Lectiones Scripturæ occurrentis: & ſic in omni alio Communi. Cetera ut in Pſalterio.

AD TERTIAM, *Ant.* Prædicáte.

Capitulum. Rom. 1. 5.

PEr Jeſum Chriſtum accépimus grátiam & Apoſtolátum, ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus.

℟. *breve*, Nos prædicámus *Chriſtum crucifixum: ℟. Nos prædicámus. ℣. Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam. * Chriſtum. Glória. ℟. Nos prædicámus. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

[*In Duplicibus-majoribus & ſuprà, ac per Octavas quaſcunque,* ℟℟. *brevibus adduntur duo* Allelúia : *& ſic in omni alio Communi.*]

℣. Quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ℟. Ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum. 1. *Joan.* 1. 3.

Oratio ut in Proprio ad Laud.

AD SEXTAM, *Ant.* Quorum remiſéritis.

Capitulum. 2. Cor. 5. 19. 20.

POſuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis: pro Chriſto ergo legatióne fúngi-

mur; tanquam Deo exhortánte per nos. Obſecrámus pro Chriſto, reconciliámini Deo.

℟. *breve*, Deus nos reconciliávit ſibi * Per Chriſtum: ℟. Deus nos. ℣. Et dedit nobis miniſtérium reconciliatiónis. * Per Chriſtum. Glória. ℟. Deus nos. 2. *Cor*. 5. 18.

℣. Subjécit Dóminus pópulos nobis, ℟. Et gentes ſub pédibus noſtris. *Pſ*. 46. 4.

AD NONAM, *Ant*. Ecce ego.

Capitulum. Epheſ. 2. 20. 21.

FRatres... eſtis... ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum, & Prophetárum, ipſo ſummo anguláari lápide Chriſto Jeſu; in quo omnis ædificátio conſtrúcta creſcit in templum ſanctum in Dómino.

℟. *breve*, Vocávit vos Deus * Per Evangélium noſtrum. ℟. Vocávit. ℣. State, & tenéte traditiónes quas didiciſtis.* Per Evangélium. Glória. ℟. Vocávit. 2. *Theſſ*. 2. 13. 14.

℣. Sicut accepiſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipſo ambuláte, ℟. Radicáti, & ſuperædificáti in ipſo, & confirmáti in fide. *Coloſſ*. 2. 6. 7.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphonæ 8. *toni*. c.

INjecérunt in Apóſtolos manus, & poſuérunt eos in cuſtódiam. *Act*. 4. 3.

Ant. 2. D. Cæſis denuntiavérunt ne omnino loqueréntur in nómine Jeſu. *Act*. 5. 40.

Ant. 7. d. Ibant gaudéntes à conſpéctu concílii, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act*. 5. 41.

Ant. 8. c. Loquebántur verbum Dei cum fidúcia: & virtúte magnâ reddébant teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act*. 4. 31. 33.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act*. 15. 26.

Capitulum. Heb. 2. 3. 4.

CUm inítium accepiſſet ſalus enarrári per Dóminum ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis & váriis virtútibus, & Spíritûs-ſancti diſtributiónibus ſecúndùm ſuam voluntátem.

In Duplicibus-majoribus.

℟. Non ſunt loquelæ, neque ſermónes, quorum non audiántur voces eórum. * In omnem terram exívit ſonus eórum, & † In fines orbis terræ verba eórum. *Pſ*. 18. 4 5.

℣. Prædicavérunt ubique, Dómino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequéntibus ſignis. *Marc*. 16. 20. * In omnem. Glória. † In fines.

Hymnus, Cœléſtis, *ut in primis Veſperis*.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui Deus, ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ*. 138. 17.

Ad Magnificat, *Ant*. 1. D. In fundaméntis duódecim,

ivitátis ſanctæ Jerúſalem) mina duódecim Apoſtolóm Agni, & cláritas Dei illunávit eam, & lucérna ejus Agnus: & ambulábunt gen; in lúmine ejus. *Apoc.* 21. . 23. 24.

COMMUNE
UNIUS MARTYRIS.
IN PRIMIS VESPERIS.
Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni. f.*

SI quis venit ad me, & non odit ánimam ſuam, non poteſt meus eſſe diſpulus. *Luc.* 14. 26.

Ant. 2. D. Qui volúerit ániam ſuam ſalvam fácere, perет eam; qui autem perdíderit ıimam ſuam propter me, & vangélium, ſalvam fáciet ım. *Marc.* 8. 35.

Ant. 3. a. Qui vícerit, veſtiéır veſtiméntis albis, & non ɛlébo nomen ejus de libro itæ. *Apoc.* 3. 5.

Ant. 4. E. Uſque in tempus ıſtinébit pátiens, & póſtea :ddítio jucunditátis. *Eccli.* 1.).

Ant. 8. G. Hæc eſt grátia, propter Dei conſciéntiam ſtinet quis triſtítias, pátiens júſtè. 1. *Petr.* 2. 19.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 15. 16.

NEmo veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut alédicus, aut alienórum apetítor: ſi autem ut Chriſtiáıs, non erubéſcat; gloríficet item Deum in iſto nómine.

In Duplicibus-majoribus.

℟. Beátus vir qui ſuffert tentatiónem, quóniam * Cùm probátus fúerit, † Accípiet corónam vitæ quam repromíſit Deus diligéntibus ſe. *Jac.* 1. 12. ℣. Si in probatióne fúerit, coronábitur; ſi in tribulatióne fúerit, liberábitur. *Tob.* 3. 21.* Cùm probátus. Glória. † Accípiet.

Hymnus. *Santol. Vict.*

EX quo ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor,
Homo redémptus æmulum
Deo litávit ſánguinem.

NON jam crucis Chriſti pudet;
Quin ſurgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum;
Pro mórtuo mori Deo.

HOC iſte plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

PARATA ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et mórte mortem víncere.

UNUS tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

DA, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da ſuſtinére pro tuo,
Quodcúnque durum, nómine.

ÆTERNE tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Vincénti dabo édere de ligno vitæ, ℟. Quod eſt in paradíſo Dei mei. *Apoc.* 2. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Qui víceri,dabo ei ſedére mecum in throno meo; ſicut & ego vici,& ſedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21.

Oratio infrà ad Laudes Matutinas, niſi ſit propria.

Si eodem die occurrat commemoratio alterius Martyris, fiet per Antiphonam ad Benedíctus, *&* ℣. *ex Laudibus: quod ſervatur in omni alio Communi.*

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 7. d. Qui víceri, non lædétur à morte ſecúnda. *Apoc.* 2. 11.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Qui vícerit, ero illi Deus, & ille erit mihi filius. *Apoc.* 21. 7.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Deum patiéntiæ & ſolátii,* Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

FELIX morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam,
Et ſignáre cruóre,
Quam Chriſto déderas fidem.

PŒNIS victa quibus deficeret fides?
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non ſúfficit una,
Ambis innúmeras neces.

TE pro lege ſua magnánimum mori,
Te Chriſtus púgilem ſpectat ab æthere;
Ne ſuccúmbere poſſis,
Tecum prælia ſúſtinet.

ET nos delícias, vana per ótia,
Gens infída Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris éxcitat.

SEMPER máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Fili, ſta in juſtítia & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. *Eccli.* 2. 1.

Ant. 2. D. Conjúngere Deo, & ſúſtine; quóniam in igne probátur aurum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. *Eccli.* 2. 3 5.

Ant. 3. E. Qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus, non timébit cùm vénerit æſtus. *Jer.* 17. 7. 8.

℣. In tentatióne Deus illum conſervábit, ℟. Et liberábit à malis. *Eccli.* 33. 1.

Lectiones de Script. occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Fili, omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe; & * In dolóre ſúſtine, & in humilitáte tua patién-

am habe. *Eccli.* 2. 4. ℣. Qui ſtinúerit in finem, hic ſalvus rit. *Marc.* 13. 13.* In dolóre.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Non dedit obis Deus ſpíritum timóris, ed virtútis; * Noli ítaque eruéſcere teſtimónium Dómini. . *Tim.* 1. 7. 8. ℣. Noli tiiére, quóniam tecum eſt Dóminus Deus tuus. *Joſue* 1. 9. Noli ítaque.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Labóra ſicut onus miles Chriſti Jeſu, Nam & qui certat in agóne, Non coronátur niſi legítimè ertáverit. 2. *Tim.* 2. 3. 5. ℣. Eſto ir fortis, & præliáre bella Dómini. 1. *Reg.* 18. 17. * Nam. Glória. † Non coronátur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es. 1. *Tim.* 6. 12.

Ant. 8. G. Confortáre, & eſto robúſtus: Dóminus ipſe erit tecum; non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31. 7. 8.

Ant. 4. E. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit; quóniam ipſe eſt ſpes ejus. *Eccli.* 34. 16.

℣. Confirmátum eſt cor ejus, non commovébitur ℟. Donec deſpíciat inimícos ſuos. *Pſ.* 111. 8.

Lectiones in Proprio Sanctorum.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Ne páveas irruéntes tibi poténtias impiórum; * Dóminus enim erit in látere tuo, & cuſtódiet pedem tuum ne capiáris. *Prov.* 3. 25. 26. ℣. Scio tribulatiónem tuam, nihil horum tímeas quæ paſſúrus es. *Apoc.* 2. 9. 10. * Dóminus.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Pro juſtítia agonizáre, & * Uſque ad mortem certa pro juſtítia; & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. *Eccli.* 4. 33. ℣. Eſto fidélis uſque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. *Apoc.* 2. 10. * Uſque ad.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Scient quia ego diléxi te: * Quóniam ſervaſti verbum patiéntiæ meæ, & † Ego ſervábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3. 9. 10. ℣. Ego ſum Dóminus Deus tuus, in umbra manûs meæ protéxi te. *Iſai.* 51. 15. 16. * Quóniam. Glória. † Ego.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Víncula, & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. *Act.* 20. 23. 24.

Ant. 8. G. Non fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me; dúmmodo conſúmmem curſum meum. *Act.* 20. 24.

Ant. 4. E. Omnia detriméntum feci, ut Chriſtum lucrifáciam, ad cognoſcéndum illum, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. *Philipp.* 3. 8. 10.

℣. Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ, ℟. In omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13. 5.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. Lect. ℟. Ego non ſolùm alligári, ſed * Et mori parátus ſum propter nomen Dómini Jeſu. *Act.* 21. 13. ℣. Ego ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus. 2. *Mach.* 7. 37. * Et mori.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Secúndùm expectatiónem & ſpem meam in nullo confúndar, ſed * Magnificábitur Chriſtus in córpore meo ſive per vitam, ſive per mortem. *Philipp.* 1. 20. ℣. Deus Dóminus fortitúdo mea, & ſuper excélſa mea dedúcet me victor. *Habac.* 3. 19. * Magnificábitur.

Poſt 9. Lect. ℟. Pláceo mihi in contuméliis, in perſecutiónibus, in angúſtiis pro Chriſto; * Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. 2. *Cor.* 12. 10. ℣. A Deo ſalutáre meum, nam & ipſe Deus meus, & ſuſcéptor meus; non movébor. *Pſ.* 61. 2. 3. * Cùm. Glória. * Cùm.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Ego cantábo fortitúdinem tuam, ℟. Et exultábo manè miſericórdiam tuam. *Pſ.* 58. 17.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 4. *toni.* E.

Cum à morte poſſem libérári, duros córporis ſuſtíneo dolóres; ſecúndùm ánimam verò libénter hæc pátior. 2. *Mach.* 6. 30.

Ant. 7. *d.* Nunc gaúdeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti, in carne mea. *Coloſſ.* 1. 24.

Ant. 8. G. Replétus ſum conſolatióne, ſuperabúndo gaúdio in omni tribulatióne. 2. *Cor.* 7. 4.

Ant. 1. D. Exémplum forte relínquam, ſi prompto ánimo, ac fórtiter pro ſanctíſſimis légibus honéſtâ morte perſúngar. 2. *Mach.* 6. 28.

Ant. 7. a. Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi: repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ. 2. *Tim.* 4. 7. 8.

Capitulum. *Job.* 23. 10. 11.

Probávit me Deus quaſi aurum, quod per ignem tranſit; veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus, viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Jam non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgéntes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes,
Tu liber ſúperùm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec ſitis ámpliùs,
Nec probróſa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Paſcit Chriſtus & índuit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet:
Confundísque tyránnum,
Dum quos déprimit, elevas.
Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

℣. Glorificátus ſum in óculis Dómini, ℟. Et Deus meus factus eſt fortitúdo mea *Iſai.* 49. 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* Dóminus mihi áſtitit, & confortávit me; & liberátus ſum de ore leónis. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo; & ſalvum fáciet in regnum ſuum cæleſte. 2. *Tim* 4. 17. 18.

Oratio.

Præſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, qui beátum N. Mártyrem tuum virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti; ex ejus imitatióne tribue pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus advérſa formidáre; Per Dóminum.

Si ſit Pontifex, Oratio.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui in ómnium ſanctórum tuórum es virtúte mirábilis, da nobis beáti N. feſtivitátem cóngruis honóribus & ſédula imitatióne celebráre, qui Filii tui Martyr & Póntifex, quod miniſtério geſſit, teſtimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo; Per eúmdem Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, cujus grátia beátum N. in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicándum erúdiit, poténtia ad perſeverándum confirmávit; da nobis ex ejus imitatióne pópulum Chriſtiánum & inſtrúere vivéndi exémplo, & cùm opus fúerit, confirmáre patiéndo; Per Dóminum.

Si facienda ſit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Antiphonam ad Magníficat *&* ℣. *ex primis Veſperis: quod ſervatur in omni alio Communi.*

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Cùm à morte.

Ad Tertiam, *Ant.* Nunc gaúdeo.

Capitulum. *Rom.* 8. 18.

Fratres, exiſtimo quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

℟. *breve*, In Deo ſalutáre meum, * Et glória mea; ℟. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt. * Et glória mea. Glória. ℟. In Deo. *Pſ.* 61. 8.

℣. Deus meus adjútor meus,

& ſperábo in eum. ℟. Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, & ſuſcéptor meus. *Pſ.* 17. 3.

Ad Sextam, *Ant.* Replétus ſum.

Capitulum. 2. *Tim.* 1. 12.

PAtior, ſed non confúndor; ſcio enim cui crédidi, & certus ſum quia potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem.

℟. *breve*, Si consíſtant advérsùm me caſtra, * Non timébit cor meum. ℟. Si consíſtant. ℣. Si exúrgat advérsùm me prælium, in hoc ego ſperábo. * Non timébit. Glória. ℟. Si consíſtant. *Pſ.* 26. 3. 4.

℣. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea; quem timébo? ℟. Dóminus protéctor vitæ meæ; à quo trepidábo? *Pſ.* 26. 1. 2.

Ad Nonam, *Ant.* Bonum certámen.

Capitulum. *Tob.* 3. 22. 23.

POſt tempeſtátem, tranquíllum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum, exultatiónem infúndis. Sit nomen tuum, Deus Iſraël, benedíctum in ſécula.

℟. *breve*, Factus es, Dómine, * Suſcéptor meus, ℟. Factus es. ℣. Et refúgium meum, in die tribulatiónis. * Suſcéptor meus. Glória. ℟. Factus es. *Pſ.* 58. 17.

℣. Tu Dómine adjuviſti me, ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 6. toni. F.

PRopter opus Chriſti uſque ad mortem accéſſit, tradens ánimam ſuam. *Philipp.* 2. 30.

Ant. 1. f. Patiénter ſuſtinens, deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6. 20.

Ant. 5. a. Magìs éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, invisíbilem tanquam videns ſuſtínuit. *Heb.* 11. 25. 27.

Ant. 4. E. Glorioſíſſimam mortem magìs quàm odibilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6. 19.

Ant. 1. â. Hoc modo vitâ decéſſit, univérſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. 2. *Mach.* 6. 31.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 17.

FRatres id, quod in præſénti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

In Duplicibus-majoribus, ℟. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, & * Certámen forte dedit illi ut vinceret, & ſciret † Quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 11. 12. ℣. Erat Deus cum eo; & eripuit eum ex

omnibus tribulatiónibus ejus. *Ec*. 7. 9. 10. * Certámen. Glória. † Quóniam.

Hymnus, Jam non te látent, *ut in Laudibus*.

℣. Cuſtodívit illum ab inimícis, ℟. Et à ſeductóribus tutávit illum. *Sap*. 10. 12.

Ad Magníficat, *Ant*. 4. d. Juſtum à peccatóribus liberávit; & non derelíquit illum, donec afférret illi poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant, & dedit illi claritátem ætérnam. *Sap*. 10. 13. 14.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni*. *D*.

VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. *Joan*. 16. 2.

Ant. 1. f. Injícient vobis manus ſuas, & perſequéntur trahéntes ad reges & præſides, propter nomen meum. *Luc*. 21. 12.

Ant. 3. *a*. Confortámini, & non diſſolvántur manus veſtræ; erit enim merces óperi veſtro. 2. *Par*. 15. 7.

Ant. 4. E. Patiéntia vobis neceſſária eſt, ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promiſſiónem. *Hebr*. 10 36.

Ant. 1. D. In patiéntia veſtra poſſidébitis ánimas veſtras. *Luc*. 21. 19.

Capitulum. 1. *Petr*. 4. 14.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis; quóniam quod eſt honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requiéſcit.

In Duplicibus - majoribus, ℟. In nullo terreámini ab adverſáriis; * Quia † Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. *Philipp*. 1. 29. 29. ℣. Qui ſequímini quod juſtum eſt, & quæritis Dóminum; atténdite ad petram unde excíſi eſtis. *Iſai*. 51. 1. * Quia. Glória. † Vobis.

Hymnus. *Santol. Vict.*

FORTES cadéndo Mártyres,
Quos empta fuſo ſánguine
Cœléſtis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet
Paſſo Deo quod défuit;
Per tot neces læſo Patri
Fit plena Chriſtus hóſtia.

QUEM lictor inſánus ſitit,
Quem cæcus effúndit furor,
Amor ſacérdos pródigum
Chriſto cruórem cónſecrat,

ET ille, mixtus ſánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non ceſſat Deum.

SIC, Chriſte, robur Mártyrum,
Certáre das, & víncere;
Tuóſque múnerans,
Æquus corónas múr

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Viriliter ágite, & confortétur cor veſtrum, ℟. Omnes qui ſperátis in Dómino. *Pſ.* 30. 25.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Communicántes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. 1. *Petr.* 4. 13.

Oratio infrà ad Laudes Matutinas, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 3. E. Omnes, qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur. 2. *Tim.* 3. 12.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 8. c. Fidélis ſermo: ſi commórtui ſumus, & convivémus: ſi ſuſtinébimus, & conregnábimus. 2. *Tim.* 2. 11.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Legítimè certántes coronántem Dóminum, *Veníte, adorémus. 2. *Tim.* 2. 5.

Pſalmus, Veníte. 2.

Hymnus.

QUAM vincla ſunt hæc fórtia,
Quæ Mártyres Deo ligant!
Non vita, mille non neces
A caritáte ſéparant.

Vix corpus unum ſúfficit,
Non eſt ſatis ſemel mori;
Quot ſciſſa membra, tot litant
Deo placéntes víctimas.

Sævit tyránnus, állicit!
Temnunt minas, temnunt preces;
Deum minántem dum timent,
Dum munerántem díligunt.

Acti procéllis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehúntur, & Chriſto duce
Portus beátos óccupant.

Fac, Chriſte, ſemper mens tibi,
Inter cruces adhæreat;
Fac dura, quæ corpus premunt,
Ad te magis nos érigant.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Ecce natiónes convenérunt advérſùm nos ut nos diſpérdant: quómodo potérimus ſubsíſtere? niſi tu Deus ádjuves nos. 1. *Mach.* 3. 52. 53.

Ant. 2. D. Erue nos in mirabílibus tuis Dómine: & confundántur omnes qui oſténdunt ſervis tuis mala. *Dan.* 3. 43. 44.

Ant. 3. E. In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis. *Pſ.* 43. 6.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Nos ſtulti

:opter Chriſtum : maledíci-
ur, & benedícimus ; * Per-
cutiónem pátimur , & ſuſti-
:mus ; blaſphemámur , &
›ſecrámus. 1. *Cor*. 4. 10. 12.
:. ℣. Propter te mortificá-
ur totâ die , æſtimáti ſumus
:ut oves occiſiónis. *Pſ.* 43.
:. * Perſecutiónem.

Poſt 2. *Lect*. ℟. Quis nos ſé-
:rábit à caritáte Chriſti ? tri-
ılátio , an angúſtia , an fa-
es , an perſecútio ? * Neque
ors , neque vita póterit nos
paráre à caritáte Dei. *Rom.*
35. 38. 39. ℣. Hæc ómnia
:nérunt ſuper nos , nec oblíti
mus te. *Pſ.* 43. 18. * Neque
ors.

Poſt 3. *Lect*. ℟. Deus omnis
átiæ , qui vocávit nos in
érnam ſuam glóriam in
hriſto Jeſu , * Módicùm
ſſos ipſe perfíciet. † Ipſi
ória , & impérium in ſécula
culórum. 1. *Petr*. 5. 10. 11.
. Abſit à nobis hoc ſcelus ut
cedámus à Dómino , & ejus
ſtígia relinquámus. *Joſue*
.. 29. * Módicùm. Glória.
Ipſi.

N II. Nocturno.

Ant. 1. *D*. In mortem trá-
:nur propter Jeſum , ut &
:a Jeſu manifeſtétur in carne
ſtra mortáli. 2. *Cor*. 4. 11.

Ant. 5. a. Paráti ſumus mori,
ıgìs quàm pátrias Dei leges
ævaricári. 2. *Mach*. 7. 2.

Ant. 6. F. Propítius ſit no-
; Deus : non eſt nobis útile
línquere legem , & juſtítias
Dei , ut eámus álterâ viâ.
1. *Mach*. 2. 21. 22.

℣. In Deo faciémus virtútem,
℟. Et ipſe ad níhilum dedúcet
tribulántes nos. *Pſ*. 59. 14.

Lectiones in Proprio Sanctorum.

Poſt 4. *Lect*. ℟. Abſit à nobis
ut relinquámus Dóminum , &
ſerviámus diis aliénis. * Dó-
mino Deo noſtro ſerviémus, &
obediéntes érimus præcéptis
ejus. *Joſue* 24. 16 24. ℣. Etſi
ſunt qui dicántur dii , nobis
tamen unus Deus. 1. *Cor*. 8. 5.
* Dómino Deo noſtro.

Poſt 5. *Lect*. ℟. Dóminus
Deus aſpíciet veritátem , &
conſolábitur in nobis : * Pó-
tius eſt ab homínibus morti
datos ſpem expectáre à Deo ,
íterum ab ipſo ſuſcitándos.
2. *Mach*. 7. 6. 14. ℣. Sicut
abúndant paſſiónes Chriſti in
nobis , ita & per Chriſtum
abúndat conſolátio noſtra. 2.
Cor. 1. 5. * Pótius eſt.

Poſt 6. *Lect*. ℟. Probáſti nos
Deus ; igne nos examináſti ,
ſicut examinátur argéntum.
* Tranſívimus per ignem &
aquam , & † Eduxíſti nos in re-
frigérium. *Pſ*. 65. 10. 12. ℣. Per
multas tribulatiónes opórtet
nos intráre in regnum Dei.
Act. 14. 21. * Tranſívimus.
Glória. † Eduxíſti.

In III. Nocturno.

Ant. 7. *d*. Gládium evagi-
navérunt peccatóres , intendé-
runt arcum , ut trucídent re-
ctos corde. *Pſ*. 36. 14.

Ant. 8. G. Diſténti ſunt non ſuſcipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent reſurrectiónem. *Hebr.* 11. 35.

Ant. 1. a. Confírmat juſtos Dóminus : non confundéntur in témpore malo. *Pſ.* 36. 17. 19.

℣. Salus juſtórum à Dómino, ℟. Et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. *Pſ.* 36. 39.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Antíquus diérum judícium dedit ſanctis Excélſi; * Et regnum obtinuérunt ſancti. *Dan.* 7. 22. ℣. Per fidem operáti ſunt juſtítiam, adépti ſunt repromiſſiónes. *Heb.* 11. 33. * Et regnum.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Ludíbria & vérbera expérti, ínſuper & víncula, & cárceres; * Lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. *Hebr.* 11. 36. 37. ℣. Tradidérunt córpora ſua ne ſervírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. *Dan.* 3. 95. * Lapidáti ſunt.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Vicérunt propter ſánguinem Agni, & propter verbum teſtimónii ſui; * Et non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: proptérea † Lætámini cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12. ℣. Per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. *Judith* 8. 23. * Et non dilexérunt. Glória. † Lætámini.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Laudábit te, Dómine, pópulus fortis: ℟. Cívitas géntium robuſtárum timébit te. *Iſai.* 25. 3.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* â.

Datum eſt béſtiæ bellum fácere cum ſanctis, & víncere eos. *Apoc.* 13. 7.

Ant. 8. *G.* Elegérunt magis mori; & noluérunt infríngere legem Dei ſanctam, & trucidáti ſunt. 1. *Mach.* 1. 65. 66.

Ant. 1. f. Etſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4.

Ant. 7. c. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur; quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5.

Ant. 7. *d.* Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos. *Sap.* 3. 6.

Capitulum. *Jac.* 1. 2. 3. 4.

Omne gaúdium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; ſciéntes quòd probátio fídei veſtræ patiéntiam operátur: patiéntia autem opus perféctum habet.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Quam, Chriſte, ſignáſti viam
Primus, profúſo ſánguine;
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

Fossu

Foſſus manus, foſſus pedes,
)vans ad aſtra tránſvolas;
t membra trunci Mártyres,
.ddunt triúmpho ſe tuo.

Omnes in oſtro ſpléndidi
uum tribúnal ámbiunt:
.ccépta monſtrant vúlnera,
t per tot ora ſúpplicant.

Audire ſi nos réſpuis,
uos críminum moles gravat;
udi tuos qui ſánguinem
ıdére pro te, Mártyres.

Fac, ſi tyránnus déficit,
e blandiéndo mólliùs
angat volúptas péctora,
ſis tyránnis ſævior.

Æterne tu Verbi Pater;
térne Fili, par Patri;
par utríque, Spíritus,
bi Deus, ſit glória. Amen.

℣. Multæ tribulatiónes ju-
rum, ℟. Et de ómnibus his
erábit eos Dóminus. *Pſ.*
. 20.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* áti qui perſecutiónem pantur propter juſtítiam; quóın ipſórum eſt regnum cœum. *Matt.* 5. 10.

Oratio.

Deus, qui in córdibus mártyrum tuórum N. & N. nmas tantæ dilectiónis acıdíſti, ut mundi nec blandínec terróribus vincerén-; da nobis eúndem tuæ caıtis affectum, ut te unum Tidére cupiéntes, te unum íttere metuéntes, ómnia .ndi próſpera & advérſa uáliter deſpiciámus; Per ıminum.

Alia Oratio.

Martyrum tuórum N. & N. (& ſociórum) ſolémnia recenſéntes, ſúpplices te Dómine deprecámur, ut in tua caritáte radicáti & fundáti, paſſiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ, quæ revelánda eſt in nobis, invícto ac libénti ánimo ſuſtinére valeámus; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Datum eſt.

Ad Tertiam, *Ant.* Elegérunt.

Capitulum. *Sap.* 3. 2.

Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori; & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum: & quod à nobis eſt iter, extermínium; illi autem ſunt in pace.

℟. *breve*, Juſtórum ánimæ * In manu Dei ſunt; ℟. Juſtórum. ℣. Et non tanget illos torméntum mortis.* In manu. Glória. ℟. Juſtórum. *Sap.* 3. 1.

℣. Cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Pſ.* 96. 10.

Ad Sextam, *Ant.* Etſi coram.

Capitulum. *Apoc.* 21. 4.

Abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

℟. *breve*, Oblivióni tráditæ ſunt * Angúſtiæ prióres

℟. Oblivióni. ℣. Abſcónditæ ſunt ab óculis. * Angúſtiæ. Glória. ℟. Oblivióni. *Iſai.* 65. 16.

℣. Salvávit eos Dóminus de manu odiéntium, ℟. Et redémit eos de manu inimíci. *Pſ.* 105. 10.

Ad Nonam, *Ant.* Tanquam aurum.

Capitulum. *Iſai.* 9. 3.

LÆtabúntur coram te Dómine, ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ, quando dívidunt ſpólia.

℟. *breve*, In te ſperavérunt, * Et liberáſti eos. ℟. In te. ℣. Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt. * Et liberáſti. Glória. ℟. In te. *Pſ.* 21. 5. 6.

℣. In témpore tribulatiónis ſuæ clamavérunt ad te, ℟. Et tu de cœlo audíſti. 2. *Eſdr.* 9. 27.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* D.

VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter teſtimónium quod habébant. *Apoc.* 6. 9.

Ant. 1. a. Vidi ſtantes ante thronum in conſpéctu Agni, & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7. 9.

Ant. 5. a. Qui ſedet in throno, habitábit ſuper illos: non eſúrient, neque ſítient ámpliùs, nec cadet ſuper illos ſolus æſtus. *Apoc.* 7. 15. 16.

Ant. 1. D. Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. 7. c. Ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. *Sap.* 5. 5.

Capitulum. *Sap.* 10. 17. 18.

REddidit juſtis ſapiéntia mercédem labórum ſuórum, & dedúxit illos in via mirábili: & fuit illis in velaménto diéi, & in luce ſtellárum per noctem: tránſtulit illos per mare rubrum, & tranſvéxit illos per aquam nímiam.

In Duplicibus-majoribus,

℟. Hi ſunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in ſánguine Agni: ideo ſunt ante thronum Dei, * Et † Sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7. 14. 15. ℣. In perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum. *Sap.* 5. 16. * Et ſérviunt. Glória. † Sérviunt.

Hymnus, Quam, Chriſte, *ut in Laudibus.*

℣. Lætítia ſempitérna ſup[er] cápita eórum, ℟. Gáudiu[m] & lætítiam tenébunt. *Iſai.* 5[1.] 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G[.] Datæ ſunt illis ſíngulæ ſto[læ] albæ; & dictum eſt illis [ut] requiéſcerent, donec co[m]pleántur conſérvi eórum, [&] fratres eórum, qui inte[rfi]ciéndi ſunt ſicut & illi. *Ap[oc.]* 6. 11.

COMMUNE
ONFESSORIS CHRISTI,

[*Qui ſcilicet coram tyrannis aſſus, in pace tamen obiit.*]

Omnia de Communi ſecunùm dignitatem Sancti, exceps quæ notantur infrà.

N PRIMIS VESPERIS.

Hymnus.

ECQUIS magnánimus ſe pugil éxhibet?
Fit verbum gládius, ſit clypeus fides,
thletámque Dei præparat árdua
Ad certámina Véritas.
EGES ante feros impávidus volat,
ſtatúrque fidem, nil métuit mori;
s viréſque, ſui pollíciti memor,
Præſens ſuppéditat Deus.
LUSTRA barbáries explícuit cruces:
l torménta movent; ore ſerénior,
fidens ánimi, promptus ad ómnia,
Pœnas inter ovat ſuas.
RPESSIS tua jam ſat cruciátibus
mmendáta fides, ſúſcipit hóſtiam,
u mactáta foret, Chriſtus; & ímpias
Tortórum cóhibet manus.
TENTAS lácero córpore vúlnera,
quam pulcra tuæ ſtémmata glóriæ;
Aptatúrque ſacro, digna labóribus
Merces, láurea vértici.
PATRI máxima laus, máxima Fílio;
Sit par ſancte tibi laus quoque Spíritus;
Fac mentes répleat lúmine véritas;
Urat péctora cáritas. Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor;
℟. Et ego deſpíciam inimícos meos. *Pſ.* 117. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *f.* Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. *Matt.* 10. 32.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Deum patiéntiæ & ſolátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

CONFECTOR ictus ſi tibi défuit,
Nil inde laudi detráhitur tuæ:
Mortem volúntas antevertit;
Martyrium facit hæc volúntas.
O ter beátos! dura quibus pati
Pro Chriſtiáno nómine cóntigit;
Sunt nempe truncis iſta membris
Eméritæ monuménta palmæ;
SUNT & futúri pígnora præmii:

Diláta merces mox redit aúctior ;
Sic, Chriſte, vis nos ire cœlo:
Matéries datur hæc triúmphis.

Fac ſimus & nos nómine pro tuo
Semper paráti fúndere ſánguinem :
Quam corde toto Veritátem
Crédimus , hanc fateámur ore.

Sit laus Parénti , ſit quoque Fílio ,
Tibíque ſit par glória, Spíritus;
Trinúmque dum vox confitétur ,
Vera fides venerétur unum. Amen.

AD LAUDES MATUTINAS.

Hymnus , Ecquis magnánimus , *ut in primis Veſperis.*

℣. Præcinxíſti me virtúte ad bellum , ℟. Et ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtus me. *Pſ.* 17. 40.

Ad Benedíctus , *Ant.* 7. *d.* Confitébor nómini tuo Dómine ; quóniam protéctor factus es mihi , & liberáſti corpus meum à perditióne , & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

Deus, pro cujus nómine beátus N. conféſſor tuus (& póntifex) paſſiónes invíctâ fide ſuſtínuit; da nos ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc ſéculo , quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per.

AD VESPERAS.

Hymnus , Conféctor idem , *ut in Officio Nocturno.*

℣. Paulò minùs conſummavérunt me in terra ; ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Pſ.* 118. 87.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Exultábo , & lætábor in miſericórdia tua Dómine ; quóniam reſpexíſti humilitátem meam , ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meam ; nec concluſíſti me in mánibus inimíci. *Pſ.* 30. 8. 9.

COMMUNE UNIUS S. PONTIFICIS.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* 2.

Dicit Dóminus : Suſcitábo ſuper oves meas paſtórem unum; ipſe paſcet eas , & erit eis in paſtórem. *Ezech.* 34. 23.

Ant. 6. C. Dixit Jeſus : Ego veni ; Ego ſum Paſtor bonus : oves meæ vocem meam áudient ; & fiet unum ovíle & unus Paſtor. *Joan.* 10. 10. 11. 16.

Ant. 1. D. Amen , amen dico vobis: Ego ſum óſtium óvium; per me ſi quis introíerit, ſalvabitur ; & ingrediétur , & egrediétur , & páſcua invéniet. *Joan.* 10. 7. 9.

Ant. 8. G. Qui non intrat per óſtium , ille fur eſt & latro: qui autem intrat per óſtium , paſtor eſt óvium : huic oſtiárius áperit. *Joan.* 10. 1. 2. 3.

Ant. 5. a. Quemcúnque
légerit Dóminus, ipſe erit
ſanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. Hebr. 5. 4. 5. 6.

NEc quiſquam ſumit ſibi
honórem, ſed qui vocá-
tur à Deo tanquam Aáron: ſic
et Chriſtus non ſemetípſum
clarificávit ut Póntifex fieret;
ſed qui locútus eſt ad eum,
Filius meus es tu, ego hódie
génui te: quemádmodum &
in álio loco dicit: Tu es Sacér-
dos in ætérnum, ſecúndùm
ordinem Melchíſedech.

In Duplic. majoribus, ℟. Suſci-
tabo mihi ſacerdótem fidélem,
qui juxta cor meum fáciet;
Et † Ambulábit coram Chri-
ſto meo cunctis diébus. 1. *Reg.*
2. 35. ℣. Invéni virum ſecún-
dum cor meum, qui fáciet om-
nes voluntátes meas. *Act.* 13.
22. * Et. Glória. † Ambulábit.

Hymnus. Guill. Epiſc. Santon.

CHRISTE Paſtórum ca-
put atque Princeps,
Præſulis feſtam veneráta lucem
Débitis ſupplex tua templa
votis
Turba frequéntat.

ILLE non vano ténuit tre-
méndam
Spíritu ſedem, próprio nec
auſu:
Ad ſacrum juſſus Dómino
vocánte
Sumpſit honórem.

PRENUUM bello púgilem
ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit
intùs
Spíritus cornu, poſuítque ſan-
ctam
Páſcere gentem.

FIT gregis paſtor, pater at-
que forma:
Omnium curas levat & labó-
res,
Lætus impéndit ſua, ſeque
cunctis
Súfficit unus.

PRO reis orat, réficit gemén-
tes,
Erigit lapſos, tenebráſque
pellit,
Fit potens verbo, docet alta;
pravum
Cónterit hoſtem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritér-
que tecum
Spíritum jugi celebrémus
hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Quæsívit Dóminus ſibi
virum juxta cor ſuum; ℟. Et
præcépit ei Dóminus ut eſſet
dux ſuper pópulum ſuum.
1. *Reg.* 13. 14.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F.
Reſpéxit ad eum Dóminus, &
ait; Virórum fortíſſime, vade
in hac fortitúdine tua, & libe-
rábis Iſraël: ſcito quòd míſe-
rim te. *Judic.* 6. 14.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 3. *a.* Ipſum elégit Dóminus
Deus, ut ſtet, & miníſtret nó-
mini Dómini. *Deut.* 18. 5.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 8. c.

Erit ipſi pactum ſacerdótii ſempitérnum, quia zelátus eſt pro Deo ſuo, & expiávit ſcelus filiórum Iſraël. *Num.* 25. 13.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Chriſtum Paſtórum Príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5, 4.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

CHRISTE, decréto Patris inſtitútus
Póntifex ſummo, tibi ſegregátos
Ponis & formas pópulis regéndis
Ipſe miníſtros.

HUNC juvat feſto celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis coruſcans,
Sumpſit invítus, trepidánte dextrâ,
Pondus honóris.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille, qui ſummos ápices adéptus,
Omnium curas, ſibi raptus uni,
Súſtinet omnes.

FECERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poſcit,
Advolat promptus; mora non eúntem
Ulla retárdat.

DUX iter, vitâ præeúnte, monſtrat;
Cómprobat factis ſua dicta magnis,
Et domum ſanctam bene oléntе Chriſti
Implet odóre.

LUX erat cæco, cólumen labánti,
Una ſpes lapſo, míſero levímen,
Próvidus cunctis pater, omnibúſque
Omnia factus.

CHRISTE, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ ſúbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Vide miniſtérium quod accepíſti in Dómino, ut illud ímpleas. *Coloſſ.* 4. 17.

Ant. 1. a. Exémplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. 1. *Tim.* 4. 12.

Ant. 3. a. Solícitè cura teipſum exhibére Deo operárium inconfuſíbilem, rectè tractántem verbum veritátis. 2. *Tim.* 2. 15.

℣. Lábia ſacerdótis cuſtódient ſciéntiam, ℟. Et legem requírent ex ore ejus; quia Angelus Dómini exercítuum eſt. *Malach.* 2. 7.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Sacérdos máximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctiónis óleum, * Non contaminábitur, ne pólluat ſa-

ſtuárium Dómini. *Levit.* 21.
o. 11. 12. ℣. Opórtet Epíſ-
opum ſine crímine eſſe, ſicut
)ei diſpenſatórem. *Tit.* 1. 7.
Non contaminábitur.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Rectórem te
oſuérunt? noli extólli: * Eſto
ı illis quaſi unus ex ipſis; cu-
ım illórum habe, & ſic con-
de. *Eccli.* 32. 1. 2. ℣. Si quis
ult primus eſſe, erit ómnium
ovíſſimus, & ómnium mi-
iſter. *Marc.* 9. 34. * Eſto.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Accéde ad
táre, & ímmola pro peccáto
ıo: * Offer holocaúſtum, &
Deprecáre pro te, & pro pó-
ulo. *Levit.* 9. 7. ℣. Debet Pón-
fex, quemádmodum pro pó-
ulo, ita étiam pro ſemetípſo
fférre pro peccátis. *Hebr.* 5. 3.
Offer. Glória. † Deprecáre.

In II. Nocturno.

Ant. 4. E. Speculatórem de-
i te dómui Iſraël; & aúdies
e ore meo verbum, & annun-
ábis eis ex me. *Ezech.* 3. 17.

Ant. 5. a. Si tu annuntiá-
eris juſto, & ille non peccá-
erit, vivens vivet, quia an-
ıntiáſti ei; & tu ánimam
am liberáſti. *Ezech.* 3. 21.

Ant. 7. d. Si tu annuntiáve-
s ímpio, & ille non fúerit
ınvérſus ab impietáte ſua,
ſe quidem in iniquitáte ſua
oriétur; tu autem ánimam
am liberáſti. *Ezech.* 3. 19.

℣. Probatórem dedi te in
ıpulo meo robúſtum; ℟. Et
es, & probábis viam eó-
m. *Jer.* 6. 27.

Lectiones in Proprio SS.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Si ſpopónderis
pro amíco tuo, defixíſti apud
extráneum manum tuam; fac
quod dico, & temetípſum lí-
bera: * Diſcúrre, feſtína, ſúſ-
cita amícum tuum, ne déderis
ſomnum óculis tuis. *Prov.* 6.
1. 3. 4. ℣. Prædica verbum,
inſta opportúnè, importúnè;
árgue, óbſecra, íncrepa in
omni patiéntia & doctrína. 2.
Tim. 4. 2. * Diſcúrre.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Eſto vígilans;
& confírma cétera quæ morí-
túra erant. Si non vigiláveris,
* Véniam ad te tanquam fur;
& néſcies quâ horâ véniam.
Apoc. 3. 2. 3. ℣. Si ſpeculátor
víderit gládium veniéntem,
& non inſonúerit búccinâ;
ſánguinem pópuli de manu
ſpeculatóris requíram. *Ezech.*
33. 6. * Véniam.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Diligénter
agnóſce vultum pécoris tui,
tuóſque greges conſídera:
* Non enim habébis júgiter
poteſtátem, ſed † Coróna tri-
buétur in generatiónem & ge-
neratiónem. *Prov.* 27. 23. 24.
℣. Vígila, in ómnibus labóra,
miniſtérium tuum imple. 2.
Tim. 4. 5. * Non enim. Gló-
ria. † Coróna.

In III. Nocturno.

Ant. 8. G. Vos ſcitis, quómo-
do nihil ſubtráxerim utílium,
quóminus annuntiárem vobis
públicè & per domos, in Deum
pœniténtiam, & fidem in Jeſum
Chriſtum. *Act.* 20. 18. 20. 21.

Ant. 1. ã. Mundus ſum à ſánguine ómnium; non enim ſubterfúgi, quóminus annuntiárem omne conſílium Dei vobis. *Act.* 20. 26. 27.

Ant. 4. a. Omnium me ſervum feci, ut plures lucrifácerem. 1. *Cor.* 9. 19.

℣. Omnibus ómnia factus ſum, ℟. Ut omnes fácerem ſalvos. 1. *Cor.* 9. 22.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos: Libentíſſimè impéndam, * Et ſuperimpéndar ipſe pro animábus veſtris. 2. *Cor.* 12. 14. 15. ℣. Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam. 1. *Reg.* 12. 23. Et ſuperimpéndar.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Ego ſequéſter * Et médius fui inter Dóminum & vos, ut annuntiárem vobis verba ejus. *Deut.* 5. 5. ℣. Eccléſiæ factus ſum ego miníſter ſecúndùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. *Coloſſ.* 1. 25. * Et médius.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Caríſſimi, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ; hæc cogitáte. Quæ & didicíſtis, & accepíſtis, & audíſtis, & vidíſtis in me, hæc ágite; * Et † Deus pacis erit vobíſcum. *Philipp.* 4. 8. 9. ℣. Judícium Patris audíte fílii, & ſic fácite ut ſalvi ſitis. *Eccli.* 3. 2. * Et. Glória, † Deus.

AD LAUDES.

Matutinas.

℣. *Sacerdotalis*, De omni corde ſuo laudávit Dóminum, ℟. Et diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

FUit máximus in ſalútem electórum Dei, expugnáre inſurgéntes hoſtes, ut conſequerétur hereditátem Iſraël. *Eccli.* 46. 1. 2.

Ant. 3. E. Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte; offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo ſuo. *Eccli.* 45. 20.

Ant. 7. b. Invéntus eſt perféctus, juſtus, & in témpore iracúndiæ, factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. 3. *a.* Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus. *Malach.* 2. 6.

Ant. 8. c. In pace & in æquitáte ambulávit, & multos avértit ab iniquitáte. *Malach.* 2. 6.

Capitulum. Eccli. 50. 22. 23.

MAnus ſuas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Iſraël, dare glóriam Deo à lábiis ſuis, & in nómine ipſíus gloriári.

Hymnus. Guill Epiſc. Santon.

JEsu Sacerdótum decus,
In hac die quâ gloriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto ſúpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit Agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua,
Victúmque præbet: aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errántem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam, ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béſtias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimam
Cum plebe Paſtor ínnocens,
Secúmque devótum gregem
Pius ſacérdos ímmolat.

Supreme Chriſte Póntifex,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Státuit ei Dóminus teſtaméntum ætérnum; ℟. Et dedit illi ſacerdótium gentis. *Eccli.* 45. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. In bonitáte & alacritáte ánimæ ſuæ plácuit Deo pro Iſraël: ideo ſtátuit illi teſtaméntum pacis, príncipem ſanctórum & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. *Eccli.* 45, 29. 30.

Oratio.

Exaúdi, quæſumus Dómine, preces noſtras quas in beáti N. pontíficis feſtivitáte deférimus; & ejus, qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos abſólve peccátis; Per.

Alia Oratio.

Quæſumus Dómine, cleméntiam tuam, ut in hac die quam tránſitu ſacro beáti pontíficis N. conſecráſti, des nobis illam ſequi doctrínam quam ille & verbo dócuit, & ópere complévit; Per.

Pro uno Autiſſiodorenſi Epiſcopo, Oratio.

Omnípotens Deus, qui beátum N. antíſtitem pópulo tuo præéſſe, & quibus præerat, verbo & exémplo prodéſſe voluíſti; eódem intercedénte, paſtóres Eccléſiæ tuæ cum grégibus ſibi commíſſis dírige in viam ſalútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perfíciant; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Fuit máximus.

Ad Tertiam, *Ant.* Ipſum elégit.

Capitulum. *Heb.* 5. 1.

Omnis Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis.

℟. *breve*, Dedit illi Deus * Docére Jacob teſtimónia, ℟. Dedit. ℣. Et in lege ſua lucem dare Iſraël. * Docére. Glória. ℟. Dedit. *Eccli.* 45. 21.

℣. Hic erat edóctus viam Dómini, & fervens ſpíritu

loquebátur; ℟. Et docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu. *Act.* 18. 25.

Ad Sextam, *Ant.* Invéntus eſt.

Capitulum. *Eccli.* 45. 19.

FActum eſt illi in teſtaméntum ætérnum, & ſémini ejus ſicut dies cœli, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus.

℟. *breve*, Obtulit holocaúſta * Super altáre; ℟. Obtulit. ℣. Odoratúſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis. * Super. Glória. ℟. Obtulit. *Gen.* 8. 20. 21.

℣. Oblátio juſti impínguat altáre, ℟. Et odor ſuavitátis eſt in conſpéctu Altíſſimi. *Eccli.* 35. 8.

Ad Nonam, *Ant.* In pace.

Capitulum. *Eccli.* 45. 6.

DEdit illi Deus coram præcépta, & legem vitæ & diſciplínæ, docére Jacob teſtaméntum ſuum, & judícia ſua Iſraël.

℟. *breve*, Pavit eos * In innocéntia cordis ſui, ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. * In. Glória. ℟. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Dedúxit eos in viam rectam, ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

SAcérdos magnus in vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli* 50. 1.

Ant. 2. D. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 4.

Ant. 3. a. Abſtulit abominatiónes; & fecit omnes ſervíre Dómino Deo. 2. *Par.* 34. 33.

Ant. 5. a. Zelándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. 54.

Ant. 6. F. Effúlſit quaſi ignis effúlgens, & quaſi vas auri ſólidum, ornátum omni lápide pretióſo. *Eccli.* 50. 7. 9. 10.

Capitulum. *Eccli.* 50. 6. 7.

QUaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna plena in diébus ſuis lucet; & quaſi ſol refúlgens, ſic ille effúlſit in templo Dei.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Ipſe eſt diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, * Et tulit abominatiónes impietátis: & † In diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 3. 4. ℣. Hic eſt qui fuit in Eccléſia, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38. *Et tulit. Glória. † In diébus.

Hymnus, Chriſte Paſtórum, *ut in primis Veſperis.*

℣. Dedit illi Dóminus teſtaméntum regni, ℟. Et ſedem glóriæ in Iſraël. *Eccli.* 47. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Beatificávit illum Deus in glória, & índuit eum ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 8.

COMMUNE
PLURIUM SS. PONTIFIC.

In primis Veſperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona. 1. *toni.* a.

DAbo vobis paſtóres juxta cor meum, & paſcent vos ſciéntiâ, & doctrínâ. *Jer.* 3. 15.

Ant. 2. D. Pópulum meum docébunt quid ſit inter ſanctum & pollútum, & inter mundum & immúndum oſténdent eis. *Ezech.* 44. 23.

Ant. 3. g. Cùm fúerit controvérſia, ſtabunt in judíciis meis, & judicábunt. *Ezech.* 44. 24.

Ant. 4. E. Fácient ſuper altáre holocaúſta veſtra; & placátus ero vobis. *Ezech.* 43. 27.

Ant. 1. D. Nomen ſempitérnum dabo eis, quod non períbit: holocaúſta eórum, & víctimæ eórum placébunt mihi ſuper altári meo. *Iſai.* 56. 5. 7.

Capitulum. *Jer.* 31. 14.

INebriábo ánimam ſacerdótum pinguédine: & pópulus meus bonis meis adimplébitur.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Suſcitábo ſuper eos Paſtóres, & paſcent eos: non formidábunt ultrà; & non pavébunt: * Et † Nullus quærétur ex número. *Jer.* 23. 4. ℣. Oves meæ non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quiſquam de manu mea. *Joan.* 10. 28. * Et nullus. Glória. † Nullus.

Hymnus.

O Qui pro grégibus das ánimam tuis,
Alto consílio quàm bene próvidos
Caro ponis ovíli
Quos tu, Chriſte, vocas duces!

Hi juſto pópulos judício regunt,
Hi de fonte bibunt quem sítiunt Deum,
Et de Númine pleni,
In nos hi ſuperéffluunt.

Hi dum corda ſacris légibus ímbuunt,
Diſcúſſis ténebris ſtat fidei decus,
Seſe pandit apérta
Toto lúmine véritas.

Facti forma, Deo quem páriunt, gregis,
Quæ ſermóne docent, móribus éxprimunt;
Cùm mandant, amor urget,
Cùm damnant, amor árguit.

Nusquam lenta tenent ótia déſides,
Noctes atque dies invígilant agro,
Subrépens inimícus
Ne zizánia ſéminet.

Quas erráre vident à grege dévias,
Cautè ſollíciti per juga móntium,
Per deſérta requírunt,
Et portant húmeris oves.

Laus, qui Pontífices conſtítuit, Patri;
Paſtórum cápiti laus quoque Fílio;

Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *f.* Super muros tuos Jerúſalem conſtítui cuſtódes; totâ die & totâ nocte in perpétuum non tacébunt. *Iſai.* 62 6.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Complet. Ant.* 8. G. Vos eſtis lux mundi. Non accéndunt lucérnam, & ponunt eam ſub módio, ſed ſuper candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo ſunt. *Mat.* 5. 14. 15.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 4. f. Sic lúceat lux veſtra coram homínibus; ut vídeant ópera veſtra bona, & gloríficent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. *Matt.* 5. 16.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Chriſtum dantem Paſtóres ad conſummatiónem ſanctórum, * Veníte, adorémus. *Eph.* 4. 12.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

Vos, ô Pontífices præſídium gregis,
Noſtrî tangit amor, ſollícitos tenet;
Olim quæ cor adúſſit,
Urget nunc quoque cáritas.

Christus frugífero vínea pálmite
Veſtris creſcit adhuc culta labóribus;
Cœlo ſémina ſurgunt,
Vobis nata ſatóribus.

Vobis una fuit cura, ſalus gregis;
Vobis una quies, contínuus labor;
Vobis vívere, Chriſtus;
Vobis grande lucrum, mori.

In vos turpis opum nil pótuit fames:
Theſaúrus pótior péctora móverat;
Æris pródiga dextra
Sparſit quæ méteret polo.

Quà duxére tuum Pontífices gregem,
Quâ nos, Chriſte, præis cúrrere fac viam:
Duc, ne lóngiùs errent;
Serva, ne péreant oves.

Laus, qui Pontífices conſtítuit, Patri;
Paſtórum cápiti laus quoque Fílio;
Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Sacerdótes qui accédunt ad Dóminum, ſanctificéntur. *Exod.* 19. 22.

Ant. 2. D. Erunt Dómino offeréntes ſacrifícia in juſtítia: & placébit Dómino ſacrifícium. *Malach.* 3. 3. 4.

Ant. 3. g. Cuſtódiant præcépta mea, ut non ſubjáceant peccáto, & moriántur in ſanctuário, cùm pol-

ſierint illud. *Levit.* 22. 9.

℣. Sacrificent ſacrificium laudis, ℟. Et annúntient ópera Dómini in exultatióne. *Pſ.* 106. 22.

Lectiones de Script. occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Sacerdótes ſancti erunt Deo ſuo, & non pólluent nomen ejus : * Incénſum enim Dómini, & panes Dei ſui ófferunt, & ídeo ſancti erunt. *Levit.* 21. 6. ℣. Scriptum eſt : Sancti éritis, quóniam ego ſanctus ſum. 1. *Petr.* 1. 16. * Incénſum.

Poſt 2. *Lect.* ℟. In médio ſui ſanctificántes nomen meum, ſanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Iſraël prædicábunt ; * Et ſcient errántes ſpíritu intelléctum. *Iſai.* 29. 23. 24. ℣. Eſt ſcriptum in Prophétis : Et erunt omnes docíbiles Dei. *Joan.* 6. 45. * Et ſcient.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Beáti ſervi illi, quos cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes : * Præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & † Tránſiens miniſtrábit illis. *Luc.* 12. 37. ℣. Qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. *Eccli.* 32. 18. * Præcínget. Glória. † Tránſiens.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. *E.* Atténdite vobis, & univérſo gregi in quo vos Spíritus-ſanctus póſuit Epíſcopos, régere Eccléſiam Dei. *Act.* 20. 28.

Ant. 5. a. Præcéptum ſempitérnum eſt, ut habeátis ſciéntiam diſcernéndi inter ſanctum & profánum, doceatíſque fílios Iſraël ómnia legítima mea. *Levit.* 10. 9. 10. 11.

Ant. 7. a. Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui ſpirituáles eſtis, hujúſmodi inſtrúite in ſpíritu lenitátis. *Gal.* 6. 1.

℣. Erudímini qui judicátis terram. ℟. Servíte Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre. *Pſ.* 2. 10. 11.

Lectiones in Proprio SS.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Páſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providéntes non coáctè, ſed ſpontáneè ſecúndùm Deum : neque turpis lucri grátiâ, ſed voluntárié : neque ut dominántes in cleris, ſed * Forma facti gregis ex ánimo. 1. *Petr.* 5. 2. 3. ℣. Vos qui eſtis príncipes familiárum Leviticárum, ſanctificámini cum frátribus veſtris. 1. *Par.* 15. 12. * Forma.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Quod juſtum eſt judicáte : nulla erit diſtántia perſonárum : * Ita parvum audiétis ut magnum ; nec accipiétis cujúſquam perſónam, quia Dei judícium eſt. *Deut.* 1. 16. 17. ℣. Nolíte in perſonárum acceptióne habére fidem Dómini noſtri Jeſu Chriſti glóriæ. *Jac.* 2. 1. * Ita parvum.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Quóniam vos eſtis preſbyteri in pópulo Dei, & ex vobis pendet ánima illórum, * Ad elóquium veſtrum † Corda eórum erígite. *Judith* 8. 21. ℣. Corrípite in-

quiétos, conſolámini puſillánimes, ſuſcípite infirmos, patiéntes eſtóte ad omnes. 1. *Theſſ.* 5. 14. * Ad elóquium. Glória. † Corda.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Non dominámur fidei veſtræ, ſed adjutóres ſumus gaúdii veſtri. 2. *Cor.* 1. 23.

Ant. 1. f. Non noſmetipſos prædicámus, ſed Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Jeſum. 2. *Cor.* 4. 5.

Ant. 6. F. Ille ánimam ſuam pro nobis póſuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. 1. *Joan.* 3. 16.

℣. Prædíximus quòd in córdibus noſtris eſtis, ℟. Ad commoriéndum & ad convivéndum. 2. *Cor.* 7. 3.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Sic nos exíſtimet homo ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatóres myſteriórum Dei,* Hìc jam quæritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. 1. *Cor.* 4. 1. 2. ℣. Multi hómines, miſericórdes vocántur: virum autem fidélem quis invéniet? *Prov.* 20. 6.* Hìc jam.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Némini dantes ullam offenſiónem, ut non vituperétur miniſtérium noſtrum, * In ómnibus exhibeámus nos ſicut Dei miníſtros, in multa patiéntia. 2. *Cor.* 6. 3. 4. ℣. Deus enim ſanctus, & fortis æmulátor eſt, nec ignóſcet ſcelèribus atque peccátis. *Joſue* 24. 19.* In ómnibus.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Scitis quáliter unumquémque veſtrûm, ſicut pater fílios ſuos, teſtificáti ſumus, ut ambularétis dignè Deo,* Qui vocávit vos in ſuum regnum & glóriam. 1. *Theſſ.* 2. 11. 12. ℣. Audíte ergo fílii: Servíte Dómino in veritáte; & inquírite ut faciátis quæ plácita ſunt illi. *Tob.* 14. 10.* Qui vocávit. Glória. * Qui vocávit.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Benedícite Sacerdótes Dómini Dómino: ℟. Laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3. 84.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

Deus idóneos nos fecit miníſtros novi teſtaménti; non litterâ, ſed ſpíritu. 2. *Cor.* 3. 6.

Ant. 7. a. Habéntes adminiſtratiónem, juxta quod miſericórdiam conſecúti ſumus, non defícimus. 2. *Cor.* 4. 1.

Ant. 3. g. Os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatátum eſt: dilatámini & vos. 2. *Cor.* 6. 11. 13.

Ant. 5. a. Chriſtum nos annuntiámus, corripiéntes & docéntes in omni ſapiéntia, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Chriſto Jeſu. *Coloſſ.* 1. 28.

Ant. 4. E. In ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei & non

n ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei, converſáti ſumus n hoc mundo: abundántiùs utem ad vos. 2. *Cor.* 1. 12.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 4. 1.

FRatres, rogámus vos & obſecrámus in Dómino Jeſu, ut quemádmodum accepíſtis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo, ſic & ambulétis ut abundétis magìs.

Hymnus, O qui pro grégibus, *ſuprà in primis Veſperis.*

℣. Dilígite lumen ſapiéntiæ, ℟. Omnes qui præéſtis pópulis. *Sap.* 6. 23.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Cùm apparúerit Princeps Paſtórum, percipiétis immarceſcíbilem glóriæ corónam. 1. *Petr.* 5. 4.

Oratio.

DEus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónſulis, & amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis miníſtros; da quæſumus, intercedéntibus beátis N. & N. pontifícibus, ſpíritum ſapiéntiæ, quibus dedíſti régimen diſciplínæ, ut de proféctu ſanctárum óvium fiant gaúdia ætérna Paſtórum; Per.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Deus idóneos.

Ad Tertiam, *Ant.* Habéntes.

Capitulum. *Hebr.* 13. 17.

OBedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri, ut cum gaúdio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis.

℟. *breve*, Semper triúmphat nos Deus * In Chriſto Jeſu, ℟. Semper. ℣. Et odórem notítiæ ſuæ maniféſtat per nos. * In Chriſto. Glória. ℟. Semper. 2. *Cor.* 2. 14.

℣. Chriſti bonus odor ſumus Deo, ℟. In iis qui ſalvi fiunt. 2. *Cor.* 2. 15.

Ad Sextam, *Ant.* Os noſtrum.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 2. 8.

DEſiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras; quóniam caríſſimi nobis facti eſtis.

℟. *breve*, Facti ſumus párvuli * In médio veſtrûm, ℟. Facti. ℣. Tanquam ſi nutrix fóveat fílios ſuos. * In médio. Glória. ℟. Facti. 1. *Theſſ.* 2. 7.

℣. Glória veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, ℟. In die Dómini noſtri Jeſu Chriſti. 2. *Cor.* 1. 14.

Ad Nonam, *Ant.* In ſimplicitáte.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 2. 4. 5. 6.

LOquimur, non quaſi homínibus placéntes, ſed Deo, qui probat corda noſtra: neque enim aliquándo fúimus in ſermóne adulatiónis, ſicut ſcitis; neque in occaſióne avarítiæ, Deus teſtis eſt; nec

quærentes ab homínibus glóriam.

℟. *breve*, Coram Deo, * In Chriſto lóquimur : ℟. Coram. ℣. Omnia autem caríſſimi propter ædificatiónem veſtram. * In Chriſto. Glória. ℟. Coram. 2. *Cor*. 12. 19.

℣. Lóquimur non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ℟. Sed in doctrína Spíritûs. 1. *Cor*. 2. 13.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni*. â.

LAudémus viros glorióſos, & paréntes noſtros ; hómines dívites in virtúte, pacificántes in dómibus ſuis. *Eccli*. 44. 1. 6.

Ant. 1. a. Illi viri miſericórdiæ ſunt, quorum pietátes non defuérunt; & glória eórum non derelinquétur. *Eccli*. 44. 10. 13.

Ant. 2. D. Habéntes librum legis Dómini, circuíbant cunctas urbes, atque erudiébant pópulum. 2 *Par*. 17. 9.

Ant. 8. G. Ad eórum eruditiónem omnis Iſraël ſanctificabátur Dómino. 2. *Par*. 35. 3.

Ant. 7. d. Glória eórum non derelinquétur, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccl*. 44. 13. 14.

Capitulum. *Dan*. 12. 3.

QUi docti fúerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmaménti ; & qui ad juſtítiam erúdiunt multos, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes.

In Duplicibus - majoribus ;

℟. Imperántes in præſénti pópulo ſanctíſſima verba, in generatiónibus gentis ſuæ * Glóriam adépti ſunt ; & † Habéntur in laúdibus. *Eccli* 44. 4. 7. ℣. Operáti ſunt juſtítiam, adépti ſunt repromiſſiónes. *Hebr*. 11. 33. * Glóriam. Glória. † Habéntur.

Hymnus, Vos, ô Pontífices, *ſuprà in Officio Nocturno*.

℣. Sapiéntiam eórum narrent pópuli, ℟. Et laudem eórum núntiet Eccléſia. *Eccli*. 44. 15.

Ad Magníficat, *Ant*. 2. D.* Mementóte Præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum converſatiónis, imitámini fidem. *Hebr*. 13. 7.

COMMUNE SS. DOCTORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 2. *toni*. D.

MElior eſt ſapiéntia cunctis pretioſíſſimis; & omne deſiderábile ei non poteſt comparári. *Prov*. 8. 11.

Ant. 4. E. Neſcit homo prétium ejus, nec invenítur in terra ſuáviter vivéntium. *Job* 28. 13.

Ant. 8. G. Abſcóndita eſt ab óculis ómnium vivéntium ſapiéntia, Deus intélligit viam ejus, & ipſe novit locum illíus. *Job* 28. 21. 23.

Ant.

Ant. 5. a. Qui vigiláverit
·opter ſapiéntiam, citò ſecú-
ıs erit; quóniam dignos ſe-
ſâ círcuit quærens, & in
is oſténdit ſe illis hiláriter.
ıp. 6. 16. 17.

Ant. 6. F. Inítium ſapién-
æ veríſſima eſt diſciplínæ
›ncupiſcéntia: ergo accípite
ſciplínam, & próderit vobis.
ıp. 6. 18. 27.

Capitulum. *Eccli.* 15. 10.

A Deo profécta eſt ſapién-
tia; ſapiéntiæ enim Dei
tábit laus, & in ore fidéli
›undábit, & dominátor da-
t eam illi.

In Duplicibus-majoribus,
. Dóminus dat ſapiéntiam
piéntibus, & ſciéntiam in-
lligéntibus diſciplínam:* Ipſe
vélat profúnda & abſcón-
ta; & † Lux cum eo eſt.
an. 2. 21. 22. ℣. Spíritus óm-
a ſcrutátur, étiam profúnda
ei. 1. *Cor.* 2. 10.* Ipſe. Gló-
ı. † Lux.

Hymnus. *Santol. Vict.*

D, Qui perpétuus nos mó-
nitor doces,
ox ætérna Patris, Chriſte,
vicários
octóres, pátrias cùm rémeas
domos,
Nobis quàm bene ſúppetis!
ı ſemper vígilant, ne quid
adúlterum
›rrúmpat fidei vírgineum
decus:
:di vel léviter non pátitur
fides,
His cuſtódibus íntegra.

INFAMES ábolent relliquias
deûm;
Erróres ábigunt, crímina dé-
docent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè
crédulos
Mendax lúſerat hæreſis.

PATRUM caníticm, tot ve-
nerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet
fides:
Quæ ſunt priſca, docent; quæ
nova, ſúbruunt:
Servant depóſitum Dei.

SIT ſupréma tibi glória, Vé-
ritas,
Quæ per ſcripta Patrum quan-
do foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda do-
ces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *C.* Beátus vir, qui excógitat vias ſapiéntiæ in corde ſuo, vadens poſt illam quaſi inveſtigátor: protegétur ſub tégmine illíus à fervóre, & in glória ejus requiéſcet. *Eccli.* 14. 23. 27.

Oratio infrà in Laudibus, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus, ad Complet. Ant.* 1. *a.* Quod egréſſum eſt de lábiis meis, Dómine, rectum in conſpéctu tuo fuit. *Jer.* 17. 16.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Habébo per ſapiéntiam im-

mortalitátem; & memóriam ætérnam his, qui poſt me futúri ſunt, relínquam. *Sap.* 8. 13.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Fontem ſapiéntiæ Verbum Dei in excélſis, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 5.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

JAM nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer ſidéreum Rellígio caput:
Quot ſunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.

CUM per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres;
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi ſúſcitas.

QUANDO ſparſa lues úndique críminum,
Hi gliſcens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.

FIRMANT inſtábiles, & dúbios regunt;
Monſtrant tuta procul líttora naúfragis;
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

QUÆ dixére tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.

SIT ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non eſt multis maniféſta; quibus autem cógnita eſt, pérmanet uſque ad conſpéctum Dei. *Eccli.* 6. 23.

Ant. 4. E. Os prudéntis quæritur in ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. *Eccli.* 21. 20.

Ant. 3. g. Sciéntia ſapiéntis tanquam inundátio abundábit; & consílium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21. 16.

℣. In médio ecclésiæ apériet os ejus, ℟. Et adimplébit illum ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 5.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Sápiens apériet os ſuum in oratióne; * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. *Eccli.* 39. 7. 8.
℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter. *Jac.* 1. 5. * Si enim.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Ipſe tanqua

imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ. * Ipſe palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtaménti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39. 9. 11. ℣. Multos filiórum Iſraël convértet ad Dóminum Deum ipſórum. *Luc.* 1. 16. * Ipſe.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Omnis ſcriba doctus in regno cœlórum, * Símilis eſt hómini patri-famílias, qui † Profert de theſáuro ſuo nova & vétera. *Matt.* 13. 52. ℣. In corde prudéntis requiéſcit ſapiéntia, & indóctos quoſque erúdiet. *Prov.* 14. 33. * Símilis. Glória. † Profert.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Appóne cor ad doctrínam meam; quæ pulcra erit tibi, cùm ſerváveris eam, & redundábit in lábiis tuis. *Prov.* 22. 17. 18.

Ant. 7. c. Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtítui te ut evéllas, & déſtruas, & diſpérdas, & ædífices, & plantes. *Jer.* 1. 9. 10.

Ant. 2. D. Depóſitum cuſtódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſi nóminis ſciéntiæ. 1. *Tim.* 6. 20.

℣. Non véntiles te in omnem ventum, ℟. Et non eas in omnem viam. *Eccli.* 5. 11.

Lectiones in Proprio Sanctorũ.

Poſt 4. *Lect.* ℟. A juventúte tua éxcipe doctrínam, & uſque ad canos invénies ſapiéntiam. * Quaſi is qui arat, & ſéminat; accéde ad eam; & ſúſtine bonos fructus illíus. *Eccli.* 6. 18. 19. ℣. Hæc meditáre: in his eſto, ut proféctus tuus maniféſtus ſit ómnibus. Atténde tibi & doctrínæ. 1. *Tim.* 4. 15. 16. * Quaſi is qui.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne ſcrutátus fúeris: ſed * Quæ præcépit tibi Deus, illa cógita ſemper. *Eccli.* 3. 22. ℣. Stultas quæſtiónes, & contentiónes, & pugnas legis devíta; ſunt enim inútiles, & vanæ. *Tit.* 3. 9. * Quæ præcépit.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Dabo te in murum æreum, fortem: & * Bellábunt advérsùm te, & non prævalébunt. *Jer.* 15. 20. ℣. Erunt hómines ſupérbi, & voluptátum amatóres magis quàm Dei: hi reſíſtunt veritáti, corrúpti mente, réprobi circa fidem, ſed ultrà non profícient. 2. *Tim.* 3. 2. 4. 8. 9. * Bellábunt. Glória. * Bellábunt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Propóſui ſapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum; ſciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8. 9.

Ant. 7. a. Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea, & efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51. 18. 19.

Ant. 1. a. Invénti ſunt ſermónes tui, Dómine, & comédi eos; & factum eſt mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jer.* 15. 16.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine, ℟. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. *Pſ.* 118. 34.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Super ſalútem & ſpéciem diléxi ſapiéntiam, & * Propóſui pro luce habére illam: venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. *Sap.* 7. 10. 11. ℣. Quæ deſúrsùm eſt ſapiéntia, primùm quidem pudíca eſt, deínde pacífica, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis. *Jac.* 3. 17. * Propóſui.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Optávi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & ſédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. *Sap.* 7. 7. 8. ℣. Exíſtimo ómnia detriméntum eſſe, propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti Dómini mei. *Philipp.* 3. 8. * Et divítias.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Sapiéntia bonórum ómnium mater eſt; quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico. * Infinítus enim theſáurus eſt; quo qui uſi ſunt, † Partícipes facti ſunt amicítiæ Dei. *Sap.* 7. 12. 13. 14. ℣. Bonus homo de bono theſáuro cordis ſui profert bonum. *Luc.* 6. 45. * Infinítus. Glória. † Partícipes.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Sit nomen Dómini benedíctum à ſéculo & uſque in ſéculum; ℟. Quia ſapiéntia & fortitúdo ejus ſunt. *Dan.* 2. 20.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* D.

DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut ſciam ſuſtentáre eum, qui laſſus eſt, verbo: ego autem retrórsùm non ábii. *Iſai.* 50. 4. 5.

Ant. 6. F. Sermo meus non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs, & virtútis. 1. *Cor.* 2. 4.

Ant. 3. a. Auxílio adjútus Dei ſto, teſtíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ prophétæ locúti ſunt. *Act.* 26. 22.

Ant. 4. f. Non judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2. 2.

Ant. 5. a. Si nóverim myſtéria ómnia, & omnem ſciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil ſum. 1. *Cor.* 13. 2.

Capitulum. *Sap.* 7. 15. 16.

MIhi dedit Deus dícere ex ſenténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor: in manu enim illíus & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia & diſciplína.

Hymnus. *Santol. Vict.*

VOs ſuccénſa Deo ſplendida lúmina:

Vos ſal, nos hómines quo ſápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

Per vos Relígio, tutáque Véritas;
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Chriſtus amat pándere dívites
Theſaúros ſapiéntiæ.

Vestris unda fluit pura canálibus;
Chriſti floret ager; munda nitet ſeges:
Lac aptum púeris, & ſólidum viris
Cauti ſufficitis cibum.

Hi ſunt, ſumme Deus, qui tibi mílitant;
Hi ſunt, qui ſtábiles ædíficant domos,
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónſtruit álterâ.

Vicistis ſtygias vos quibus hæreſes,
Hæc nos accípimus tela ſupérſtites;
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu,
His armis quoque víncimus.

Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam in ecclésia magna: ℟. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine tu ſciſti. *Pſ.* 39. 10.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Tibi Deus confíteor, teque laudo; quia ſapiéntiam, & fortitúdinem dedíſti mihi. *Dan.* 2. 23.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui Eccléſiæ tuæ fílios ſicut non ceſſas erudíre, ita non déſinis adjuváre; da fidélibus tuis, interceſſióne beáti N. quem eis ætérnæ ſalútis miníſtrum tribuíſti, ut te miſeránte, & ſciéntiam recta faciéndi, & poſſibilitátem cápiant exequéndi; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, qui pópulo tuo beátum N. ætérnæ ſalútis miníſtrum tribuíſti; præſta ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, interceſſórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Dóminus.

Ad Tertiam, *Ant.* Sermo meus.

Capitulum. 1. *Cor.* 12. 7. 8.

Unicuíque datur maniſeſtátio Spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ; álii autem ſermo ſciéntiæ ſecúndùm eúndem Spíritum.

℟. *breve*, Sapiéntiam amávi, & exquiſívi * A juventúte mea, ℟. Sapiéntiam. ℣. Et

amátor factus ſum formæ illíus. * A juventúte mea. Glória. ℞. Sapiéntiam. *Sap.* 8. 2.

℣. Immortálitas eſt in cognatióne ſapiéntiæ, ℞. Et in amicítia illíus delectátio bona. *Sap.* 8. 17. 18.

AD SEXTAM, *Ant.* Auxílio.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 3. 4.

SI quis áliter docet, & non acquiéſcit ſanis ſermónibus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecúndùm pietátem eſt, doctrínæ; ſupérbus eſt, nihil ſciens.

℞. *breve*, Viam veritátis elégi, * Judícia tua non ſum oblitus. ℞. Viam. ℣. Adhæſi teſtimóniis tuis Dómine.* Judícia. Glória. ℞. Viam. *Pſ.* 118. 30. 31.

℣. Omnium ártifex dócuit me ſapiéntia; ℞. Eſt enim in illa ſpíritus intelligéntiæ ſanctus. *Sap.* 7. 21. 22.

AD NONAM, *Ant.* Si nóverim.

Capitulum. 1. *Tim.* 1, 5. 6. 7.

FInis præcépti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntia bona, & fide non ficta; à quibus quidam aberrántes convérſi ſunt in vaniloquium, voléntes eſſe legis doctóres, non intelligéntes neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant.

℞. *breve*, Veritátem tuam * Et ſalutáre tuum dixi. ℞. Veritátem. ℣. Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam. * Et ſalutáre. Glória. ℞. Veritátem. *Pſ.* 39. 11.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui; ℞. In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum. *Pſ.* 118. 13. 14.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

FUit gratus Deo, & erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 20. 22.

Ant. 2. D. Poſtquam ſe ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis, vóluit & ipſe ſcríbere, quæ ad doctrínam & ſapiéntiam pértinent. *Eccli. prolog.*

Ant. 3. a. Dócuit pópulum, quæsívit verba utília, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. *Eccle.* 12. 9.

Ant. 4. d. Dedit illi ſapiéntia ſciéntiam ſanctórum; honeſtávit illum in labóribus. *Sap.* 10. 10.

Ant. 5. a. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſéculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Capitulum. Prov. 3. 13. 14. 15.

BEátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ: mélior eſt acquiſitio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus: pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

In Duplicibus - majoribus, ℞. Juxta manum Dei bonam

ſuper ſe, * parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem dómini, & fáceret, & docéret. 1. *Eſdr.* 7. 9. 10. ℣. Qui fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19. * Parávit. Glória. * Parávit.

Hymnus, O, qui perpétuus, *ut in primis Veſperis.*

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem, ℟. Et nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: ſapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit ecclésia. *Eccli.* 39. 13. 14.

COMMUNE SS. PRESBYTERORUM.

In primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona. 2. *toni.* D.

QUi receſſérunt à me in erróre filiórum Iſraël, non appropinquábunt ad me, ut ſacerdótio fungántur mihi. *Ezech.* 44. 10. 13.

Ant. 1. a. Qui cuſtodiérunt cæremónias ſanctuárii mei, ipſi accédent ad me, ut miníſtrent mihi. *Ezech.* 44. 15.

Ant. 7. *d.* Stabunt in conſpéctu meo ut ófferant mihi ádipem; & cuſtódiant cæremónias meas. *Ezech.* 44. 15. 16.

Ant. 3. E. Vocabúntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum: & ædificábunt deſérta, & ruínas antíquas érigent. *Iſai.* 61. 3. 4.

Ant. 5. a. Erunt Sacerdótes Dei & Chriſti, & regnábunt cum illo. *Apoc.* 20. 6.

Capitulum. *Num.* 8. 18. 19.

TUli Levítas pro cunctis primogénitis filiórum Iſraël; tradidíque eos dono Aáron & fíliis ejus de médio pópuli, ut ſérviant mihi pro Iſraël in tabernáculo fœderis, & orent pro eis.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Notum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & ſanctos applicábit ſibi; * Et † Quos elégerit appropinquábunt ei. *Num.* 16. 5. ℣. Hi probéntur primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habéntes. 1. *Tim.* 3. 10. * Et quos. Glória. † Quos.

Hymnus.

JAm ſatìs fluxit cruor hoſtiárum,
Príſtinæ ceſſent holocaúſta legis,
Chriſte, quos formas, melióra libant
Sacra miníſtri.

Elicit flammas Elias áb alto,
Myſta nunc major jubet, & poténti
Obſequens verbo Deus aſtat aris,
Hóſtia factus.

Pingue libámen, novus & ſacérdos
Orbe jam toto D[illegible]
látur, .

Se manu noſtrâ litat incruénto
Fúnere Chriſtus.

TALE nil priſcis Pátribus tribútum,
Angelis nuſquam data par poteſtas,
Se manu noſtrâ Deus ipſe cunctis
Præbet in eſcam.

CHRISTE, fac ſemper tua ſacra puro
Corde tractémus, manibúſque puris,
Cáritas aptos tua nos treméndis
Applicet aris.

LUMINIS ſplendor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui ſacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam ſalutári; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſ.* 131. 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 7. a. Qui ſtatis in domo Dómini, in nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, & benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 1. 2.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Miniſtráte Dómino Deo veſtro, & pópulo ejus. 2. *Par.* 35. 3.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Sacerdótem in ætérnum, Jeſum Chriſtum, * Veníte adorémus, *Heb.* 5. 6.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Jam ſatis, *ut in primis Veſperis.*

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Locútus eſt Dóminus ad Moyſen: Tribum Levi conſtítue ſuper tabernáculum teſtimónii, & quidquid ad cæremónias pértinet. *Num.* 1. 48. 49. 50

Ant. 2. D. Viros, quos tu noſti quòd ſenes pópuli ſint ac magíſtri, duces ad óſtium tabernáculi; & aúferam de ſpíritu tuo, tradámque eis, ut ſuſténtent tecum onus pópuli. *Num.* 11. 16. 17.

Ant. 3. g. Cunctórum conſecrábis manus, ſanctificabíſque illos; ut ſacerdótio fungántur mihi. *Exod.* 28. 41.

℣. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo ſuo, ℟. Nec accédet ad miniſtérium ejus. *Levit.* 21. 17.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Státues Levítas in conſpéctu Aáron, & conſecrábis oblátos Dómino; ac * Separábis de médio filiorum Iſraël, ut ſint mei. *Num.* 8. 13. 14. ℣. De mundo non

ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. *Joan.* 17. 16.* Separábis.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Non erit eis heréditas, ego heréditas eórum, ego poſſéſſio eórum: * Víctimam pro peccáto ipſi cómedent; & omne votum in Iſraël ipſórum erit. *Ezech.* 44. 28. 29. ℣. Qui in ſacrário operántur, quæ de ſacrário ſunt, edunt; & qui altári deſérviunt, cum altári partícipant. 1. *Cor.* 9. 13.* Víctimam.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Qui bene præſunt Preſbyteri, dúplici honóre digni habeántur; máximè qui labórant in verbo, & doctrína; * Dicit enim Scriptúra: † Dignus eſt operárius mercéde ſuâ. 1. *Tim.* 5. 17. 18. ℣. Honorífica Sacerdótes: da illis partem, ſicut mandátum eſt tibi, primitiárum. *Eccli.* 7. 33. * Dicit. Glória. † Dignus eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Audíte Levítæ: Sanctificámini, mundáte domum Dómini Dei, & auférte omnem immundítiam de ſanctuário. 2. *Par.* 29. 5.

Ant. 5. a. Pollútum nolíte tángere: mundámini qui fertis vaſa Dómini. *Iſai.* 52. 11.

Ant. 6. F. Portábitis iniquitátem ſanctuárii, & ſuſtinébitis peccáta ſacerdótii veſtri; & miniſtrábitis in tabernáculo teſtimónii. *Num.* 18. 1. 2.

℣. Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, ℟. Et ſperáte in Dómino. *Pſ.* 4. 6.

Lectiones in Proprio Sanctorū.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Nolíte neglígere, * Vos elégit Dóminus ut ſtetis coram eo, & miniſtrétis illi. 2. *Par.* 29. 11. ℣. Superædificámini domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo. 1. *Petr.* 2. 5. * Vos elégit.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Miniſtráte in ſanctuário, & ſanctificáti immoláte: * Fratres étiam veſtros, ut poſſint juxta verba quæ locútus eſt Dóminus fácere, præparáte. 2. *Par.* 35. 5. 6. ℣. Dignè Evangélio Chriſti converſámini, collaborántes fídei Evangélii. *Philipp.* 1. 27. * Fratres.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Succíncti lumbos mentis veſtræ, ſecúndùm eum, qui vocávit vos, Sanctum; * Et ipſi † In omni converſatióne ſancti ſitis. 1. *Petr.* 1. 13. 15. ℣. Ego ſum Dóminus: Sancti éritis, quia ego ſanctus ſum. *Levit.* 11. 45. * Et ipſi. Glória. † In omni.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Erit hoc vobis legítimum ſempitérnum, ut orétis pro fíliis Iſraël, & pro cunctis peccátis eórum. *Levit.* 16. 34.

Ant. 8. c. Date Dómino glóriam, leváte ſacrifícium, & veníte in conſpéctu ejus; & adoráte Dóminum in decóre ſancto. 1. *Par.* 16. 29.

Ant. 6. F. Cæremónias, & judícia, & mandátum cuſtodíte: & pactum quod percúſſit vobíſcum Deus, nolíte oblivíſci. 4. *Reg.* 17. 37. 38.

℣. Confortámini, & ágite diligénter; ℟. Et erit Dóminus vobíſcum in bonis. 2. *Par.* 19. 11.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Vidéte quid faciátis; non enim hóminis exercétis judícium, ſed Dómini: & * Quodcúnque judicavéritis, in vos redundábit. Sit timor Dómini vobíſcum, & cum diligéntia cuncta fácite. 2. *Par.* 19. 6. 7. ℣. Nolíte judicáre ſecúndùm fáciem, ſed juſtum judícium judicáte. *Joan.* 7. 24. * Quodcúnque.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Ubicúnque quæſtio eſt de lege, de mandáto, de cæremóniis, de juſtificatiónibus; oſténdite eis, ut non peccent, & ne véniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros: * Sic agéntes non peccábitis. 2. *Paral.* 19. 10. ℣. Eſtóte prudéntes; unuſquíſque, ſicut accépit grátiam, in altérutrum illam adminiſtrántes, ſicut boni diſpenſatóres multifórmis grátiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 7. 10. * Sic agéntes.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Vos genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis; * Ut virtútes annuntiétis ejus, † Qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum. 1. *Petr.* 2. 9. ℣. Si cuſtodiéritis pactum meum, éritis mihi in péculium, & in regnum ſacerdotále, & gens ſancta. *Exod.* 19. 5. 6. * Ut virtútes. Glória. † Qui de ténebris.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Domus Áaron benedícite Dómino: ℟. Domus Levi benedícite Dómino. *Pſ.* 134. 19. 20.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 8. *toni.* G.

O Homo Dei, ſectáre juſtítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, manſuetúdinem. 1. *Tim.* 6. 11.

Ant. 8. G. Confortáre in grátia quæ eſt in Chriſto Jeſu: nemo mílitans Deo ímplicat ſe negótiis ſeculáribus; ut ei pláceat, cui ſe probávit. 2. *Tim.* 2. 1. 4.

Ant. 5. a. Atténde lectióni, exhortatióni, & doctrínæ: noli neglígere grátiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitióne mánuum preſbytérii. 1. *Tim.* 4. 13. 14.

Ant. 4. E. Servum Dómini non opórtet litigáre; ſed manſuétum eſſe ad omnes, cum modéſtia corripiéntem eos qui reſiſtunt veritáti. 2. *Tim.* 2. 24.

Ant. 5. a. Beátus ille ſervus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem: amen dico vobis, quóniam ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. *Matt.* 24. 46. 47.

Capitulum. *Tit.* 2. 7. 8.

IN ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum, irreprehensíbile; ut is qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

Hymnus.

O Sacerdótum veneránda
jura!
Ceu vices Chriſti téneant, ſalútis
Arbitri claudunt reſerántque nobis
Atria cœli.

Omne pendéntes ſcelus in ſtatéra,
Cùm reum ſolvunt, Deus ipſe ſolvit,
Cùm ligant ſontem, Deus ipſe ſontis
Víncula nectit.

Quam manus morbis ádhibent perítas!
Cùm ſecant, ſemper pia dextra cædit;
Cùm fovent, ſemper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

Verba dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri;
Nempe divínæ ſacra verba legis
Mente recóndunt.

Irruens prompti cohibére fulmen,
Stant ab advérſo, Dominúmque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

Dum Sacerdótes tua ſacra tractant,
Chriſte, fac ſacris quibus applicáſti,
Cónſonent mores, populíque fiat
Forma Sacérdos.

Luminis ſplendor Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Immola Deo ſacrificium laudis, ℟. Et redde Altíſſimo vota tua. *Pſ.* 49. 14.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* Euge ſerve bone, & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam, intra in gaúdium Dómini tui. *Matt.* 25. 21.

Oratio.

DOmine, Deus omnípotens, qui fámulum tuum N. ut ſacerdótio tibi fungerétur, à pópulo ſegregáſti; præſta quæſumus, ut ejus exémpla ſectántes, genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* O homo Dei.

Ad Tertiam, *Ant.* Confortáre.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℟. *breve*, Voluntáriè * Sacrificábo tibi; ℟. Voluntáriè. ℣. Et confitébor nómini tuo Dómine. * Sacrificábo. Glória. ℟. Voluntáriè. *Pſ.* 53. 8.

℣. Circúndabo altáre tuum Dómine, ℟. Ut aúdiam vocem laudis, & enárrem univérſa mirabília tua. *Pſ.* 25. 6. 7.

AD SEXTAM, *Ant.* Atténde.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 11.

SI quis lóquitur, quaſi ſermónes Dei: ſi quis miníſtrat, tanquam ex virtúte quam adminíſtrat Deus; ut in ómnibus honorificétur Deus per Jeſum Chriſtum.

℟. *breve*, Ego ſicut olíva fructífera * In domo Dei; ℟. Ego. ℣. Sperávi in miſericórdia Dei in ætérnum. * In domo. Glória. ℟. Ego. *Pſ.* 51. 10.

℣. Immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: ℟. Cantábo, & pſalmum dicam Dómino. *Pſ.* 26. 6.

AD NONAM, *Ant.* Beátus.

Capitulum. 1. *Tim.* 3. 13.

QUi bene miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℟. *breve*, Dómine diléxi * Decórem domûs tuæ, ℟. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. * Decórem. Glória. ℟. Dómine. *Pſ.* 25. 8.

℣. Tabéſcere me fecit zelus meus; ℟. Quia obliti ſunt verba tua inimíci mei. *Pſ.* 118. 139.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

NAtus eſt homo, firmaméntum gentis, rector fratrum, ſtabiliméntum pópuli. *Eccli.* 49. 17.

Ant. 2. D. Fuit Dóminus cum eo; & gubernábat créditam ſibi domum, & univérſa quæ ei trádita fúerant. *Gen.* 39. 2. 4.

Ant. 3. a. Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquiſívit, & ábſtulit omnem iníquum & malum: Sancta glorificávit. 1. *Mach.* 14. 14. 15.

Ant. 4. d. Quaſi cypréſſus in altitúdinem ſe extóllens, in aſcénſu altáris ſancti, glóriam dedit ſanctitátis amíctum. *Eccli.* 50. 11. 12.

Ant. 7. a. Invocávit Dóminum omnipoténtem, in oppugnándo hoſtes circumſtántes úndique, in oblatióne Agni invioláti. *Eccli.* 46. 19.

Capitulum. 2. *Par.* 31. 20. 21.

OPerátus eſt bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo ſuo in univérſa cultúra miniſtérii domûs Dómini, juxta legem & cæremónias, volens requírere Deum ſuum in toto corde ſuo: fecítque, & proſperátus eſt.

In Duplicibus - majoribus, ℣. Obtulit holocauſtum Dómino; &* Clamávit ad Dóminum pro Iſraël, & † Exaudívit eum Dóminus. 1. *Reg.* 7. 9. ℣. Plúrimam hóſtiam óbtulit Deo; per quam teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perhibénte munéribus ejus Deo. *Hebr.* 11. 4. *Clamávit. Glória. † Exaudívit.

Hymnus, O Sacerdótum, *ſuprà in Laudibus.*

℣. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum. ℟. Excélſo Príncipi. *Eccli.* 50. 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. E. Conſummatióne fungens in ara, amplificáre oblatiónem excélſi Regis porréxit manum ſuam in libatióne, & libávit de ſánguine uvæ. *Eccli.* 50. 15. 16.

COMMUNE SS. CLERICORUM.

Omnia dicuntur ut infrà in Officio SS. Laïcorum, exceptis quæ hìc notantur.

IN PRIMIS VESPERIS.

℣. Filii Levi erunt ſub manu filiórum Aáron ℟. In cultum domûs Dómini. 1. *Par.* 23. 28.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Erunt in veſtíbulis, & in ſanctuário, & in univérſis opéribus miniſtérii templi Dómini. 1. *Par.* 23. 28.

Oratio ut in Laudibus.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Dómini eſt aſſúmptio noſtra; ℟. Et ſancti Iſraël, regis noſtri. *Pſ.* 88. 19.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſínguli autem alter altérius membra; habéntes donatiónes, ſecúndùm grátiam quæ data eſt nobis, differéntes. *Rom.* 12. 5. 6.

Oratio.

ADéſto Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, quas in beáti N. (diáconi) feſtivitáte deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim heréditas mea præclára eſt mihi. *Pſ.* 15. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: tu es qui reſtítues hereditátem meam mihi. *Pſ.* 15. 5.

COMMUNE SS. ABBATUM.

Omnia dicuntur ut infrà in Officio SS. Monachorum, exceptis quæ hìc notantur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Poſt Hymnum, ℣. Sedébit pópulus meus in pulcritúdine pacis, ℟. Et in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulénta. *Iſai.* 32. 18.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Egrédere de coſ

℣. Non eſt inópia timéntibus Dóminum. ℟. Dívites eguérunt, & eſuriérunt. *Pſ.* 33. 9. 10.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Fúgite de médio Babylónis, & * Salvet unuſquíſque ánimam ſuam, quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino. *Jer.* 51. 6. ℣. Exíte de illa pópulus meus, ut ne partícipes ſitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. *Apoc.* 18. 4. * Salvet.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Recédite, recédite, exíte inde; quóniam non in tumúltu exíbitis; * Præcédet enim vos Dóminus, & congregábit vos Deus Iſraël. *Iſai.* 52. 11. 12. ℣. Exíte de médio eórum, & ſeparámini. 2. *Cor.* 6. 17. * Præcédet.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Mórtui eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo. * Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra; tunc & vos † Apparébitis cum ipſo in glória. *Coloſſ.* 3. 3. 4. ℣. Cuſtodíte ergo verba pacti hujus, & impléte ea. *Deut.* 29. 9. * Cùm Chriſtus. Glória. † Apparébitis.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. g. Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te. *Matt.* 19. 27.

Ant. 7. c. Et eſurímus, & ſitímus, & nudi ſumus, & laborámus operántes mánibus noſtris. 1. *Cor.* 4. 11. 12.

Ant. 2. D. Non defícimus; ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpátur; tamen is, qui intus eſt, renovátur de die in diem. 2. *Cor.* 4. 16.

℣. Spectáculum facti ſumus mundo, ℟. Et Angelis, & homínibus. 1. *Cor.* 4. 9.

Lectiones in Proprio Sanctorũ.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portántes; * Non enim habémus hìc manéntem civitátem, ſed futúram inquírimus. *Hebr.* 13. 13. 14. ℣. Peregríni ſumus coram te, Deus: dies noſtri quaſi umbra ſuper terram. 1. *Par.* 29. 15. * Non enim.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; * (Fidélis enim eſt qui repromíſit) & conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum. *Hebr.* 10. 23. 24. ℣. Ipſe eſt Deus fidélis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus ſe, & his qui cuſtódiunt præcépta ejus. *Deut.* 7. 9. * Fidélis.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Benedíctus Deus qui * Elégit nos ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in caritáte. *Epheſ.* 1. 3. 4. ℣. Dóminus Deus noſter pépigit nobíſcum fœdus. *Deut.* 5. 2. * Elégit. Glória. * Elégit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Hi omnes erant perſeverántes unánimiter in oratióne. *Act.* 1. 14.

Ant.

Ant. 8. c. Poſſeſſiónes & ubſtántias vendébant, & di-idébant illa ómnibus, prout uíque opus erat. *Act.* 2. 45.

Ant. 2. D. Plorábant, & ejunábant, & orábant in con-péctu Dómini. *Baruch* 1. 5.

℣. Humiliavérunt ánimas uas ℟. In jejúniis, & oratió-ibus. *Judith* 4. 8.

Evangelium & Homilia ut n Proprio Sanctorum.

Poſt 7. Lect. ℟. Sapiéntia lirexit ópera eórum : * Iter ecérunt per deſérta quæ non abitabántur ; & in locis de-értis fixérunt caſas. *Sap.* 11. . 2. ℣. Circuiérunt in pélli-ous caprínis, egéntes, angu-tiáti, afflícti ; quibus dignus non erat mundus : in ſolitudí-nibus errántes, & in cavérnis terræ. *Hebr.* 11. 37. 38.* Iter.

Poſt 8. Lect. ℟. Multitúdinis erat cor unum, & ánima una ; nec quiſquam áliquid ſuum eſſe dicébat, ſed * Erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4. 32. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, habitáre fra-tres in unum ! *Pſ.* 132. 1. * Erant.

Poſt 9. Lect. ℟. Perdúxit eos Deus tanquam gregem in de-ſérto. Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt ; * Et † In-dúxit eos in montem ſanctifi-catiónis ſuæ. *Pſ.* 77. 52. 53. 54. ℣. Confiténtes quia pere-grini & hóſpites ſunt ſuper terram, pátriam melióreṁ áppetunt, id eſt, cœléſtem : ídeo Deus parávit illis civitá-tem. *Hebr.* 11. 13. 14. 16.* Et indúxit. Glória. † Indúxit.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Benedícite ſancti, & húmiles corde Dó-mino : ℟. Laudáte & ſuper-exaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3. 87.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. toni. D.

Elégi abjéctus eſſe in do-mo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis pec-catórum. *Pſ.* 83. 11.

Ant. 5. a. Ecce elongávi fú-giens, & manſi in ſolitúdine. Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpí-ritûs, & tempeſtáte. *Pſ.* 54. 8. 9.

Ant. 3. E. Abſcóndit me Dóminus in tabernáculo ſuo : in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui. *Pſ.* 26. 5.

Ant. 4. E. Anticipavérunt vigílias óculi mei ; cogitávi dies antíquos, & annos ætér-nos in mente hábui. Et medi-tátus ſum nocte cum corde meo. *Pſ.* 76. 5. 6 7.

Ant. 3. c. Exui me ſtolâ pacis, índui autem me ſacco obſecratiónis ; & venit mihi gaúdium à Sancto. *Baruch* 4. 20. 22.

Capitulum. *Iſai.* 26. 8. 9.

NOmen tuum, & memo-riále tuum, Dómine, in deſidério ánimæ. Anima me

deſiderávit te in nocte; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Pro ſancto Monacho & Cœnobita.

Hymnus. *Santol. Vict.*

O Pulcras ácies, caſtráque fórtia!
Quæ ſpes, una fides, unus amor regit.
Omnes lege ſub una,
Uno ſub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt aſtra labóribus!
Pulſant perpétuis quéſtibus æthera,
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vi quoque flétuum
Inſtant, & ſócias ingéminant preces,
Et concórdibus ármis.
Vim cœlo ſimul ínferunt.

Hæc vis grata Deo; ſic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reſerátur
Cœlum conditiónibus.

Fervent quando dies cuncta tumúltibus,
Altùm turba ſilet; cétera dum tacent;
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa ſiléntia.

Exercet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non réſides manus;
Tellus culta colónis
Victum ſuppéditat ſuis.

Æternus ſit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Filio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Pro ſancto Anachoreta & Solitario.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Quid tu relictis úrbibus,
Mortálium conſórtia
Timens fugis? quid tu vides?
Solúſque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero,
Percúrris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

Præsens choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuéndo Númini,
Totus coléndo tu vacas.

Quam pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Sinu recóndis in tuo.

Ætérne tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Clamávi ad te Dómine; dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Pſ.* 141. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. F. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea. Bonus eſt Dóminus ánimæ quæréntí illum. Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. *Thren.* 3. 24. 25. 26.

Oratio.

O Mnípotens ſempitérne Deus, terréna pro te ca-

cántium merces magna nimis; da nobis exémplo & interceſſióne beáti N. cujus ſolémnia celebrámus, temporália ómnia deſpícere, & ad ætérna totâ mentis intentióne feſtináre; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* Elégi.

Ad Tertiam, *Ant.* Ecce elongávi.

Capitulum. *Iſai.* 35. 7. 8.

IN cubílibus, in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci. Et erit ibi ſémita & via, & via ſancta vocábitur.

℟. *breve*, Extráneus factus ſum * Frátribus meis, ℟. Extráneus. ℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. * Frátribus. Glória. ℟. Extráneus. *Pſ.* 68. 9.

℣. Mihi mundus crucifíxus eſt, ℟. Et ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ad Sextam, *Ant.* Abſcóndit me Dóminus.

Capitulum. *Philipp.* 3. 13. 14.

FRatres, quæ retro ſunt oblivíſcens, ad ea verò quæ ſunt prióra exténdens meípſum, ad deſtinátum perſequor, ad bravíum ſupérnæ vocatiónis Dei in Chriſto Jeſu.

℟. *breve*, Dixi; Cuſtódiam vias meas, * Ut non delínquam in lingua mea. ℟. Dixi. ℣. Póſui ori meo cuſtódiam. * Ut non. Glória. ℟. Dixi. *Pſ.* 38. 2.

℣. Concáluit cor meum intrà me, ℟. Et in meditatióne mea exardéſcet ignis. *Pſ.* 38. 4.

Ad Nonam, *Ant.* Exui me.

Capitulum. *Dan.* 9. 3.

POſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere.

℟. *breve*, Propter verba labiórum tuórum * Ego cuſtodívi vias duras. ℟. Propter. ℣. Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis. * Ego. Glória. ℟. Propter. *Pſ.* 16. 4. 5.

℣. Induébar cilício. ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Pſ.* 34. 13.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 3. *toni.* *A.*

ISte cuſtodívit ánimam ſuam, & memor fuit Dómini in toto corde ſuo. *Tob.* 1. 11. 13.

Ant. 2. D. Deus dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatióne tua: & tunc exiit. *Act.* 7. 3. 4.

Ant. 6. F. Majóres divítias æſtimans theſaúro Ægyptiórum, impropérium Chriſti; fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 26. 27.

Ant. 1. f. In loco ſolitúdinis Dóminus dócuit eum; & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui. *Deut.* 32. 10.

Ant. 7. a. Fide demorátus eſt in terra repromiſſiónis, tanquam in aliéna, in caſulis habitándo, cum coherédibus repromiſſiónis. *Hebr.* 11. 9.

Capitulum. *Hebr.* 11. 10.

EXpectábat fundaménta habéntem civitátem; cujus ártifex & cónditor Deus.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Perféctio tua, & doctrína tua Dómine, viro ſancto tuo quem probáſti. * Dixit patri ſuo & matri ſuæ: néſcio vos; & frátribus ſuis: ignóro vos. *Deut.* 33. 8. 9. ℣. Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. *Matt.* 10. 37.* Dixit. Glória.* Dixit.

Hymnus, Felíces, *ut in primis Veſperis.*

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus, quem elégit in hereditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidébit. *Matt.* 19. 29.

COMMUNE SS. LAICORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni*, â.

DIcébat Jeſus ad omnes: ſi quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam quotídie, & ſequátur me. *Luc* 9. 23.

Ant. 8. G. Dico vobis: Niſi abundáverit juſtítia veſtra pluſquam Scribárum, & Phariſæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matt.* 5. 20.

Ant. 8. G. Niſi convérſi fuéritis, & efficiámini ſicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matt.* 18. 3.

Ant. 8. G. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; ſed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt. *Matt.* 7. 21.

Ant. 8. G. Conténdite intráre per angúſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt. *Luc.* 13. 24.

Capitulum. *Eccli.* 2. 8. 9. 10.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces veſtra. Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabúntur corda veſtra.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; & * Qui díligunt illum, † Conſervábunt vias illíus. *Eccli.* 2. 18. ℣. Plenitúdo legis, eſt diléctio. *Rom.* 13. 10.* Qui díligunt. Glória. † Conſervábunt.

Hymnus: Guill. Epiſc. Santon.

SUMMI puſíllus grex Patris,
Timóre mentem ſólvite;
Sui patérnus vos amor
Vult eſſe regni cómpotes.

EN regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim ſéculo

Ignótus, exóſus ſibi,
Qui pauper, & ſciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingréſſus, & viam Crucis,
Per dura Chriſtum prælia,
Per damna, non timet ſequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat ſiléntio;
In paúperum, parcus ſibi,
Abſcóndit & ſpargit ſinu.

Sapore verbi páſcitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celſa verſátur polo.

Hac ſurgit ad cœlum viâ:
Et nos eâdem da Pater,
Da Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre ſémitâ.
Amen.

℣. Qui confídunt in Dómino, intélligent veritátem: ℟. Et fidéles in dilectióne acquiéſcent illi. *Sap.* 3. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Qui ſperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem, aſſúment pennas ſicut áquilæ; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non deficient. *Iſai.* 40. 31.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Completorium, Ant.* 3. g. Non intrábit in ſanctam Jeruſalem aliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium. *Apoc.* 21. 27.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. D. Simplícitas juſtórum díriget eos: juſtítia rectórum liberábit eos. *Prov.* 11. 3. 6.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Diligéntem juſtos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 145. 8.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Non parta ſolo ſánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ ſuos
Habent triúmphos, prælia.

Non iſte flammas, non cruces,
Non ſenſit uncos péctines:
Crudélis & durus ſibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori,
Hoc ſupplet omne cáritas.

Corpus ſubégit cáſtitas;
Et líberam mentem fides,
Amor ſupérnis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.

Venis apértis ómnibus;
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.

Da, Chriſte, ſic nos vívere,
Diſcámus ut ſemper mori:
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gaúdia.

Æterne tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

Pſalmi de Feria.

In I. Nocturno.

Ant. 3. *a.* Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit; & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus,

& manſiónem apud eum faciémus. *Joan.* 14. 23.

Ant. 1. a. Omnis qui audit verba mea, & facit ea; aſſimilábitur viro ſapiénti, qui ædificávit domum ſuam ſupra petram. *Matt.* 7. 24.

Ant. 2. D. Qui perſpéxerit in legem perféctam libertátis, non audítor obliviósus factus; ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit. *Jac.* 1. 25.

℣. In lege Dómini volúntas ejus, ℟. Et in lege ejus meditábitur die ac nocte. *Pſ.* 1. 2.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam: * Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas; & in timóre Dómini declinátur à malo. *Prov.* 16. 5. 6. ℣. Qui vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. 1. *Petr.* 3. 10. 11. * Miſericórdiâ.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Si quis emundáverit ſe, * Erit vas in honórem ſanctificátum, & útile Domino, ad omne opus bonum parátum. 2. *Tim.* 2. 21. ℣. Sápiens cor abſtinébit ſe à peccátis, & in opéribus juſtítiæ ſuccéſſus habébit. *Eccli.* 3. 32. * Erit vas.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Qui timent Dóminum, præparábunt corda ſua; & * In conſpéctu illius † Sanctificábunt ánimas ſuas. *Eccli.* 2. 20. ℣. Miſericórdia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1. 50. * In conſpéctu. Glória. † Sanctificábunt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Ut filii lucis ambuláte; (fructus énim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítia, & veritáte) probántes quid ſit beneplácitum Deo. *Ephеſ.* 5. 8. 9. 10.

Ant. 3. E. Stábiles eſtóte, & immóbiles; abundántes in ópere Dómini ſemper, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino. 1. *Cor.* 15. 58.

Ant. 5. a. Vosmetípſos in dilectióne Dei ſerváte, expectántes miſericórdiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti in vitam ætérnam. *Juda* ℣. 21.

℣. Dilígite Dóminum omnes ſancti ejus; ℟. Quóniam veritátem requíret Dóminus. *Pſ.* 30. 24.

Lectiones in Proprio Sanctorum.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Tóllite jugum meum ſuper vos, & inveniétis réquiem animábus veſtris: * Jugum enim meum ſuáve eſt, & onus meum leve. *Matt.* 11. 29. 30. ℣. Interrogáte de ſémitis antíquis, quæ ſit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus veſtris. *Jer.* 6. 16. * Jugum.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Servíte Dómino in omni corde veſtro; & * Nolíte declináre poſt vana, quæ non próderunt vobis. 1. *Reg.* 12. 20. 21. ℣. Nolíte

lilígere mundum, neque ea ļuæ in mundo ſunt. 1. *Joan.* ᷊. 15.* Nolíte.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Satágite, ut ɔer bona ópera, certam veſtram vocatiónem, & electióıem faciátis;* Sic enim † Abunlánter miniſtrábitur vobis inróitus in ætérnum regnum eſu Chriſti. 2. *Petr.* 1. 10. 11. ℣. Operámini opus veſtrum nte tempus, & dabit vobis nercédem veſtram in témpore ùo. *Eccli.* 51. 38.* Sic enim. Glória. † Abundánter.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Vetus homo noſter ruxifixus eſt, ut deſtruátur orpus peccáti, & ultrà non erviámus peccáto. *Rom.* 6. 6.

Ant. 4. E. Qui mórtui ſumus ɔeccáto, quómodo adhuc viémus in illo? conſepúlti enim umus cum Chriſto per baptíſnum in mortem. *Rom.* 6. 2. 4.

Ant. 7. a. Sumus fílii Dei. ɔi autem fílii, & herédes; heédes quidem Dei, coherédes utem Chriſti: ſi tamen comátimur, ut & conglorificéour. *Rom.* 8. 16. 17.

℣. Mundémus nos ab omni nquinaménto carnis & ſpíriûs, ℟. Perficiéntes ſanctificaiónem in timóre Dei. 2. *Cor.* '. 1.

Evangelium & Homilia, ut n Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Non ſecúnlùm carnem ambulámus, ſed ecúndùm ſpíritum: qui enim ecúndùm carnem ſunt; quæ carnis ſunt, ſápiunt.* Qui ſecúndùm ſpíritum ſunt; quæ ſunt ſpíritûs, ſéntiunt. *Rom.* 8. 4. 5. ℣. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita ſunt ei. *Eccli.* 2. 19.* Qui ſecúndùm.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Hæc eſt cáritas Dei, ut mandáta ejus cuſtodiámus; & * Mandáta ejus grávia non ſunt. 1. *Joan.* 5. 3. ℣. Nihil dúlcius, quàm reſpícere in mandátis Dómini. *Eccli.* 23. 37.* Mandáta.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Nos debémus altérutrum dilígere.* Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & † Cáritas ejus in nobis perfécta eſt. 1. *Joan.* 4. 11. 12. ℣. Qui déſpicit próximum, peccat: miſericórdia & véritas præparant bona. *Prov.* 14. 21. 22. * Si diligámus. Glória. † Cáritas.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Benedícite ſervi Dómini Dómino: ℟. Laudáte & ſuperexaltáte eum in ſǽcula. *Dan.* 3. 85.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

DOmine non eſt exaltátum cor meum, neque eláti ſunt óculi mei; neque ambulávi in magnis. *Pſ.* 130. 1.

Ant. 4. E. Verébar ómnia ópera mea, ſciens quòd non párceres delinquénti. *Job* 9. 28.

Ant. 3. a. Non proponébam ante óculos meos rem injú-

ſtam; non adhæſit mihi cor pravum. *Pſ.* 100. 3. 4.

Ant. 8. G. Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo hunc perſequébar: óculi mei ad fidéles terræ ut ſédeant mecum. *Pſ.* 100. 5. 6.

Ant. 4. E. Benedíctio peritúri ſuper me veniébat, & cor víduæ conſolátus ſum; óculus fui cæco, & pes claudo; pater eram paúperum. *Job* 29. 13. 15. 16.

Capitulum. Job 29. 11. 12.

AUris aúdiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium reddébat mihi; eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem, & pupíllum cui non eſſet adjútor.

Hymnus. *Santol. Vict.*

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suſpírat, oblítus ſuî.

QUID ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules,
Cives polo quos déſtinas.

HINC fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna, vita lóngior.

VIX iſte tardi córporis
Pondus moléſtum ſúſtinet;
Mortis diem præóccupat
Ardens Deo ſe júngere.

ÆTERNE tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, non exaúdiet Dóminus. ℟. Proptérea exaudívit Deus. *Pſ.* 65. 18. 19.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G.* In juſtítia apparébo conſpéctui tuo, ſatiábor cùm apparúerit glória tua. *Pſ.* 16. 15.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, tríbue nobis, quæſumus, interceſſióne beáti N. miſericórdiam tuam; & quæcúnque præcipis ut agámus, ipſe ádjuva ut implére poſſimus; Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADéſto Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, quas in beáti N. ſolemnitáte deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per Dóminum.

AD HORAS, *Pſalmi de Feria.*

AD PRIMAM, *Ant.* Dómine.

AD TERTIAM, *Ant.* Verébar.

Capitulum. Philip. 2. 12. 13.

CAríſſimi, cum metu & tremóre veſtram ſalútem operámini; Deus eſt enim qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *breve*, Beátus vir * Qui timet Dóminum, ℟. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui timet. Glória. ℟. Beátus. *Pſ.* 111. 1.

℣. Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, ℟. Et in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus. *Pſ.* 146. 11.

Ad Sextam, *Ant.* Non proponébam.

Capitulum. *Job* 23. 11. 12.

VIam Dei cuſtodívi, & non declinávi ex ea; à mandátis labiórum ejus non recéſſi, & in ſinu meo abſcóndi verba oris ejus.

℟. *breve*, Lucérna pédibus meis * Verbum tuum. ℟. Lucérna. ℣. Et lumen ſémitis meis.* Verbum. Glória. ℟. Lucérna. *Pſ.* 118. 105.

℣. Servávi mandáta tua, & teſtimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo. *Pſ.* 118. 168.

Ad Nonam, *Ant.* Benedíctio peritúri.

Capitulum. *Jac.* 1. 27.

REligio munda, & immaculáta apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitáre pupíllos, & víduas in tribulatióne eórum; & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſéculo.

℟ *breve*, Flebam ſuper eo * Qui afflíctus erat, ℟. Flebam. ℣. Compatièbátur ánima mea paúperi. * Qui afflíctus. Glória. ℟. Flebam. *Job* 30. 25.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem; ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40. 2.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 8. *toni.* *G.*

BEátus qui invéntus eſt ſine mácula; qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus; fácere mala, & non fecit. *Eccli.* 31. 8. 10.

Ant. 5. a. Conſervávit legem Excélſi; & in tentatióne invéntus eſt fidélis. *Eccli.* 44. 20. 21.

Ant. 5. a. Non prætériit de univérſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. *Joſue* 11. 15.

Ant. 1. D. Immóbilis in Dei timóre permánſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob.* 2. 14.

Ant. 7. a. Stabilíta ſunt bona illíus in Dómino, & eleemóſynas illíus enarrábit omnis eccléſia ſanctórum. *Eccli.* 31. 11.

Capitulum. *Gal.* 6. 8.

FRatres, quæ ſemináverit homo, hæc & metet: quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem; qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Diſpérſit, dedit paupéribus; * Juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 111. 9. ℣. Erat religióſus ac timens Deum, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 2. * Juſtítia. Glória. * Juſtítia.

Hymnus, Summi puſíllus grex Patris, *ut in primis Veſperis.*

℣. Benedíctio Dei in mercédem juſti feſtínat, ℟. Et in hora velóci procéſſus illíus fructíficat. *Eccli.* 11. 24.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Diléctus Deo, & homínibus; cujus memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória ſanctórum, & oſténdit illi glóriam ſuam. *Eccli.* 45. 1. 2.

COMMUNE VIRGINUM MARTYRUM.

Omnia dicuntur ut infrà in Officio ſanctarum Virginum, exceptis quæ hìc notantur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Hymnus. *Santol. Vict.*

VIRGINUM robur, Deus, atque cuſtos:
Sexus imbéllis, médios per enſes,
Dum faves, quas non ſúperat viríli
Péctore mortes!

PRO tuis aris animóſa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non ſuos ſentit, memor ô! tuórum
Chriſte, dolórum.

NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram poſſunt violáre mentem:
Quin ſacri creſcit magis obſtinátus
Ardor amóris.

SPONSA diléctо placitúra ſponſo:
Déſpicit ruptum laniáta corpus:
Eſt ſuus truncis honor, & venúſtas
Eſt ſua membris.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúſque Nexus,
Fac tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Heréditas immaculatórum in ætérnum erit. ℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſ.* 36. 18. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Vincénti dabo manna abſcónditum, & dabo illi cálculum cándidum; & in cálculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui áccipit. *Apoc.* 2. 17.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Hymnus. *Santol. Vict.*

FESTIS læta ſonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, ſúmite tympana,
Cœtus Angélici, dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis amor? fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum fúndere ſánguinem;

Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præclára sítiens necis.
Sic quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.
Patri máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini;
Per quem magnánimæ prælia ſúſtinent
Spreto fúnere Vírgines.
Amen.

AD LAUDES MATUTINAS.

Hymnus, Vírginum robur, *ut in primis Veſperis.*

℣. Deus præcínxit me virtúte, ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſ.* 17. 32. 33.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Factus eſt Dóminus firmaméntum meum: liberávit me, quia complácui ei: retríbuet mihi ſecúndùm juſtítiam meam; & ſecúndùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi. 2. *Reg.* 22. 19. 20. 21.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam Martyrii contuliſti; concède propítius, ut qui beátæ N. vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per.

Alia Oratio.

Omnípotens ſempitérne Deus, cujus múnere beáta N. in virginitátis propóſito & in confeſſióne fidei roboráta, virginitátis ac martyrii palmam adépta eſt; da nobis ita córporis ac mentis integritátem ſerváre, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per.

Si ſint plures, Oratio.

Da nobis quæſumus, Dómine Deus noſter, ſanctárum vírginum ac mártyrum N. & N. palmas ſummâ veneratióne ſectári; ut quas non póſſumus ſatis dignè celebráre, humílibus ſaltem proſequámur obſéquiis; Per.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Hymnus, Feſtis læta ſonent, *ut in Officio Nocturno.*

℣. Vicérunt propter ſánguinem Agni, & propter verbum teſtimónii ſui; ℟. Et non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem. *Apoc.* 12. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* Caſta generátio in perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4. 1. 2.

COMMUNE SS. VIRGINUM.

In Primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 5. *toni.* a.

Quid bonum Dómini eſt, & quid pulcrum ejus,

niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9. 17.

*Ant.*7.b. Hæc dicit qui habet ſeptem ſpíritus Dei, & ſeptem ſtellas: Qui non inquinavérunt veſtiménta ſua, ambulábunt mecum in albis. *Apoc.* 3. 1. 4.

*Ant.*8. G. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum; dabo eis in domo mea locum. *Iſai.* 56. 4. 5.

Ant. 3. g. Dabo eis nomen mélius à filiis & filiábus: nomen ſempitérnum dabo eis. *Iſai.* 56. 5.

Ant. 8. G. Non omnes cápiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Qui poteſt cápere, cápiat. *Matt.* 19. 11. 12.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquíſque próprium donum habet ex Deo: álius quidem ſic, álius verò ſic; dico autem non nuptis, & víduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permáneant.

In Dupl. maj. ℟. Neſcítis quóniam córpora veſtra membra ſunt Chriſti? membra veſtra templum ſunt Spíritûs-ſancti qui in vobis eſt. *Glorificáte, & †Portáte Deum in córpore veſtro. 1. *Cor* 6. 15. 19. 20. ℣. Cuſtodítio legum, conſummátio incorruptiónis eſt; incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo. *Sap.* 6. 19. 20. * Glorificáte. Glória. † Portáte.

Hymnus.

VOs ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

Hæc eſt ſacra dies, óbvia quâ ſuo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponſo, ſtanſque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Solo digna Deo conjuge, réſpuit
Mortáles thálamos; ut ſemel óbligat
Seſe fida ſuo, quem bene déperit,
Ultro ſe Deus óbligat.

Purum ne máculent pectus imágines,
In ſe tota ſui córporis ímmemor
Mens ſeſe récipit, nil óculi vident,
Surdis nil ſonat aúribus.

Ægro vix ſua ſunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam ſibi prærípit;
Unus ſit Deus ómnia.

Fac ô Chriſte, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Fac ſoli tibi vívere.

Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus;

Da tê, Chriſte, ſequi, laúrea
Vírginum;
Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Divíni fructus, floréte
flores quaſi lílium; ℟. Et date
odórem. *Eccli.* 39. 17. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *C.*
Obaudíte me divíni fructus, &
quaſi roſa plantáta ſuper rivos
aquárum fructificáte; quaſi
Libanus odórem ſuavitátis
habéte. *Eccli.* 39. 17. 18.

*Oratio ut infrà ad Laudes,
niſi ſit propria.*

[*In Annualibus & Solemn.
ad Completorium, Ant.* 1. D.
Qui digni habebúntur ſéculo
illo, & reſurrectióne ex mórtuis,
neque nubent, neque
ducent uxóres. *Luc.* 20. 35.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.*
Æquáles Angelis ſunt, & filii
ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectiónis.
Luc. 20. 36.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Agnum quem
ſequúntur Vírgines,* Veníte,
adorémus. *Apoc.* 14. 4.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Cœlestis aula pánditur;
En ſponſus; ómnes óbviæ
Exíte Spónſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.

Hæc nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.

Quæ caſta vobis gaúdia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?

Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid virgo terris ámbiat?

O Virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

Sit laus Patri; laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœdera. Amen.

Pſalmi de Feria.

In I. Nocturno.

Ant. 3. g. Quis aſcéndet in
montem Dómini? aut quis
ſtabit in loco ſancto ejus?
ínnocens mánibus, & mundo
corde. *Pſ.* 23. 3. 4.

Ant. 6. F. Qui díligit cordis
mundítiam, habébit amícum
Regem. *Prov.* 22. 11.

Ant. 7. *d.* Omnis ponderátio
non eſt digna continéntis
ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

℣. Beáti immaculáti in via,
℟. Qui ámbulant in lege Dómini.
Pſ. 118. 1.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Felix eſt ſtérilis:
& * Incoinquináta habébit
fructum in reſpectióne
animárum ſanctárum. *Sap.* 3.
13. ℣. Fructus ſpíritûs eſt cáritas,
modéſtia, continéntia,
cáſtitas. *Gal.* 5. 22. 23. * Incoinquináta.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Dábitur illi ſors in templo Dei acceptíſſima ;* Bonórum enim labórum glorióſus eſt fructus , & quæ non cóncidat radix ſapiéntiæ. *Sap.* 3. 14. 15. ℣. Beáti mundo corde ; quóniam ipſi Deum vidébunt. *Matt.* 5. 8.* Bonórum.

Poſt 3. *Lect.* ℟. O quàm pulcrá eſt caſta generátio cum claritáte : * Immortális eſt enim memória illíus ; quóniam & †Apud Deum nota eſt, & apud hómines. *Sap.* 4. 1. ℣. Datum eſt illi , ut coopériat ſe byſſino ſplendénti & cándido. *Apoc.* 19. 8. * Immortális. Glória. † Apud.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. â. Veni de Líbano ſponſa mea , veni : coronáberis. *Cant.* 4. 8.

Ant. 2. D. In caritáte perpétua diléxi te , ídeo attráxi te , miſerans. *Jer.* 31. 3.

Ant. 7. *d.* Sta in ſorte propoſitiónis , in partes vade ſéculi ſancti , cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. *Eccli.* 17. 24. 25.

℣. Sponſábo te mihi in fide ; ℟. Et ſcies quia ego Dóminus. *Oſee* 2. 20.

Lectiones in Proprio Sanctorũ.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Sponſábo te mihi in ſempitérnum : * Et ſponſábo te in miſericórdia , & in miſeratiónibus. *Oſee* 2. 19. ℣. Scient quia ego diléxi te : tene quod habes , ut nemo accípiat corónam tuam. *Apoc.* 3. 9. 11. * Et ſponſábo.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Deo placeant ópera tua. Omni témpore * Sint veſtiménta tua cándida : quodcúnque fácere poteſt manus tua , inſtánter operáre. *Eccle.* 9. 7. 8. 10. ℣. Ecce vénio ſicut fur. Beátus qui vígilat , & cuſtódit veſtiménta ſua. *Apoc.* 16. 15. * Sint.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum , ut ſignáculum ſuper bráchium tuum ; * Quia † Fortis eſt ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6. ℣. Neque inſtántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit ſeparáre à caritáte Dei. *Rom.* 8. 38. 39. * Quia fortis. Glória. † Fortis.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. *D.* Pater meus , dux virginitátis meæ tu es. *Jer.* 3. 4.

Ant. 1. â. Trahe me : poſt te currémus in odórem unguentórum tuórum. *Cant.* 1. 3.

Ant. 3. E. In velaménto alárum tuárum exultábo , adhæſit ánima mea poſt te ; me ſuſcépit déxtera tua. *Pſ.* 62. 8. 9.

℣. In voluntáte tua deduxíſti me , ℟. Et cum glória ſuſcepíſti me. *Pſ.* 72. 24.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Perdidíſti omnes qui fornicántur abs te. * Mihi adhærére Deo bonum eſt , pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72. 27. 28. ℣. Qui adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt. 1. *Cor.* 6. 17.* Mihi adhærére.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Lex tua, Dómine, meditátio mea eſt. Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, ut non confúndar. *Pſ.* 118. 77. 80. ℣. Scio quia ſecúndùm expectatiónem & ſpem meam, in nullo confúndar. *Philipp.* 1. 19. 20. * Fiat cor.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, & * Secúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi. *Pſ.* 17. 25. ℣. Grátias ago Deo, cui ſérvio in conſciéntia pura. 2. *Tim.* 1. 3. * Secúndùm. * Glória. * Secúndùm.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Cantábo tibi Dómine, ℟. Pſallam & intélligam in via immaculáta. *Pſ.* 100. 1. 2.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni. a.*

DIléctus meus deſcéndit in hortum ſuum ad aréolam arómatum, ut lília cólligat. *Cant.* 6. 1.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum; nec dimíttam. *Cant.* 3. 4.

Ant. 2. D. Ego diléćto meo, & diléctus meus mihi, qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. 6. F. Diléctus meus ordinávit in me caritátem: fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis. *Cant.* 2. 4. 5.

Ant. 1. f. Me propter innocéntiam ſuſcepíſti Dómine, & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum. *Pſ.* 40. 13.

Capitulum. *Sap.* 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

Hymnus. *Muret.*

O Virgo, pectus cui ſacrum
Amóris expers ímprobi,
Intus ſuis ardóribus
Sanctus perúſſit Spíritus.

NON te volúptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amántem pérſequi
Cœléſtis Agni núptias.

SIC ille natus Vírgine
Suò decóre cœperat;
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

BEATA cui nunc Cœlitum
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponſi potíri gaúdiis.

ÆTERNE ſponſe Vírginum,
Jeſu tibi ſit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Sitívit in te ánima mea; ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Pſ.* 62. 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me veſtiméntis ſalútis, quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. *Iſai.* 61. 10.

Oratio.

FIdéles tuos, quæſumus Dómine, intercedénte beáta

N. vírgine tuâ, córpore páriter & mente puríſica; ut tuâ inſpiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant; atque ut eárum non capiántur illécebris, tuâ ſemper ſuavitáte paſcántur; Per.

Alia Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti; concéde, ut qui fidélis ſponſæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ devotiónis ſequámur exémplo; Per Dóminum.

Pro pluribus Virginibus, Oratio.

DEus, qui nos hódie ſanctárum vírginum tuárum N. & N. ánnuâ feſtivitáte lætíficas; concéde propítius, ut eárum adjuvémur précibus, quarum caſtitátis irradiámur exémplis; Per Dóminum.

AD HORAS, *Pſalmi de Feria.*

AD PRIMAM, *Ant.* Diléctus meus.

AD TERTIAM, *Ant.* Invéni.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 25.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam miſericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

℟. *breve*, Regi vírgines afferéntur * In lætítia & exultatióne, ℟. Regi. ℣. Adducéntur in templum Regis.* In lætítia. Glória. ℟. Regi. *Pſ.* 44. 15. 16.

℣. Oleum effúſum nomen tuum; ℟. Ideo adoleſcéntulæ dilexérunt te. *Cant.* 1. 2.

AD SEXTAM, *Ant.* Ego dilécto meo.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 34.

MUlier innúpta, & virgo, cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu: quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi; quómodo pláceat viro.

℟. *breve*, Divíni fructus benedícite Dóminum * In opéribus ſuis. ℟. Divíni. ℣. Date nómini ejus magnificéntiam. * In opéribus. Glória. ℟. Divíni. *Eccli.* 39. 19. 20.

℣. Confitémini illi in voce labiórum veſtrórum, ℟. Et in cánticis labiórum. *Eccli.* 39. 20.

AD NONAM, *Ant.* Me propter innocéntiam.

Capitulum. 2. *Cor.* 11. 2.

ÆMulor vos Dei æmulatióne; deſpóndi enim vos uni viro Vírginem caſtam exhibére Chriſto.

℟. *breve*, Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? ℟. Quid. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. * Et à te. Glória. ℟. Quid. *Pſ.* 72. 25. 26.

℣. Déficit ánima mea in átria Dómini. ℟. Cor meum, & caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Pſ.* 83. 2. 3.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* 2.

VIrgines accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviam ſponſo & ſponſæ. *Matt.* 25. 1.

Ant.

Ant. 7. a. Prudéntes accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampădibus; & ornavérunt lámpades ſuas. *Matt.* 25. 4. 7.

Ant. 4. *irreg.* A. Médiâ nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exíte óbviàm ei. *Matt.* 25. 6.

Ant. 4. d. Venit ſponſus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matt.* 25. 10.

Ant. 1. *D.* Vírgines ſequúntur Agnum quocúnque íerit; ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4. 5.

Capitulum. *Apoc.* 14. 1.

VIdi: & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in fróntibus ſuis.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Audívi vocem de cœlo: & vocem, quam audívi, ſicut citharizántium in cítharis ſuis. Et * Cantábant quaſi cánticum novum, ante ſedem Agni. *Apoc.* 14. 2. 3. ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua Dómine. *Pſ.* 96. 8. * Cantábant. Glória. * Cantábant.

Hymnus, Cœléſtis, *ut in Officio Nocturno.*

℣. Vírgines laudent nomen Dómini; ℟. Quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *Pſ.* 148. 12. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Gaudeámus, & exultémus, demus glóriam Deo; quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit ſe. Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. *Apoc.* 19. 7. 9.

COMMUNE SS. VIRGINUM Monialium.

Omnia dicuntur ut ſuprà in Officio ſanctarum Virginum; exceptis quæ hìc notantur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Poſt Hymnum; ℣. Súſcipe me, Dómine, ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; ℟. Et non confúndas me ab expectatióne mea. *Pſ.* 118. 116.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? & volábo, & requiéſcam; quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónem in civitáte. *Pſ.* 54. 7. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes; niſi ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Oblivíſcere pópulum tuum, ℟. Et domum patris tui. *Pſ.* 44. 11.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Cave ne quando oblivíſcáris pacti Dómini Dei tui, quod pépigit tecum; quia Dóminus Deus tuus ignis conſúmens eſt, Deus æmulátor. *Deut.* 4. 23. 24.

Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti; concéde, ut qui

fidélis ſponſæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ devotiónis ſequámur exémplo; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. d. Quòd relíqueris paréntes tuos, & terram in qua nata es; plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ſub cujus confugíſti alas. *Ruth* 2, 11. 12.

COMMUNE MULIERUM Martyrum.

Omnia dicuntur ut infrà in Officio ſanctarum Mulierum, exceptis quæ hìc notantur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Poſt Hymnum, ℣. Laudábo nomen tuum aſſíduè, ℟. Et collaudábo illud in confeſſióne. *Eccli.* 51. 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D.* Humílium & manſuetórum ſemper tibi plácuit deprecátio: Deus cœlórum, exaúdi me deprecántem, & de tua miſericórdia præſuméntem; ut gentes agnóſcant quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. *Judith* 9. 16. 17. 19.

Orátio infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Arcus fórtium ſuperátus eſt, ℟. Et infirmi accíncti ſunt róbore. 1. *Reg.* 2. 4.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. E. Supra modum mirábilis, & bonórum memóriâ digna, bono ánimo ferébat propter ſpem quam in Deum habébat. 2. *Mach.* 7. 20.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perficitur; largíre nobis, quæſumus, beátæ N. Mártyris tuæ triúmphum recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincéndi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Si ſint plures, Orátio.

DEus, qui hodiérnam diem ſanctárum N. & N. Martyrio conſecráſti; concéde ut omnes qui eárum victóriam venerántur, protectiónis tuæ auxílio muniántur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; ℟. Quia lætáta ſum in ſalutári tuo, Dómine. 1. *Reg.* 2. 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Exaudíta eſt orátio mea: & liberáſti me de perditióne, & eripuíſti me de témpore iníquo; proptérea confitébor, & laudem dicam tibi. *Eccli.* 51. 15. 16. 17.

COMMUNE
SS. MULIERUM.
IN PRIMIS VESPERIS.
Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* a.

MUlierem fortem quis inveniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. *Prov.* 31. 10.

Ant. 2. D. Grátia verecúndiæ mulíeris ſenſátæ & bonæ ſuper aurum. *Eccli.* 7. 21.

Ant. 3. a. Múlier díligens, coróna eſt viro ſuo. *Prov.* 12. 4.

Ant. 7. *d.* Múlier ſenſáta, & tácita; non eſt immutátio erudítæ ánimæ. *Eccli.* 26. 18.

Ant. 2. D. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Capitulum. *Prov.* 19. 14.

DOmus & divítiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem própriè uxor prudens.

In Duplicibus - majoribus, ℟. Fallax grátia, & * Vana eſt pulcritúdo: † Múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur. *Prov.* 31. 30. ℣. Non ſit extrínſecùs capillatúra, aut circundátio auri. 1. *Petr.* 3. 3. * Vana eſt. Glória. † Múlier timens.

Hymnus. *Santol. Vict.*

ADESTE ſanctæ Cónjuges:
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

NON illa luxu véſtium,
Non crine torto ſplénduit;
Cultu nitens ſed símplice,
Puris placébat móribus.

SE ſub ſerénis vúltibus
Auſtéra virtus ócculit;
Timet vidéri ne ſuum,
Dum prodit, amíttat decus.

PASCENDA cœléſti cibo,
Sacris ſtudébat lítteris;
Templo fréquens, ſed ſédula
Redíbat ad curam domûs.

ÆTERNE tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Sápiens múlier ædíficat domum ſuam: ℟. Insípiens extrúctam quoque mánibus déſtruet. *Prov.* 14. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Fáciat Dóminus hanc mulíerem ſicut Rachel, & Liam; ut ſit exémplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ruth* 4. 11.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

[*In Annualibus & Solemnibus ad Complet. Ant.* 2. D. Mulíeres ſúbditæ eſtóte viris, ſicut opórtet, in Dómino. *Coloſſ.* 3. 18.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Sara obediébat Abrahæ, dóminum eum vocans; cujus eſtis filíæ bene faciéntes. 1. *Petr.* 3. 6.]

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Deum in quo ſperant ſanctæ mulieres, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 3

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus. *Santol. Vict.*

ARDET Deo quæ fémina,
Latére fruſtrà cógitat:
Quot indigéntes ſúblevat,
Tot próditur præcónibus.
PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos vírginum,
Secúnda mater órphanis.
PANNIS laténtem vílibus
Chriſtum fovébat hóſpitem;
Quas dura ſubtráxit ſibi,
Opes refúndit pródiga.
PACEM domi, pacem forìs
Alto colit ſiléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens ſit ómnibus.
ÆTERNE tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. g. Opórtet mulíeres eſſe pudícas, non detrahéntes, ſóbrias, fidéles in ómnibus. 1. *Tim.* 3. 7. 11.

Ant. 2. D. Prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, viros ſuos ament, fílios ſuos díligant. *Tit.* 2. 4.

Ant. 1. D. * Mulíeres viris ſuis ſúbditæ ſint, ſicut Dómino. *Epheſ.* 5. 22.

℣. Viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulíeris, vir: ℟. Caput verò Chriſti, Deus. 1. *Cor.* 11. 3.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Fílii ſanctórum ſumus, & * Non póſſumus ita conjúngi ſicut gentes, quæ ignórant Deum. *Tob.* 8. 5. ℣. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. *Hebr.* 13. 4. * Non póſſumus.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Sunt, quibus prævalére poteſt dæmónium: * Hi namque qui conjúgium ita ſuſcípiunt, ut Deum à ſua mente exclúdant: habet poteſtátem dæmónium ſuper eos. *Tob.* 6. 17. 18. ℣. Hæc eſt volúntas Dei; ut ſciat unuſquíſque vas ſuum poſſidére in ſanctificatióne; non in paſſióne deſidérii. 1. *Theſſ.* 4. 3. 4. 5. * Hi namque.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic conſéntit habitáre cum illa, non dimíttat virum; * Sanctificátus eſt enim vir infidélis per mulíerem fidélem. 1. *Cor.* 7. 13. 14. ℣. Qui invénit mulíerem bonam, invéniet bonum: & haúriet jucunditátem à Dómino. *Prov.* 18. 22. * Sanctificátus eſt. Glória. * Sanctificátus eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, tu ſcis quòd nunquam lætáta ſit ancílla tua, niſi in te Dómine Deus. *Eſther* 14. 14. 16. 18.

Ant. 7. d. Tu ſcis Dómine, quia virum cum timóre tuo, non cum libídine mea, conſénſi ſuſcípere. *Tob.* 3. 16. 18.

Ant. 5. a. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domûs meæ. *Pſ.* 100. 2.

ı ℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar ; ℟. Omnem viam iníquam ódio hábui. *Pſ.* 118. 128.

Lectiones in Proprio Sanctorũ.

Poſt 4. *Lect.* ℟. Adjuva me ncíllam tuam, núllum áliud uxílium habéntem, niſi te Dómine.* Noſti quia óderim glóriam iniquórum. *Eſther* 14. 4. 15. ℣. Quæ participátio ıſtítiæ cum iniquitáte? 2. *Cor.* . 14.* Noſti quia óderim.

Poſt 5. *Lect.* ℟. Complácui ı veritáte tua.* Non ſedi cum oncílio vanitátis; odívi ecclé- am malignántium. *Pſ.* 25. 3. . 5. ℣. Corrúmpunt mores onos collóquia mala. 1. *Cor.* 5. 33. * Non ſedi.

Poſt 6. *Lect.* ℟. Mundam ſer- ávi ánimam meam ab omni oncupiſcéntia. * Nunquam ım ludéntibus míſcui me; Neque cum his, qui in levi- te ámbulant, partícipem me ːæbui. *Tob.* 3. 16. 17. ℣. Exul- vit ſpíritus meus in Deo ſa- tári meo. *Luc.* 1. 47.* Nun- ıam. Glória. † Neque cum s.

N III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Accínxit fortitú- ıe lumbos ſuos, & roborávit íchium ſuum. *Prov.* 31. 17.

Ant. 4. E. Quæſívit lanam & um, & operáta eſt consílio ınuum ſuárum. *Prov.* 31. 13.

Ant. 7. c. Conſiderávit ſé- ːas domûs ſuæ, & panem óſa non comédit. *Prov.* 31.

℣. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ, ℟. Et lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31. 26.

Evangelium & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

Poſt 7. *Lect.* ℟. Confídit in ea cor viri ſui: * De nocte ſurréxit, dedítque prædam doméſticis ſuis, & cibária ancíllis ſuis. *Prov.* 31. 11. 15. ℣. Si quis ſuórum, & máximè domeſticórum curam non habet, fidem negávit, & eſt infidéli detérior. 1. *Tim.* 5. 8. * De nocte.

Poſt 8. *Lect.* ℟. Non ſit extrínſecùs induménti veſtimentórum cultus; ſed qui abſcónditus eſt cordis homo, in incorruptibilitáte modéſti ſpíritûs, qui eſt in conſpéctu Dei lócuples. * Sic & ſanctæ mulíeres ornábant ſe. 1. *Petr.* 3. 3. 4. 5. ℣. Fortitúdo & decor induméntum mulíeris fortis. *Prov.* 31. 25. * Sic & ſanctæ.

Poſt 9. *Lect.* ℟. Erat in ómnibus famoſíſſima, quóniam * Timébat Dóminum valde, † Nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith* 8. 8. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſynis quas faciébat. *Act.* 9. 36. * Timébat. Glória. † Nec erat.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Glorificábo nomen tuum in ætérnum : ℟. Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me. *Pſ.* 85. 12. 13.

Pſalmi de Feria.

Antiphona. 2. *toni.* D.

IN ancílla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. *Judith* 13. 18.

Ant. 3. *a.* Erat cor ejus fidúciam habens in Dómino. *Dan.* 13. 35.

Ant. 4. E. Habens ſuper lumbos ſuos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Judith* 8. 6.

Ant. 5. a. Non diſcedébat de templo, jejúniis & obſecratiónibus ſérviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Ant. 6. F. Beatíſſimam prædicavérunt; vir ejus & laudávit eam. *Prov.* 31. 28.

Capitulum. *Eccli.* 26. 21.

SIcut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic mulíeris bonæ ſpécies in ornaméntum domûs.

Hymnus. *Santol. Vict.*

O Jam beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur.

Per quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos ſolútæ cónjuges.

Insignis & nos féminæ
Sequi decet veſtígia;
Magnum vel ipſis quæ fuit
Virtútis exémplum viris.

Queis arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac, mens te colat.

Æterne tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri;
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Múlier fortis oblécıat virum ſuum, ℟. Et annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D.* Salvábitur múlier, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte. 1. *Tim.* 2. 15.

Oratio.

DEus, vita fidélium, glória humílium, & beatitúdo juſtórum, interveniénte beátâ N. propítius réſpice ſúpplicum preces; ut ánimæ quæ promiſſiónes tuas ſítiunt, de tuæ caritátis abundántia repleántur; Per Dóminum.

Ad Horas, *Pſalmi de Feria.*

Ad Primam, *Ant.* In ancílla.

Ad Tertiam, *Ant.* Erat cor ejus.

Capitulum. *Eccli.* 40. 19.

FIlii, & ædificátio civitátis confirmábit nomen, & ſuper hæc múlier immaculáta computábitur.

℟. *breve*, Timor Dómini, * Cum eléctis fémınis gráditur, ℟. Timor. ℣. Et cum juſtis & fidélibus agnóſcitur. * Cum eléctis. Glória. ℟. Timor. *Eccli.* 1. 16.

℣. Timor Dómini, ſciéntiæ religióſitas: ℟. Religióſitas cuſtódiet & juſtificábit cor. *Eccli.* 1. 17.

Ad Sextam, *Ant.* Habens.

Capitulum. 1. *Petr.* 3. 1. 2.

MUlíeres ſúbditæ ſint viris ſuis; ut & ſi qui non credunt verbo, per mulíerum converſatiónem ſine verbo lucrifiant; conſiderántes in timóre caſtam converſatiónem veſtram.

℟. *breve*, Mandáta Dei * In corde mulíeris ſanctæ. ℟. Mandáta. ℣. Fundaménta ætérna ſupra petram ſólidam. * In corde. Glória. ℟. Mandáta. *Eccli.* 26. 24.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſ.* 36. 31.

Ad Nonam, *Ant.* Beatíſſimam.

Capitulum. *Eccli.* 36. 26.

QUi póſſidet mulíerem bonam, ínchoat poſſeſſiónem: adjutórium ſecúndùm illum eſt, & colúmna ut réquies.

℟. *breve*, Grátia mulíeris ſédulæ * Delectábit virum ſuum, ℟. Grátia. ℣. Diſciplína illíus datum Dei eſt. * Delectábit. Glória. ℟. Grátia. *Eccli.* 26. 16. 17.

℣. Mulíeris bonæ beátus vir; ℟. Númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26. 1.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 4. *toni.* E.

DAte mulíeri forti de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Ant. 1. a. Magna facta eſt; erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. *Judith* 16. 25. 26.

Ant. 7. c. Orábat Dóminum Deum Iſraël; & munda manébat in tabernáculo. *Judith* 12. 8.

Ant. 6. F. Sperávit in Deo, & perrèxit in præcéptis illíus. 2. *Par.* 17. 3. 4.

Ant. 4. d. Corpus ſuum humiliávit jejúniis; & deprecabátur Dóminum Deum Iſraël. *Eſther* 14. 2. 3.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 8. 9. 10.

VOlo mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſa; ſed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

In Duplicibus-majoribus, ℟. Manum ſuam miſit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fuſum: * Manum ſuam apéruit ínopi, & † Palmas ſuas exténdit ad paúperem. *Prov.* 31. 19. 20. ℣. Sic laborántes, opórtet ſuſcípere infírmos, ac meminíſſe verbi Dómini: Beátius eſt magìs dare, quàm accípere. *Act.* 20. 35. * Manum ſuam. Glória. † Palmas ſuas.

Hymnus, O jam beáta, *ſuprà in Laudibus.*

℣. Ora pro nobis Dóminum, ℟. Quóniam múlier ſancta es; *Judith* 8. 29.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Eò quòd caſtitátem amáver manus Dómini confortáv

& ídeo eris benedícta in ætérnum. *Judith* 15. 11.

COMMUNE SS. VIDUARUM.

Omnia dicuntur ut ſuprà in Officio ſanctarum Mulierum, exceptis quæ notantur infrà.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Poſt Hymnum, ℣. Dóminus pupíllum, & víduam ſuſcípiet; ℟. Et vias peccatórum diſpérdet. *Pſ.* 145. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D.* Vídua eligátur in opéribus bonis teſtimónium habens, ſi fílios educávit, ſi hoſpítio recépit, ſi ſanctórum pedes lavit, ſi tribulatiónem patiéntibus ſubminiſtrávit, ſi omne opus bonum ſubſecúta eſt. 1. *Tim.* 5. 9. 10.

Oratio infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Quæ verè vídua eſt, & deſoláta, ſperet in Deum, ℟. Et inſtet obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Víduas honóra, quæ verè víduæ ſunt; nam quæ in delíciis eſt, vivens mórtua eſt. Et hoc præcipe, ut irreprehensíbiles ſint. 1. *Tim.* 5. 3. 6. 7.

Oratio.

DEus, in quem ſperat omnis ánima quæ adhuc in terris póſita, ſe verè víduam ſentit ac deſolátam; tribue nobis quæſumus, ut exémplo beátæ N. obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die inſtántes, cœléſtium conſolatiónum mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Non deſpíciet Dóminus preces pupílli; nec víduam, ℟. Si effúndat loquélam gémitûs. *Eccli.* 35. 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Hæc vídua confitebátur Dómino; & loquebátur de illo ómnibus, qui expectábant redemptiónem Iſraël. *Luc.* 2. 37.

COMMUNE SS. POENITENTIUM.

Omnia dicuntur ut in Communi SS. Laïcorum, exceptis quæ ſequuntur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Poſt Hymnum, ℣. Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; ℟. Et tu remiſíſti impietátem peccáti mei. *Pſ.* 31. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G.* Dómine Deus meus, poſtquam convertiſti me, egi pœniténtiam: erúbui, quóniam ſuſtínui oppróbrium adoleſcéntiæ meæ. *Jer.* 31. 18. 19.

Oratio infrà in Laudibus, niſi ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Miſericórdia tua magna eſt ſuper me,

℟. Et eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri. *Pſ.* 85.13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Pœniténtibus dedit Deus viam juſtítiæ. Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad ſe! *Eccli.* 17. 20. 28.

Oratio.

DA quæſumus omnípotens Deus, ut beátus N. qui tuis donis éxtitit glorióſus, apud te pro noſtris crimínibus exíſtat intervéntor idóneus; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem meam, ℟. Et miſericórdiam ſuam à me. *Pſ.* 65.20.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Ubi abundávit delíctum, ſuperabundávit grátia; ut ſicut regnávit peccátum in mortem, ita & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, per Jeſum Chriſtum. *Rom.* 5. 20. 21.

OFFICIUM B^TÆ MARIÆ IN SABBATO.

In Vesperis *Feriæ ſextæ præcedentis, Pſalmi & Antiphonæ dicuntur ut in Pſalterio.*

Capitulum. *Iſai.* 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet, & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

AVe radix Jeſſe,
Quæ Patris ætérni
Verbum carnem factum
Peperíſti Virgo.

Tu mons de quo parvus
Sciſſus ſine manu
Lapis univérſum
Adimplévit orbem.

Tu, quam adumbrábant
Vellus Gedeónis,
Rubus incombúſtus,
Et Arónis virga.

Mulieres inter
Omnes benedícta,
Jugi tuum prece
Mater flecte Natum.

Per hunc tu ſerpéntis
Contrivíſti caput,
Per hunc victa mors eſt,
Reparáta vita.

Fac ut nobis mores
Præſtet ille puros,
Det nobis ætérnâ
Secum vitâ frui.

Sit laus ſumma Patri,
Sit laus Nato compar,
Cum Spíritu-ſancto:
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo: quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ. *Luc.* 1. 47. 48.

Oratio infrà in Laudibus.

Deinde fit Commemoratio de Feſto Simplici, ſi quod occurrat.

COMPLETORIUM, *ut in Pſalterio. In fine hymnorum Doxologia,*

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſécula. Amen.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

DAVIDIS ſóboles, glória vírginum,
Chriſti Virgo parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo quæ malè ſúbdoli
Anguis contéreres caput.

REBUS princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium ſumpſit homo Deus;
Cunctis proſpíciens qui tríbuit cibos,
Paſtus lacte fuit tuo.

PER te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur aúctiùs:
Tu clauſas míſeris, heu nímiúm diu!
Cœlórum réſeras fores.

QUI lucis pater eſt, glória ſit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fecúnda, tibi nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

Pſalmi de Sabbato ſub tribus Antiphonis infrà poſitis.

Ant. 4. f. Appáruit Móyſi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non combureréturs. *Exod.* 3. 2.

Ant. 8. G, Cùm virgas poſuíſſet Móyſes coram Dómino, invénit germináſſe virgam Aáron. *Num.* 17. 7. 8.

Ant. 5. a. Abſcíſſus eſt lapis de monte ſine mánibus; lapis autem factus eſt mons magnus, & implévit univérſam terram. *Dan.* 2. 34. 35.

℣. Fons parvus crevit in flúvium máximum, ℟. Et in aquas plúrimas redundávit. *Eſther* 11. 10.

Pater noſter.

Benedictio, Deus det nobis, &c. *poſt Pſalterium.*

Lectio prima & ſecunda de Scriptura occurrente: ex tribus fiunt duæ.

Poſt 1. *Lect.* ℟. Benedícam ei, & ex illa dabo fílium cui benedictúrus ſum; * Conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempitérnum, & ſémini ejus poſt eum. *Gen.* 17. 16. 19. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur, & regnábit in domo Jacob in ætérnum. *Luc.* 1. 32. * Conſtítuam.

Benedictio, Dignos fáciat nos, &c.

Poſt 2. *Lect.* ℟. Páriet María fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum; * Ipſe enim ſal-

vum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. *Matt.* 1. 21.
℣. Partúriens páriet, & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Iſraël. *Mich.* 5. 3.
* Ipſe enim.

Benedictio, Aperiántur, &c.

Pro tertia Lectione legitur una ex ſequentibus, ſecundùm diverſitatem menſium.

Poſt 3. *Lect.* ℟. Deus, ex ſémine David * Secúndùm promiſſiónem, † Edúxit Iſraël ſalvatórem Jeſum. *Act.* 13. 23.
℣. Jurávit Dóminus David veritátem: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11. * Secúndùm. Glória. † Edúxit.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

Pſalmi de Sabbato.

Antiphona ſola 1. *toni.* 2.
Sicut lux auróræ, oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23. 4.

Capitulum. *Cant.* 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

Hymnus. *Santol Vict.*

NUNC auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procul diſſipat umbras:
O quàm lucídior, nocte ſepúltis
Portans ipſa diem, Virgo refúlges!

O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis.
Te ſi terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?

INTER perpétuos Núminis hauſtus,
O regína, tibi ſánguine junctum
Ne dedíſce genus; noſtra fuíſti,
Summi facta parens Virgo Tonántis.

DIVINÆ ſóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fecúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *f.* * Ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. *Gal.* 4. 4. 5.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne, à præſ-

rári triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio de Feſto Símplici, ſi quod occurrat.

Ad Horas, *Pſalmi de Sabbato.*

Ad Primam, *Ant.* 2. D. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Capitulum, Regi ſeculórum, *ut in Pſalterio.*

In ℟. *brevi*, ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, *Ant.* 4. *irreg.* c. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. *Judith* 13. 24.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuum.

℟. *breve*, Benedíxit te Dóminus * In virtúte ſua; ℟. Benedíxit. ℣. Quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. * In virtúte. Glória. ℟. Benedíxit. *Judith* 13. 22.

℣. Nova bella elégit Dóminus, ℟. Et portas hóſtium ipſe ſubvértit. *Judic.* 5. 8.

Ad Sextam, *Ant.* 7. c. Per manum féminæ percúſſit illum Dóminus Deus noſter. *Judith* 13. 19.

Capitulum. Apoc. 12. 9.

PRojéctus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui vocátur diábolus & ſátanas qui ſedúcit univérſum orbem.

℟. *breve*, Dóminus omnípotens * Nócuit eum, ℟. Dóminus. ℣. Et trádidit eum in manus féminæ. * Nócuit. Glória. ℟. Dóminus. *Judith* 16. 7.

℣. Salvátæ ſunt relíquiæ pópuli; ℟. Dóminus in fórtibus dimicávit. *Judic.* 5. 13.

Ad Nonam, *Ant.* 1. a. Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Bar.* 5. 3.

Capitulum. Judith 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. *breve*, Vocábunt te * Civitátem Dómini, ℟. Vocábunt. ℣. Sion ſancti Iſraël. * Civitátem. Glória. ℟. Vocábunt. *Iſai.* 60. 14.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

LECTIONES SEQUENTES dicuntur ſingulis menſibus in Officio B. Mariæ in Sabbato.

MENSE SEPTEMBRI.

De epíſtola ſancti Leónis papæ ad Pulchériam Auguſtam.

Epiſt. 27. *Lectio* iij.

SAcraméntum reconciliatiónis noſtræ ante témpora ætérna diſpóſitum, nullæ implébant figúræ; quia nondum ſupervénerat Spíritus-ſanctus in Vírginem, nec virtus Altíſſimi obumbráverat ei: ut & intrà intemeráta víſcera, ædificánte ſibi ſapiéntiâ domum,

Verbum caro fieret; & formâ Dei ac formâ ſervi in unam conveniénte perſónam, Creátor témporum naſcerétur in témpore; & per quem facta ſunt ómnia, ipſe inter ómnia gignerétur. Niſi enim novus homo, factus in ſimilitúdinem carnis peccáti, noſtram ſuſcíperet vetuſtátem; & conſubſtantiális Patri, conſubſtantiális eſſe dignarétur & Matri, naturámque ſibi noſtram ſolus à peccáto liber uníret; ſub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

MENSE OCTOBRI.

De ſermóne ſancti Procli epíſcopi.

Homil. de Domini noſtri J. C. Nativ. §. 1. *Lectio* iij.

SAcra Deípara María illibátæ virginitátis purus eſt ille theſaúrus decúſque & ornaméntum; hæc ſpirituális ſecúndi Adam paradíſus; hæc thálamus in quo Verbum humánam carnem ſibi deſponſávit. Hæc animátus natúræ rubus quem divíni partûs ignis non combúſſit; hæc verè levis illa nubes quæ ſuper Chérubim ſedéntem in córpore ſuo geſtávit. Hæc vellus mundíſſimum cœléſti plúviâ madens, ex quo paſtor ovem índuit.

MENSE NOVEMBRI.

Ex libris Morálium ſancti Gregórii papæ.

Lib. 18 *c.* 28. §. 36. *Lectio* iij.

MEdiátor Dei atque hóminum, homo Chriſtus Jeſus,] non ſicut quidam hæréticus déſipit, alter in humanitáte, alter in deitáte eſt. Non purus homo concéptus atque éditus, poſt, per méritum, ut Deus eſſet, accépit; ſed nuntiánte Angelo, & adveniénte Spíritu, mox Verbum in útero, mox intrà úterum Verbum caro, & manénte incommutábili eſſéntiâ, quæ ei eſt cum Patre & cum ſancto Spíritu coætérna, aſſúmpſit intrà virgínea víſcera. Unde & impaſſíbilis pati, & immortális mori, & ætérnus ante ſécula, temporális poſſet eſſe in fine ſeculórum: ut per ineffábile ſacraméntum, concéptu ſancto, & partu inviolábili, ſecúndùm veritátem utriúſque natúræ, éadem virgo & ancílla Dómini eſſet & mater.

MENSE DECEMBRI.

De ſermóne ſancti Bernárdi abbátis.

Super Miſſus eſt, *Homil.* 1. §. 5. *Lectio* iij.

QUæ eſt hæc Virgo tam venerábilis, ut ſalutétur ab Angelo; tam húmilis, ut deſponſáta ſit fabro? Pulcra permíxtio virginitátis & humilitátis, nec medíocriter placet Deo illa ánima, in qua & humílitas comméndat virginitátem, & virgínitas exórnat humilitátem. Sed quantâ putas veneratióne digna eſt, in qua humilitátem exáltat fecúnditas, & partus cónſecrat virginitátem? Audis vírginem, au-

dis húmilem: ſi non potes virginitátem húmilis, imitáre humilitátem vírginis. Laudábilis virtus virgínitas, ſed magìs neceſſária humílitas.

OFFICIUM PARVUM

BTÆ MARIÆ.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Dómine lábia mea, &c.

Invitatorium, Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

O Quàm glorífica luce coruſcas,
Stirpis Davídicæ régia proles,
Sublímis réſidens virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!

Tu cum virgíneo mater honóre,
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viſcéribus caſta dediſti;
Humános Deus hinc índuit artus.

Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc rite genu fléctitur omne,
A quo, te précibus ſubveniénte,
Ætérni pétimus gaúdia regni.

Divinæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fecúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

In I. Nocturno.

Feriâ II. & V.

Ant. ſola 4. f. Appáruit.

Pſalmus 18.

Coeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo:

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à ſummo cœlo egréſſio ejus,

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſéculum ſéculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum mul-

ſum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Pſalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciόſus formâ præ fíliis hóminum, diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * potentíſſime,

Spécie tuâ, & pulcritúdine tuâ * inténde, próſperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum Regis.

Sedes tua Deus in ſéculum ſéculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúndata varietáte.

Diviſio Pſalmi 44.

AUdi fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus; * in fímbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam, * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli co-

búntur tibi in ætérnum, * & in ſéculum ſéculi.

Ant. Appáruit Móyſi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. *Exod.* 3. 2.

℣. Miſericórdia, & véritas obviavérunt ſibi, ℟. Juſtítia & pax oſculátæ ſunt. *Pſ.* 84. 11.

Pater. *Lectiones infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Feriâ III. & VI.

Ant. ſola 8. G. Cùm virgas.

Pſalmus 45.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram: * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Pſalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion látera Aquilónis, * cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt:

Tremor apprehéndit eos; * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus,

Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúndate Sion, & compleƈtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus; * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſéculum ſéculi: * ipſe reget nos in ſécula.

Pſalmus 84.

BEnedixíſti Dómine terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti ómnem iram tuam; * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Nunquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérſus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam, * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanƈtos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúntamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra noſtra dabit fruƈtum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Cùm virgas poſuíſſet Móyſes coram Dómino, invénit germináſſe virgam Aáron. *Num.* 17. 7. 8.

℣. Véritas de terra orta eſt,

℟. Et juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84. 12.

Pater. *Leƈtiones infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Feriâ IV. & Sabbato.

Ant. ſola 5. a. Abſciſſus eſt lapis.

Pſalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanƈtis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa diƈta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiopum; * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum; * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio eſt in te.

Pſalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * lætentur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini juſti in Dómino; * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Pſalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum, * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo omnis terra; * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini; * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram:

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Abſcíſſus eſt lapis de monte ſine mánibus; lapis au-

tem factus eſt mons magnus, & implévit univérſam terram. *Dan.* 2. 34 35.

℣. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, ℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſraël. *Pſ.* 97. 4.

Pater.

Benedictio, Deus det nobis, &c. *poſt Pſalterium.*

Ex libro ſancti Auguſtíni epíſcopi.

De Sancta Virginitate, §. 5.

Lectio j.

MAter Chriſti eſt tota Eccléſia, quia membra ejus, id eſt, fidéles ejus per Dei grátiam ipſa útique parit. Item mater ejus eſt omnis ánima pia, fáciens voluntátem Patris ejus fecundíſſimâ caritáte, in iis quos párturit, donec in eis ipſe formétur. María ergo fáciens voluntátem Dei, corporáliter Chriſti tantúmmodo mater eſt, ſpirituáliter autem & ſoror & mater.

℟. Benedícam ei, *ut ſuprà in Officio de Beatâ in Sabbato*, lxxiv.

Benedictio, Dignos fáciat nos, &c.

§. 6. *Lectio* ij.

AC per hoc illa una fémina, non ſolùm ſpíritu, verùm étiam córpore, & mater eſt & virgo. Et mater quidem ſpíritu, non cápitis noſtri, quod eſt ipſe Salvátor, ex quo magis illa ſpirituáliter nata eſt; quia omnes qui in eum credíderint, in quibus & ipſa eſt, rectè fílii ſponſi appellántur: ſed planè mater membrórum ejus, quod nos ſumus; quia cooperáta eſt caritáte, ut fidéles in Eccléſia naſceréntur, quæ illíus cápitis membra ſunt: córpore verò ipsíus cápitis mater.

℟. Páriet, *ſuprà*, lxxiv.

Benedictio, Aperiántur, &c.

Lectio iij.

OPortébat enim caput noſtrum propter insígne miráculum ſecúndùm carnem naſci de vírgine, quo ſignificáret membra ſua de vírgine Eccléſia ſecúndùm ſpíritum naſcitúra. Sola ergo María & ſpíritu & córpore mater & virgo, & mater Chriſti, & virgo Chriſti.

℟. Deus, *ſuprà*, lxxv.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

Deus in adjutórium, &c.

Ant. ſola 1. a. Sicut lux auróræ.

Pſalmus, Dóminus regnávit, 9.

Pſalmus, Jubiláte Deo, 10.

Pſalmus, Deus miſereátur noſtrì, 76.

Canticum.

Judith. 13. 17. *ad* 18.

LAudáte Dóminum Deum noſtrum, * qui non deſéruit ſperántes in ſe:

Et in me ancílla ſua adim

plévit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſraël:

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Pſalmus, Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, 11.

Ant. Sicut lux auróræ, oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23. 4.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

Hymnus.

O Glorióſa Vírginum,
Regína cœlo célſior,
Quanto, María, fénore
Reddis quod Heva pérdidit!

CUNCTIS Deum Virgo paris
Deſiderátum géntibus:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ plaúdite.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre cumque Spíritu
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Elégit eam Dóminus
℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *f.** Ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum factum ex mulíere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. *Gal.* 4. 4. 5.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per eúndem.

AD PRIMAM.

Deus in adjutórium, &c.

Hymnus.

MEMENTO, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Noſtrî miſértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.

ET nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno réſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Fílium.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre cumque Spíritu
In ſempitérna ſécula. Amen.

Ant. 2. D. Multæ filiæ.

Pſalmus 71.

DEus judícium tuum regi da, * & juſtítiam tuam filio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Diviſio Pſalmi 71.

ORiétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis,* lonec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque .d mare, * & à flúmine uſque .d términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æhíopes, * & inimici ejus teram lingent.

Reges Tharſis, & ínſulæ múiera ófferent; * reges Araium, & Saba dona addúcent.

. Et adorábunt eum omnes eges terræ; * omnes gentes ërvient ei:

Quia liberábit paúperem à oténte, * & paúperem cui .on erat adjútor.

Altera diviſio Pſalmi 71.

)Arcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas íciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédinet ánimas eórum; * & hoorábile nomen eórum coram llo.

Et vivet, & dábitur ei de uro Arábiæ, & adorábunt de ɔſo ſemper; * totâ die beneícent ei.

Et erit firmaméntum in terra ı ſummis móntium, ſuperexɔllétur ſuper Líbanum fructus jus, * & florébunt de civitáte cut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum ı ſécula, * ante ſolem pérıanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſò omes tribus terræ; * omnes entes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum; & replébitur majeſtáte ejus omnis terra. * Fiat, fiat.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Capitulum. Gen. 22. 17. 18.

POſſidébit ſemen tuum portas inimicórum ſuórum, & benedicéntur in ſémine tuo omnes gentes terræ.

℟. *breve*, Benedicéntur in ipſo * Omnes tribus terræ; ℟. Benedicéntur. ℣. Omnes gentes magnificábunt eum. * Omnes. Glória. ℟. Benedicéntur. *Pſ.* 71. 17.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus. ℟. Deus in médio ejus. *Pſ.* 45. 5. 6.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubsídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium, &c.

Hymnus, Meménto, lxxxiv.

Pſalmus, Crédidi, 42.

Pſalmus, Laudáte Dóminum omnes gentes, 42.

Pſalmus, Ad Dóminum, 43.

Ant. Capitulum & ℟. breve ut in Officio de Beata in Sabbato, lxxvj.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Mariæ virginitáte fecúndâ, humáno géneri præmia præſtitíſti; tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus autórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum; Qui tecum vivit.

AD SEXTAM.

Hymnus, Meménto, lxxxiv.
Pſalmus, Levávi óculos, 43.
Pſalmus, Ad te levávi, 59.
Pſalmus, Niſi quia, 60.
Ant. Capitulum & ℟. breve ſuprà, lxxvj.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; & intercedénte ſanctíſſimâ Dei genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctífica; Per eúndem Dóminum.

AD NONAM.

Hymnus, Meméntó, lxxxiv.
Pſalmus, Qui confídunt, 60.
Pſalmus, In convertèndo, 60.
Pſalmus, Beáti omnes, 77.
Ant. Capitulum & ℟. breve ſuprà, lxxvj.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæſumus Dómine, delíctis ignóſce; ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, genitrícis fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eúndem Dóminum.

AD VESPERAS.

Antiphona ſola 4. E. Benedícta tu.

Pſalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo; * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum; * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet, * proptérea exaltábit caput.

Pſalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum * ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus

noſter, * qui in altis hábitat, & humília réſpicit in cœlo, & in terra?

Súſcitans à terra ínopem,* & de ſtércore érigens paúperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi; * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas,* cujus participátio ejus in idípſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini, teſtimónium Iſraël, * ad confiténdum nómini Dómini:

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem; * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis ſuis ſomnum,* ecce heréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis, * ita filii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Pſalmus 147.

LAuda Jerúſalem Dóminum,* lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit filiis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem;* & ádipe fruménti ſátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni na-

tióni ; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith* 13. 31.

Capitulum. Eccli. 24. 12. 13.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi : in Jacob inhábita, & in Iſraël hereditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus, Ave radix Jeſſe, *ſuprà*, lxxiij.

℣. Vultum tuum deprecabúntur ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſraël, tu honorificéntia pópuli noſtri : eò quòd caſtitátem amáveris, ídeo & manus Dómini confortávit te, & ídeo eris benedícta in ætérnum. *Judith* 15. 10. 11.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére ; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper vírginis interceſſióne, à præſénti liberári triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ ; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos Deus, &c.

Deus in adjutórium, &c.

Ant. 8. G. Beáta.

Pſalmus, Sæpe expugnavérunt me, 77.

Pſalmus, De profúndis, 77.

Pſalmus, Dómine non eſt exaltátum, 77.

Ant. Beáta quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

Hymnus.

VIrgo Dei génitrix,
Quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit
Víſcera, factus homo.

Quem paris, hic tollit
Totíus crímina mundi ;
Et tibi virgínitas
Invioláta manet.

Te matrem pietátis
Opem te flágitat orbis ;
Subvénias fámulis,
O benedícta, tuis.

Gloria magna Patri,
Sit par tibi glória, Nate ;
Glória ſit compar,
Spíritus alme, tibi. Amen.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam fíliæ, & beatíſſimam prædicavérunt.

℣. Adducéntur Regi vírgines poſt eam, ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. *Pſ.* 44. 15.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 4. *irreg.* c. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſemperque vírginis Maríæ, quæſumus Dómine, interceſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam ; Per.

℣. Dóminus vobíſcum ;
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino,
℟. Deo grátias.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

SOLEMNE.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni.* f. *Duplic.*

ÆDificávit Noë altáre Dómino; & óbtulit holocaúſta ſuper altáre : odoratúſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis. *Gen.* 8. 20. 21.

Ant. 4. E. Lápidem Jacob eréxit in títulum, fundens óleum déſuper; vovit étiam votum, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iſte vocábitur domus Dei. *Gen.* 28. 18. 20. 21. 22.

Ant. 3. E. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Fílii Iſraël fácient mihi ſanctuárium, & habitábo in médio eórum. *Exod.* 25. 1. 8.

Ant. 8. G. Complévit Móyſes tabernáculum, & eréxit illud, unxítque & ſanctificávit, altáre ſimíliter & ómnia vaſa ejus. *Num.* 7. 1.

Ant. 5. a. Opéruit nubes tabernáculum teſtimónii, & glória Dómini implévit illud; majeſtáte Dómini coruſcánte. *Exod.* 40. 32. 33.

Capitulum. *Ezech.* 37. 26. 27.

HÆc dicit Dóminus: Percútiam filiis Iſraël fœdus pacis, pactum ſempitérnum erit eis; & fundábo eos, & multiplicábo, & dabo ſanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum: & erit tabernáculum meum in eis.

℟. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. * Sálomon autem ædificávit illi domum. *Act.* 7. 46. 47. ℣. Dixit David ad Salomónem: Fili mi, ſit Dóminus tecum, & proſperáre; & ædífica domum Dómino Deo tuo, ſicut locútus eſt de te. 1. *Par.* 22. 7. 11. * Sálomon. Glória. *Repetitur* ℟. David.

Hymnus.

URBS beáta, vera pacis
Víſio, Jerúſalem,
Quanta ſurgit! celſa ſaxis
Cónditur vivéntibus:
Quæ polívit, hæc coáptat
Sédibus ſuis Deus.

SINGULIS ex margarítis
Síngulæ portæ nitent:
Murus omnis fulget auro,
Fulget uniónibus:
Anguláris petra Chriſtus
Fundat urbis mœnia.

EJUS eſt ſol cæſus Agnus,
Ejus eſt templum Deus:
Æmulántes hic Beáti
Punóres Spíritus,
Laude jugi numen unum
Terque ſanctum cóncinunt.

Undequaque ſunt apérta
Civitátis óſtia :
Quiſquis ambit huc veníre,
Inſeríque mœnibus,
Antè duris hic probári
Débuit labóribus.

Sit perénnis laus Paréntì,
Sit perénnis Filio ;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens,
Viva Templa cónſecrat. Amen.

℣. Vocábunt Jerúſalem ſólium Dómini; ℟. Et congregabúntur ad eam omnes gentes in nómine Dómini. *Jer.* 3. 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. *Duplic.* Vénient portántes holocaúſtum, & víctimam, & ſacrificium, & thus, & ínferent oblatiónem in domum Dómini. *Jer.* 17. 26.

Oratio.

DEus, qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum Majeſtáti tuæ præparas habitáculum, auxiliáre pópulo tuo ſupplicánti; ut quod Eccléſiæ tuæ corporálibus próficit ſpátiis, ſpirituálibus amplificétur augméntis; Per Dóminum.

Nulla Commemoratio.

Completorium, *ut in die, infrà. Orationes*, Deus qui de vivis, *ſuprà*, *&* Véritas, *ſub una concluſione.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium, Dóminum in templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus. *Habac.* 2. 20.

Pſalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

ECce ſedes hìc Tonántis,
Ecce cœli jánua:
Hìc ſacérdos, ara, templum,
Hìc Deus fit hóſtia:
Incruéntâ morte jugis
Hìc amor litat Deum.

Qualis ara, quanta ſedes,
Ipſius capax Dei !
Quem nec univérſa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo ſe coárctans
Hìc latére ſuſtinet.

Quam libénter hìc pudicis
Inſerit ſe córdibus !
Hìc amántis tota Chriſti
Exerit ſe cáritas ;
Hìc Pater caros ſedére
Geſtit inter filios.

Hinc facéſſe quem profána
Pólluit contágio ;
Neu ſacrum transíre limen
Inquinátus aúdeas :
Ultor aſtat cum flagéllis,
Púniens ſontes Deus.

Sit perénnis laus Paréntì,
Sit perénnis Filio ;
Laus tibi qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens,
Viva templa cónſecrat.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. 1. a. *Duplicatur.* Salomóni ſubjécit Deus omnes hoſtes, ut cónderet domum in nómine ſuo, & paráret ſanctitátem in ſempitérnum. *Eccli.* 47. 15.

Pſalmus, Verba mea, 4.

Ant. 4. E. Obtulit ſacrifícium dedicatiónis & conſum-

matiónis templi; & octo diébus celebrávit dedicatiónem. 2. *Mach.* 2. 9. 12.

Pſalmus, Dómini eſt terra, 37.

Ant. 3. E. Cùm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit dé cœlo, & devorávit holocaúſta; & majéſtas Dómini implévit domum. 2. *Par.* 7. 1.

Pſalmus, Júdica me Dómine, 39.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altiſſimus. ℟. Deus in médio ejus. *Pſ.* 45. 5. 6.

De libro ſecúndo Paralipómenon.

Lectio j. *c.* 7. 1. *ad* 5.

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocaúſta & víctimas; & majéſtas Dómini implévit domum. Nec póterant Sacerdótes íngredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Iſraël vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: & corruéntes proni in terram ſuper paviméntum ſtratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in ſéculum miſericórdia ejus. Rex autem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit igitur rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia; & dedicávit domum Dei rex, & univérſus pópulus.

℟. Filii Iſraël vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: * Et corruéntes proni ſuper paviméntum, adoravérunt Dóminum. 2. *Par.* 7. 3. ℣. Implétum eſt templum fumo à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus. *Apoc.* 15. 8. * Et corruéntes.

Lectio ij. ℣. 6. *ad* 9.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum: Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus; hymnos David canéntes per manus ſuas. Porrò Sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque Iſraël ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini: obtúlerat enim ibi holocaúſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat ſuſtinére holocaúſta, & ſacrificia; & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus, & omnis Iſraël cum eo, eccléſia magna valde, ab intróitu Emath uſque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctam, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem diébus, & ſolemnitátem celebráſſet diébus ſeptem.

℟. Verè Dóminus eſt in loco iſto: * Quàm terríbilis eſt lo-

cus iſte! Non eſt hìc áliud niſi domus Dei, & porta cœli. *Gen.* 28. 16. 17. ℣. Si quis templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus. 1. *Cor.* 3. 17.* Quàm.

Lectio iij. ℣. 12. *ad* 16.

APpáruit autem Salomóni Dominus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. Si claúſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locúſtæ ut dévoret terram, & míſero peſtiléntiam in pópulum meum: convérſus autem pópulus meus, ſuper quos invocátum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis: & ego exaúdiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus qui in loco iſto oráverit: elégi enim, & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipſi pópulus ejus erunt, * Et † Ipſe Deus cum eis erit eórum Deus. *Apoc.* 21. 3. ℣. Ergóne credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? 2. *Par.* 6. 18. * Et ipſe. Glória. † Ipſe.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. C. *Duplic.* Qui adhærent Dómino, ut colant eum, lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Iſai.* 56. 6. 7.

Pſalmus, Afférte Dómino, 41.

Ant. 4. *irreg.* c. Holocaúſta eorum, & víctimæ eórum placébunt mihi ſuper altári meo. *Iſai.* 56. 7.

Pſalmus, Deus noſter refúgium, 62.

Ant. 7. *d.* Glória Líbani véniet ad ornándum locum ſanctificatiónis meæ, & locum pedum meórum glorificábo. *Iſai.* 60. 13.

Pſalmus, Magnus Dóminus, 63.

℣. Habitábo in médio filiórum Iſraël, ℟. Et non derelínquam pópulum meum. 3. *Reg.* 6. 13.

Sermo ſancti Bernárdi abbátis.

In Dedic. Serm. 1. §. 1.

Lectio iv.

FEſtívitas hodiérna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam céteras quidem ſanctórum ſolemnitátes cum eccléſiis áliis habémus commúnes: hæc verò ſic nobis eſt própria, ut necéſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine celebrári. Noſtra eſt, quia de eccléſia noſtra: magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan & erubéſcitis celebrári feſta de vobis: ſed nolíte fíeri ſicut equus &

mulus, quibus non eſt intellectus. Quid enim lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti-Spíritûs ſunt, ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitántem Spíritum Dei in vobis; ſancta ſunt córpora propter ánimas; ſancta eſt étiam propter córpora domus.

℟. Audíte qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum; * Bonas fácite vias veſtras. *Jer.* 7. 2. 3. ℣. Nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. *Joan.* 2. 16. * Bonas.

Lectio v. §. 3. 4.

QUando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſine dúbio factum eſt.... In nobis proínde ſpirituáliter impléri necéſſe eſt, quæ in paríetibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt; aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, benedíctio. Hæc quidem in hac viſíbili domo fecére Pontífices; hæc Chriſtus aſsíſtens póntifex futurórum bonórum, inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò ſíquidem aſpérgit nos hyſſópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur... Lavat, inquam, nos in confeſſióne, lavat nos lacrymárum imbre; ..... lavat ſudóribus pœniténtiæ; magis autem lavat nos aquâ illâ pretioſíſſimâ, quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere emanávit... Non ſolùm autem, ſed inſcríbit dígito Dei, in quo ejiciébat dæmónia, haud dúbium quin in Spíritu-ſancto. Inſcríbit, inquam, legem ſuam, non jam in lápide, ſed in tábulis cordis carnálibus, Prophéticam implens promiſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum; id eſt, non durum, non obſtinátum, non judáicum; ſed pium, ſed manſuétum, ſed tractábile, ſed devótum.

℟. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicéntes: Templum Dómini eſt: * Quóniam ſi bene direxéritis vias veſtras, & ſtúdia veſtra, habitábo vobíſcum in loco iſto. *Jer.* 7. 4. 5. 7. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis; emundáte manus, peccatóres; & purificáte corda. *Jac.* 4. 8. * Quóniam.

Lectio vj. §. 6.

JAm verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implébit omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmíſſis mérita conſtant, in benedictióne ſunt præmia. In

à Deo autem eléctum ; & ipſi * Tanquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális. 1. *Petr.* 2. 4. 5. ℣. Præbete corda veſtra & ánimas veſtras, ut quærátis Dóminum, & ædificáte ſanctuárium Dómino Deo. 1. *Par.* 22. 19. * Tanquam. Glória. *Repetitur* ℟. Ad Dóminum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Pavéte ad ſanctuárium meum. ℟. Ego Dóminus. *Levit.* 26. 2.

Pſalmi de Dominica.

Anthiphona 7. *toni.* a.

DOmine Deus Iſraël, ſi cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt, quantò magìs domus iſta? 2. *Par.* 6. 17. 18.

Ant. 2. D. Tu Dómine elegíſti domum iſtam, ut eſſet domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.

Ant. 3. a. Si deprecáti te fúerint in loco iſto, & convérſi à peccátis ſuis, exaúdi de cœlo Dómine, & doce eos viam bonam. 2. *Par.* 6. 26. 27.

Ant. 4. E. Dimíttas.

Loco Cantici, Benedícite, *dicitur ſequens Canticum.* *Tob.* 13. 13. *ad fin.*

JErúſalem cívitas Dei, . . . luce ſpléndidâ fulgébis, * & omnes fines térræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient ; & múnera deferéntes, adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in ſanctificatiónem habébunt.

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te ; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te ; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in filiis tuis, * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent ſuper pace tua.

Anima mea bénedic Dóminum, * quóniam liberávit Jerúſalem civitátem ſuam à cunctis tribulatiónibus ejus, Dóminus Deus noſter.

Beátus ero, ſi fúerint relíquiæ ſéminis mei * ad vidéndam claritátem Jerúſalem.

Portæ Jerúſalem ex ſapphíro & ſmarágdo ædificabúntur : * & ex lápide pretióſo omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus ſternéntur : * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam : * & ſit regnum ejus in ſécula ſeculórum ſuper eam. Amen. Glória Patri.

Et dicitur per totam Octavam, cùm ſit de Octava.

Ant. Dimíttas pópulo tuo, quamvis peccatóri, & aures tuæ inténtæ ſint ad oratiónem quæ fit in loco iſto. 2. *Par.* 6. 39. 40.

Ant. 5. a. Tu exaúdies de cœlo, ut ſciant omnes pópuli nomen tuum, & cognóſcant quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc. 2. *Par.* 6. 33.

Capitulum. 3. *Reg.* 8. 28. 29.

Réſpice ad oratiónem ſervi tui, & ad preces ejus, Dómine Deus meus: audi hymnum & oratiónem quam ſervus tuus orat coram te hódie; ut ſint óculi tui apérti ſuper domum hanc nocte ac die, ſuper domum de qua dixíſti: Erit nomen meum ibi.

Hymnus.

PATRIS ætérni Sóboles coæva,
Dum tuæ ſacros pia plebs honóres
Ædis inſtaúrat, Deus alme, noſtris
Annue votis.

Hic ſacri fontis látices ab ortu
Inditi purgant máculam reátûs:
Hic & infúſum nova membra Chriſto
Chriſma coáptat.

Hic ſuâ paſcit pópulos fidéles
Carne, qui mundi ſcelus omne tollit
Agnus, & fuſi prétium cruóris,
Ipſe propínat.

Hic ſalus ægris ánimis parátur,
Hic reos judex fácilis reláxat,
Atque lethálem rediviva pellit
Grátia culpam.

Cujus in cœlo thronus eſt perénnis
Incolit parvam Deus altus ædem.
Hic adorátor ſibi quiſque ſedem
Præparat aſtris.

Nullus hanc turbo quatit irruéntis
Nulla vis nimbi, rapidíve fluctûs;
Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.

Laus Deo, virtus, honor, & potéſtas
Una ſit Patri, pariliſque Proli;
Par ſit ambórum tibi nexus, omni
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Domus tua in ſanctificatióne tua permáneat: ℟. Et omnes gentes agnóſcant quia tu es Deus. *Judith* 9. 18. 19.

Ad Bened. Ant. 4. d. *Dupl.* Voluíſti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis. Et nunc ſancte ſanctórum ómnium Dómine, conſérva in ætérnum impollútam domum iſtam. 2. *Mach.* 14. 35. 36.

Oratio.

DEus, qui nobis per ſíngulos annos hujus ſancti Templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſtériis repræſéntas incólumes; exaúdi preces pópuli tui, & præſta, ut quiſquis hoc Templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetráſſe lætétur; Per Dóminum

[*Ipſo diè Dedicationis & per Octavam, loco præcedentis Orationis, dicitur ſequens*

Oratio.

DEus, qui inviſibíliter ómnia cóntines, & tamen pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſténdis, Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illúſtra; & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúnque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ beneficia conſequántur. Per Dóminum noſtrum.]

AD HORAS, *Pſalmi de Dominica.*

AD PRIMAM, *Ant.* Dómine Deus Iſraël.

Oratio, Deus, qui nobis, [*ipſo die Dedicationis*, Deus, qui inviſibíliter,] *&* Dómine ſancte Pater omnípotens, *ſub una concluſione.*

Reliqua ut in Dominica.

CANON.

Ex Concílio Coloniénſi primo.

An. 1536. *part.* 9. *cap.* 13.

SIgnat Templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Eccléſiæ cùm Chriſto deſponſatiónem ... Quamóbrem niſi ómnia quæ in hujuſcémodi conſecratióne extérius agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur, parùm hinc fructûs nobis accéſſerit.

AD TERTIAM, *Ant.* Tu Dómine.

Capitulum. Deut. 12. 5. 8.

AD locum, quem elégerit Dóminus Deus veſter de cunctis tríbubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & hábitet in eo, veniétis; & offerétis in loco illo holocáuſta & víctimas veſtras.

℟. *breve*, In multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; *Allelúia, allelúia. ℟. In multitúdine. ℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo. *Allelúia, allelúia. Glória. ℟. In multitúdine. *Pſ.* 5. 8.

℣. Introíbo in domum tuam in holocáuſtis; ℟. Reddam tibi vota mea. *Pſ.* 65. 13.

AD SEXTAM, *Ant.* Si deprecáti te fúerint.

Capitulum. 3 *Reg.* 8. 38. 39.

SI quis cognóverit plagam cordis ſui, & expánderit manus ſuas in domo hac, tu exaúdies in cœlo, in loco habitatiónis tuæ, & repropitiáberis, & fácies ut des unicuíque ſecúndùm omnes vias ſuas, ſicut víderis cor ejus.

℟. *breve*, Altária tua Dómine virtútum, Rex meus, & Deus meus, * Allelúia, allelúia. ℟. Altária. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Altária. *Pſ.* 83. 4. 5.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ: ℟. Sanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte. *Pſ.* 64. 5.

AD NONAM, *Ant.* Tu exaúdies de cœlo.

Capitulum. 2. *Par.* 20. 9.

STábimus coram domo hac in conſpéctu tuo, in qua invocátum eſt nomen tuum; & clamábimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exaúdies, ſalvóſque fácies.

℟. *breve*, In conſpéctu Angelórum pſallam tibi; * Allelúia, allelúia. ℟. In conſpéctu. ℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum; & confitébor nomini tuo. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. In conſpéctu. *Pſ.* 137. 1. 2.

℣. Exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; ℟. Dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum. *Pſ.* 27. 2.

AD VESPERAS.

Antiphona 7. *toni.* a.

UNus de ſeptem Angelis oſténdit mihi civitátem ſanctam Jeruſalem habéntem claritátem Dei. *Apoc.* 21. 9. 10. 11.

Pſalmus, Crédidi, 42.

Ant. 8. G. Erat ſtructúra muri ejus ex lápide jáſpide; & fundaménta muri civitátis, omni lápide pretióſo ornáta. *Apoc.* 21. 18. 19.

Pſalmus, Lætátus ſum, 59.

Ant. 1. D. Templum non vidi in ea; Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus eſt, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

Pſalmus, Meménto, 93.

Ant. 3. E. Cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucérna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Pſalmus, Confitébor.... quóniam audíſti, 112.

Ant. 6. C. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.

Pſalmus, Lauda Jeruſalem Dóminum, 154.

Capitulum. *Apoc.* 21. 24. 25. 26.

REges terræ áfferent glóriam ſuam & honórem in illam; & portæ ejus non claudéntur per diem; nox enim non erit illic: & áfferent glóriam & honórem géntium in illam.

℟. Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? * Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam: quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei. *Pſ.* 41. 3. 5. ℣. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. 1. *Cor.* 2. 9. * Hæc recordátus ſum. Glória.

Repetitur ℟. Quando.

Hymnus, Urbs beáta, *ut in primis Veſperis*, lxxxix.

℣. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Pſ.* 25. 8.

Ad Magnif. Ant. 5. F. *Dupl.* Quàm dilécta tabernácula tua

Dómine virtútum! concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſ.* 83. 2.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Habitábo in médio Jerúſalem; & vocábitur cívitas veritátis, & mons Dómini exercítuum, mons ſanctificátus. *Zach.* 8. 3.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Implébo domum iſtam glóriâ, & in loco iſto dabo pacem. *Agg.* 2. 8. 10.

Orationes, Deus, qui nobis, *&* Véritas, *ſub uno* Per Dóminum; *& ſic per totam Octav.*

De Dominica, ſi qua occurrat intrà Octavam Dedicationis, fit Officium ut in Pſalterio, cum Commemoratione Octava in utriſque Veſperis & Laudibus.

DIEBUS

Intrà Octavam Dedicationis Eccleſiæ.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Tres Antiphonæ, ℣. *&* ℟. ℟. ℟. *ex Nocturno Feſti, juxta Feriam.*

Lectio j. *&* ij. *de Scriptura occurrente*; iij. *ut habetur infrà pro qualibet die.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola, Dómine Deus Iſraël, *prima de Laudibus diei.*

AD PRIMAM, *duæ Orationes ut in die, etiam in Feſtis intrà Octavam occurrentibus.*

AD VESPERAS.

Ant. ſola, Unus de ſeptem Angelis, *prima Veſperarum diei. Non dicitur* ℟.

COMPLETORIUM, *ut in die, etiamſi occurrat Feſtum.*

SECUNDA DIE.

Sermo ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 336. *in Dedic. Eccleſ.* §. 1. *aliàs Serm.* 8.

Lectio iij.

CElébritas hujus congregatiónis, dedicátio eſt domûs oratiónis. Domus ergo noſtrárum oratiónum, iſta eſt; domus Dei, nos ipſi. Si domus Dei nos ipſi, nos in hoc ſéculo ædificámur, ut in fine ſéculi dedicémur. Ædificium, imò ædificátio habet labórem, dedicátio exultatiónem. Quod hìc fiébat, quando iſta ſurgébant, hoc fit modò cùm congregántur credéntes in Chriſtum. Credéndo enim quaſi de ſilvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur; tanquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúntamen domum Dómini non fáciunt, niſi quando caritáte compaginántur.

TERTIA DIE.

De ſermóne ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 336. *in Dedic. Eccleſ.* §. 6. *aliàs Serm.* 256.

Lectio iij.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccle-

æ libénter attendimus, quam ivíno nómini hódie dedicánus, invenímus à nobis deéri & Deo noſtro máximam audem, & ſanctitáti veſtræ óngruuum de divínæ domûs edificatióne ſermónem. Tunc utem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum Deo vos intériùs ædificánte proficiat. Quod hìc factum corporáliter vidémus in pariétibus, ſpirituáliter fiat in méntibus; & quod hìc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc ædificánte grátiâ Dei perficiátur in corpóribus veſtris.

QUARTA DIE.

De Sermóne ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 336. in Dedic. Eccleſ. §. 6. aliàs Serm. 256.

Lectio iij.

GRátias agámus Dómino Deo noſtro, à quo eſt omne datum óptimum, & omne donum perféctum; & ejus bonitátem totâ cordis alacritáte laudémus, quóniam ad conſtruéndam iſtam domum oratiónis, fidélium ſuórum viſitávit ánimum, excitávit afféctum, ſurrogávit auxílium; inſpirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent; ac per hoc Deus, [qui operátur] in ſuis [& velle & perficere pro bona voluntáte,] hæc ómnia ipſe cœpit, ipſe perfécit. Et quia ópera bona in conſpéctu ſuo nunquam eſſe permíttit inánia, fidélibus ſuis, quibus operántibus præbuit virtútis ſuæ favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámpliùs agéndæ ſunt grátiæ Deo noſtro. Hanc enim Eccléſiam, quam fecit nómini ſuo cónſtrui, fecit étiam ſanctórum Mártyrum relíquiis ámpliùs honorári.

QUINTA DIE.

De Sermóne ſancti Auguſtíni epíſcopi.

Serm. 337. in Dedic. Eccleſ. §. 2. aliàs Serm. 16.

Lectio iij.

DUm cædúntur de móntibus lápides, & ligna de ſilvis, dum formántur, dolántur, coaptántur; labor & cura eſt: cùm autem perfécti ædifícii dedicátio celebrátur, gaúdium & ſecúritas labóribus curíſque ſuccédunt. Sic étiam ædificátio ſpirituális, cujus habitátor Deus, non ad tempus, ſed in ætérnum erit; dum ex infidéli vita hómines ſegregántur ad fidem, dum quidquid in eis non bonum atque pervérſum eſt, amputátur & cæditur, dum fiunt aptæ, pacíficæ piæque junctúræ; quantæ tentatiónes timéntur, quantæ tribulatiónes ſuſtinéntur? Cùm verò advénerit dies dedicatiónis domûs ætérnæ, cùm dicétur nobis: [Veníte benedícti Patris mei, percípite

régnum, quod vobis parátum eſt ab inítio mundi :] quæ illa exultátio, quæ ſecúritas erit? Cantábit cláritas, nec compungétur infirmitas.

SEXTA DIE.

De Sermone ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 1. *in* Vidi Dóminum.

Lectio iij.

CUm ánimi divítias conſídero in vobis augéſcere, gaúdeo ſemper, ut qui non fruſtrà ſeméntem fécerim, ut qui non incáſſum labóres pertúlerim, ut qui in frugíferam pinguémque terram, & ad fructificándum idóneam, ſemen jécerim. Unde ígitur hoc lucrum fore conjécto, unde perſpício ſermónes ad opus profícere? Nimírum ex hoc concúrſu; ex eo quòd Eccléſiam ómnium matrem ſtudióſè occupátis; ex hac pernócte perpetuáque ſtatióne, ex eo quòd Angelicórum órdinum ſtatiónem imitántes ſine ceſſatióne, laudes & hymnos offértis Conditóri. O mira Chriſti dona! In ſupérnis exércitus Angelórum canunt glóriam; in terris hómines in Eccléſiis choros agéntes, ad illórum exémplum eándem canunt glóriam. In ſupérnis Séraphim ter ſanctum illum hymnum réſonant; in terris eúndem hóminum promit multitúdo; communitérque tum cœléſtium, tum terréſtrium feſtívus convéntus congregátur.

AD VESPERAS, *Omnia ut in ſecundis Veſperis Feſti, exceptis quæ ſequuntur.*

Pſalmi de Feria. Non dicitur ℟. *& nihil duplicatur.*

OCTAVA DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Duplex-minus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria. Nihil duplicatur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ex Enarratióne ſancti Auguſtíni epíſcopi, in Pſalmum centéſimum vigéſimum primum.

Lectio iv. §. 4.

JErúſalem quæ ædificátur ut cívitas.] Fratres, quando dicébat iſta David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néſcio quam ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi, de quibus dicit Petrus: [Et vos tamquam lápides vivi coædificámini in domum ſpiritálem, id eſt, templum ſanctum Dei.] Quid eſt, lápides vivi coædificámini? Vivis, ſi credis. Si autem credis, efficeris templum Dei: quia dicit apóſtolus Paulus: [Templum enim Dei ſanctum eſt; quod eſtis vos.]

Lectio v.

IPſa ergo modò cívitas ædificátur: præcidúntur de móntibus lápides per manus præ-

dicántium veritátem, conquadrántur ut intrent in ſtructúram ſempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis ſunt: non cadant de mánibus artíficis, ut poſſint perfécti coædificári in ſtructúram templi. Eſt ergo iſta [Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas:] fundaméntum ipsíus Chriſtus eſt. Dicit apóſtolus Paulus: [Fundaméntum enim áliud nemo poteſt pónere, præter id quod pólitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.]

Lectio vj.

FUndaméntum quando pónitur in terra, déſuper ædificántur paríetes; & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo póſitum eſt fundaméntum. Si autem fundaméntum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt iſtam ſtructúram, quam vidétis amplam ſurrexíſſe, hujus Baſílicæ; & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo poſuérunt. Quia verò ſpirituáliter ædificámur, fundaméntum noſtrum in ſummo póſitum eſt Illuc ergo currámus, ubi ædificémur; quia de ipſa Jerúſalem dictum eſt: [Stantes erant pedes noſtri in átriis Jerúſalem.]

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *c.* 10. 22. *ad* 29.

IN illo témpore; Facta ſunt Encænia in Jeroſólymis; & hiems erat. Et ambulábat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ presbyteri.

Expoſ. in Evang. Joan. c. 10.

ENcænia vocabátur ſolémnitas Dedicatiónis Templi, quam pópulus Dei ex antíqua patrum traditióne per annos ſíngulos celebráre conſuéverat. Sed notándum eſt quòd hæc Encænia quæ hìc legúntur, non ad primam templi dedicatiónem, ſed ad últimam pértinent: quod ex eo fácile collígitur, quia híeme facta referúntur. Prima ſiquidem ejúſdem templi dedicátio à Salomóne témpore autúmni; ſecúnda autem à Zoróbabel & Jeſu ſacerdóte témpore veris; tértia à Juda Machabæo témpore híemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut éadem dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur offíciis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ Incarnatiónis obſerváta fuit, ſicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ etiam Dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári modérno témpore dignóſcitur.

Lectio viij. *Poſt pauca.*

ET ambulábat Jeſus in templo in pórticu Salomónis.] Si ergo Dei Fílius ambuláre vóluit in templo in quo caro & ſanguis brutórum animá-

lium offerebátur; multò magìs noſtram orationis domum, ubi carnis ipsíus ac ſanguinis ſacraménta celebrántur, viſitáre gaudébit. Si perambuláre non deſpéxit pórticum in quo rex quondam mortális ac terrénus, quamvis potentiſſimus ac ſapientiſſimus, ad orándum ſtare ſolébat; quantò magìs penetrália córdium noſtrórum inviſere atque illuſtráre desíderat, ſi tamen ea pórticum eſſe Salomónis, hoc eſt, ſi ea timórem ſuum, qui eſt inítium ſapiéntiæ, habére perſpéxerit.

Lectio ix.

NEque enim putándum eſt, quia domus ſolúmmodo in qua ad orándum, vel ad myſtéria celebránda convenímus, templum ſit Dómini; & non ipſi qui in nómine Dómini convenímus, multò ampliùs templum ejus appellémur & ſimus; cùm maniféſtè dicat Apóſtolus: [Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Inhabitábo in eis, & inter illos ambulábo.]

[*Si ſit hodie Sabbatum, Veſpera erunt integra de Sabbato ante Dominicam ſequentem, cum Commemoratione diei Octava. Completorium erit totum de Pſalterio cum unica Oratione*, Veritas.]

PSALMI POENITENTIALES.

Pſalmus, Dómine, ne in in furóre, 5.

Pſalmus, Beáti quorum remiſſæ ſunt, 45.

Pſalmus, Dómine ne in furóre, 53.

Pſalmus, Miſerére meì Deus, 65.

Pſalmus, Dómine exaúdi oratiónem meam, 117.

Pſalmus, De profúndis clamávi ad te Dómine, 77.

Pſalmus, Dómine exaúdi oratiónem meam, 102.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

KYrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus-ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriël, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum ſpírituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes-Baptíſta, ora pro nobis.

Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, *(Zeb.)* ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, *bis.* ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Peregríne, ora.
Sancte Fratérne, ora.
Sancte Románe, ora.
Sancte Vigíli, ora.
Sancte Tétrice, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Joviniáne, ora.
Sancte Juſte, ora.
Sancte Euſébi, ora.
Sancte Symphoriáne, ora.
Sancte Juliáne, ora.
Sancte Sebaſtiáne, ora.
Sancte Priſce cum ſóciis tuis, ora pro nobis,
Sancte Maurici cum ſóciis tuis, ora.
Sancte Albáne cum ſóciis tuis, ora pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Cyrice & Julítta, oráte.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Athanáſi, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora pro nobis.
Sancte Joánnes Chryſóſtome, ora pro nobis.
Sancte Bernárde, ora.
Omnes ſancti Doctóres, oráte.
Sancte Silvéſter, ora.
Sancte Marcelliáne, ora.
Sancte Valeriáne, ora.
Sancte Eládi, ora.
Sancte Amátor, ora.
Sancte Germáne, *bis.* ora.
Sancte Aunári, ora.
Sancte Deſidéri, ora.
Sancte Palládi, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Lupe, ora.
Sancte Regnobérte, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Francíſce Saléſi, ora.
Omnes ſancti Pontífices, oráte pro nobis.
Sancte Marſe, ora.
Sancte Corcódome, ora.

Sanćte Alexánder, ora.
Sanćte Mamertíne, ora.
Sanćte Mariáne, ora.
Sanćte Antóni, ora.
Sanćte Benedićte, ora.
Sanćte Bruno, ora.
Sanćte Domínice, ora.
Sanćte Francíſce, ora.
Omnes ſanćti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſanćti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sanćte Joſeph, ora.
Sanćte Ludovíce, ora.
Sanćte Roche, ora.
Omnes ſanćti Juſti, oráte.
Sanćta Anna, ora.
Sanćta Maria Magdaléne, ora.
Sanćtæ Perpétua & Felícitas, oráte pro nobis.
Sanćta Eugénia, ora.
Sanćta Colúmba, ora.
Sanćta Agatha, ora.
Sanćta Lúcia, ora.
Sanćta Agnes, ora.
Sanćta Cæcília, ora.
Sanćta Genovéfa, ora.
Sanćta Héléna, ora.
Sanćta Flávia, ora.
Omnes ſanćtæ Vírgines, Mulíeres, & Víduæ, oráte.
Omnes Sanćti & Sanćtæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis Dómine.
Propítius eſto, Exaúdi nos Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus, líbera nos Dómine.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanćtæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per Baptíſmum, & ſanćtum jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per ſanćtam Reſurrećtiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritûs-ſanćti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, Te rogámus audi nos.
Ut compunćtiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, Te rogámus audi nos.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones, Te rogámus audi nos.
Ut fidem, ſpem & caritátem, nobis dones, Te rogámus audi nos.
Ut Eccléſiam tuam ſanćtam régere & conſerváre dignéris, Te rogámus.

Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta religióne conſerváre dignéris, Te rogámus.

Ut Antiſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commiſſas in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris, Te rogámus.

Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, Te rogámus.

Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, Te rogámus audi nos.

Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, Te rogámus audi nos.

Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, Te rogámus.

Ut noſmetípſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, Te rogámus audi nos.

Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, Te rogámus audi nos.

Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, Te rogámus.

Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórum noſtrórum ab ætérna damnatióne erípias, Te rogámus audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, Te rogámus audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus.

Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus audi nos.

Fili Dei, Te rogámus.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon.

Secretò Pater, &c. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum, ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro N. ℟. Dóminus conſérvet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Dómine ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Orémus pro benefactóribus noſtris; ℟. Exaúdi de cœlo Dómine, & dimítte peccáta ſervis tuis. 2. *Par.* 6. 27.

℣. Pro frátribus n[…] ſentibus; ℟. Rege

extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infírmis, afflíctis & captívis; ℟. Líbera Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis; ℟. Convértere Dómine, úſquequo? & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnium Sanctórum tuórum, quæſumus Dómine, intercesſióne placátus, & véniam nobis tríbue, & remédia ſempitérna concéde; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Præcedens Oratio ſola dicitur in Choro; cetera extra Chorum ad libitum.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter abſólvat.

EXaúdi, quæſumus Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis Dómine miſericórdiam tuam cleménter oſténde; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium diſtrícte feriéndo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſes; ut qui pondus tuæ animadverſiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter N. qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſáncta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti-Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes noſtras, quæſumus Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

PIetáte tuâ, quæſumus Dómine, noſtrórum ſolve víncula delictórum; & intercedénte beátâ & glorióſâ ſemper vírgine Dei genitríce Maríâ cum ómnibus Sanctis nos fámulos tuos, & omnem pópulum Chriſtiánum in omni ſanctitáte & religióne cuſtódi; omnéſque conſanguinitáte ac familiaritáte, aut piâ áliquâ ratióne nobis conjúnctos à vítiis ómnibus purga, virtútibus illúſtra; pacem & ſalútem nobis tríbue; hoſtes viſíbiles & inviſíbiles rémove; peſtem, cladem, & carnália deſidéria repélle; äërem ſalúbrem, & fertilitátem indúlge; amícis & inimícis noſtris veram caritátem largíre; & ómnibus fidélibus vivis ac defúnctis in terra viventium, vitam & réquiem ætérnam concéde; Per eúndem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon.

Sancta María, Ora pro eo. (*vel* ea.)

Omnes ſancti Angeli & Archángeli, Oráte pro eo. (*vel* ea.)

Sancte Abel, ora.

Omnis chorus Juſtórum, Oráte.

Sancte Abraham, ora.

Sancte Joánnes-Baptíſta, ora.

Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andréa, ora.

Sancte Jacóbe, ora.

Sancte Joánnes, ora.

Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.

Omnes ſancti Innocéntes, oráte.

Sancte Stéphane, *bis.*

Sancte Peregríne,

inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſécula ſeculórum. ℞. Amen.

SUſcipe Dómine ſervum tuum (*vel* ancíllam tuam) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℞. Amen.

LIbera Dómine ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus à morte, ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis & de flamma ignis. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis & de manu regis iniqui. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Suſánnam de falſo crímine. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℞. Amen.

Et ſicut beátam Theclam vírginem & mártyrem tuam liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam ejus, & tecum fácias in cœléſtibus bonis gaudére. ℞. Amen.

COmmendámus tibi Dómine ánimam fámuli tui (*vel* famulæ tuæ) N. precamúrque te Dómine Jeſu Chriſte, ſalvátor mundi; ut propter quam ad terram miſericórditer deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſínibus inſinuáre non rénuas. Agnoſce Dómine creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te. Lætífica Dómine ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum-ſanctum non negávit, ſed crédidit, & zelum

zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæſumus; ne memíneris Dómine, ſed ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli; collæténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine creatúram tuam ſúſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchaël archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviàm ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam ſanctus Paulus apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes eléctus Dei apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt poteſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & elécti Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc ſéculo ſuſtinuérunt; ut vínculis carnis exúta, perveníre mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu-ſancto vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus, Confitémini Dómino, 13. *& totus Pſalmus*, Beáti immaculáti, *per Horas Dominicæ diſtributus*, 14.

Egreſſâ autem animâ, aſpergitur corpus aquâ benedictâ & dicitur,

℟. Juſtus es, Dómine; & omnes viæ tuæ, miſericórdia, & véritas, & judícium: * Nunc Dómine memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis. † Nunc Dómine præcipe in pace récipi ſpíritum meum. *Tob.3.2.3.6.* ℣. In manus tuas comméndo ſpíritum meum. *Luc.23.46.* *Nunc Dómine memor. ℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. *Act. 7.* 58. † Nunc Dómine præcipe.

Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon.

Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, líbera me. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, ℟. Dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat. *Pſ.* 7. 2. 3.

℣. In te Dómine ſperávi; ℟. Non confúndar in ætérnum. *Pſ.* 30. 2.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

TIbi Dómine commendámus ánimam fámuli tui

(*vel* fámulæ tuæ) N. ut defúnctus (*vel* defúncta) ſéculo, tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commiſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Qualibet Hora ſequentis Officii incipitur abſolutè.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *toni.* c. Placébo.

Pſalmus. 114.

Diléxi, quóniam exaúdiet Dóminus * vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam; * miſéricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine * & lux perpétua lúceat eis.

Et ſic in fine Pſalmorum & Canticorum hujus Officii.

Ant. Placébo Dómino in regióne vivórum. *v.* 9.

Ant. 2. D. Heu mihi.

Pſalmus 119.

Ad Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt; habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt. *v.* 5.

Ant. 8. G. Dóminus.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te; Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Ant. Dóminus cuſtódit te ab omni malo; cuſtódiat ánimam tuam Dóminus. *v.* 7.

Ant. 8. G. Si iniquitátes.

Pſalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine; * Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine, * Dómine quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt: * & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſraël in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio:

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes obſerváveris Dómine, Dómine quis ſuſtinébit? *v.* 3.

Ant. 2. D. Opera.

Pſalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi; * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua, & veritáte tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúnque die invocávero te, exaúdi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & ſuper iram inimicórum

rum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: Dómine miſericórdia tua in ſéculum; * ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne deſpícias. *v.* 8.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum, qui venit ad me, non ejíciam foràs. *Joan.* 6. 37.

Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon, Kyrie eléïſon. *ſecretò*, Pater noſter, &c.

Preces & Orationes, ut infrà in Laudibus, cxxvij.

Si ſequantur Vigiliæ, poſt Orationem non dicitur ℣. Requiéſcant in pace.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Deum cui omnes vivunt,* Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalmus, Veníte, 2. *In cujus fine, locò* Glória Patri, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

In Eccleſia Cathedrali dicitur tantùm unum Nocturnum ſecundùm Feriam; id eſt, primum Nocturnum Feriâ ſecundâ & quintâ: ſecundùm Nocturnum Feriâ tertiâ & ſextâ. Tertium denique Nocturnum Feriâ quartâ & Sabbato. In aliis verò Eccleſiis pro conſuetudine locorum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Dírige.

Pſalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine,* intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ,* Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo;* Dómine manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in juſtítia tua, propter inimícos meos:* dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis,* ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle

eos, quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dírige in conſpéctu tuo viam meam. *v.* 9.

Ant. 8. G. Salvum me fac.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu Dómine úſquequo?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; * lavábo per ſíngulas noctes lectum meum: lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac, propter miſericórdiam tuam, quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî. *v.* 5. 6.

Ant. 8. G. Illúmina.

Pſalmus 12.

USquequo Dómine oblivíſcéris me in finem? * úſquequo avértis fáciem tuam à me?

Quándiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequo exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Prævälui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero; * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo; * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte. *v.* 4.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, ℟. Et ánimas

paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem. *Pſ.* 73. 19.

Pater noſter, &c. *ſecretò: deinde mediocri voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Benedictionibus, & ſine Titulo.

Lectio j. *Job c.* 7. 1. *ad* 8.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram; & ſicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut cervus deſíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui; ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes laborióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando conſúrgam? & rurſum expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris; cutis mea áruit, & contrácta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm à texénte tela ſucciditur, & conſúmpti ſunt abſque ulla ſpe. Meménto quia ventus eſt vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec aſpíciet me viſus hóminis.

In fine Lectionum non additur Tu autem, *nec quidquam aliud.*

℟. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum: * Et in carne mea vidébo Deum meum. *Job* 19. 25. 26. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem; & mortále hoc indúere immortalitátem. 1. *Cor.* 15. 53. * Et in carne.

Lectio ij. *v.* 16. *ad fin.*

PArce mihi, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Viſitas eum dilúculò, & ſúbitò probas illum. Uſquequo non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam ſalívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô cuſtos hóminum; Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetípſi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce, nunc in púlvere dórmiam: & ſi manè me quæſíeris, non ſubsíſtam.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium ut vídeant ſemper. *Dan.* 12. 2. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. *Joan.* 5. 29. * Evigilábunt.

Lectio iij. *c.* 10. 1. *ad* 7.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Nunquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & conſi-

ſium impiórum ádjuves? Nunquid óculi cárnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu vidébis? Nunquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum ſcrutéris? & ſcias quia nihil ímpium fécerim, cùm ſit nemo qui de manu tua poſſit erúere.

℟. Ego ad Dóminum aſpíciam, expectábo Deum ſalvatórem meum: * Conſúrgam cùm ſédero in ténebris. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec cauſam meam júdicet. *Mich.* 7. 7. 8. 9.
℣. Ipſe eſt qui conſtitútus eſt à Deo judex vivórum & mortuórum. *Act.* 10. 42. * Conſúrgam.

Quando unicum dicitur Nocturnum, Reſponſorium præcedens repetitur à principio uſque ad ℣.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. In médio.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es. *v.* 4.

Ant. 8. G. Delícta.

Pſalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confído, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervácuè.

Vias tuas Dómine demónſtra mihi; * & ſémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine, * & miſericordiárum tuárum, quæ à ſéculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu,* propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus :* propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício : * docébit mites vias ſuas,

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum eſt enim.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris. *v.* 7.

Ant. 2. D. Vide,

Diviſio Pſalmi 24.

QUis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt : * de neceſſitátibus meis érue me,

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me : * non erubéſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæſérunt mihi, * quia ſuſtinui te.

Líbera Deus, Iſraël * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Ant. Vide humilitátem meam, & labórem meum; & dimítte univérſa delícta mea. *v.* 18.

℣. In memória ætérna erit juſtus, ℟. Ab auditióne mala non timébit, *Pſ.* 111. 7.

Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos, &c.

Lectio iv. *Job c.* 10. 8. *ad* 12.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu : & ſic repéntè præcípitas me? Meménto quæſo quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me; óſſibus & nervis compegíſti me. Vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

℟. Deus meus, ne síleas à me : * Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me. *Pſ.* 27. 1. 3. ℣. Pars illórum erit in ſtagno ardénti, igne & ſúlphure. *Apoc.* 21. 8. * Ne ſimul.

Lectio v. *v.* 14. *ad fin.*

SI peccávi, & ad horam pepercíſti mihi; cur ab iniquitáte mea mundum me eſſe non páteris? Et ſi ímpius fúero, væ mihi eſt: & ſi juſtus, non levábo caput, ſaturátus afflictióne & miſériâ. Et propter ſupérbiam quaſi leænam cápies me, reverſúſque mirabíliter me crúcias. Inſtaúras teſtes tuos contra me, & multíplicas iram tuam advérsùm me, & pœnæ mílitant in me. Quare de vulva eduxíſti me? qui útinam conſúmptus eſſem ne óculus me vidéret. Fuíſſem quaſi non eſſem, de útero tranſlátus ad túmulum. Nunquid non paúcitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam paúlulùm dolórem meum: ántequam vadam, & non revértar, ad terram tenebróſam, & opértam mortis calígine; terram miſériæ & tenebrárum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempitérnus horror inhábitat.

℟. Non intres in judícium cum ſervo tuo, Dómine, * Quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2. ℣. Si juſtus vix ſalvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? 1. *Petr.* 4. 18. * Quia.

Lectio vj. *c.* 13. 23. *ad fin.*

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta, ſcélera mea & delícta oſténde mihi. Cur fáciem tuam abſcóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, oſténdis poténtiam tuam, & ſtípulam ſiccam perſéqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & conſúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuíſti in nervo pedem meum, & obſerváſti omnes ſémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideráſti: qui quaſi putrédo conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Manum tuam, Deus, longè fac à me, & * Formído tua non me térreat. Cur fáciem tuam abſcóndis? Contra fólium quod vento rápitur, oſténdis poténtiam tuam. *Job* 13. 21. 24. 25. ℣. Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis. *Hebr.* 10. 31. * Formído.

Quando unicum dicitur Nocturnum, Reſponſorium præcedens repetitur à principio uſque ad ℣.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Unam pétii.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas,

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt,

Si conſiſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium,* in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & viſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me:* & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis:* cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Ant. Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini. *v.* 4.

Ant. 4. E. Credo.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaúdi Dómine vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſívit te fácies mea: * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me; * neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me;* Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua; * & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum,* & ſúſtine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *v.* 13.

Ant. 8. G. Sitívit.

Pſalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam:* quóniam tranſibo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es ánima mea,* & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

:ipſum ánima mea
. eſt: * proptéreà
o tuî de terra Jor-
ſermóniim à monte

abyſſum invocat,*
taractárum tuárum,
xcélſa tua, & flu-
ſuper me tranſié-

nandávit Dóminus
iam ſuam, * & no-
m ejus.
e orátio Deo vitæ
:am Deo: Suſcép-
:s.
oblítus es mei? *
ontriſtátus incédo,
it me inimícus?
confringúntur oſſa
probravérunt mihi
int me inimíci mei:
cunt mihi per sín-
, * Ubi eſt Deus

ſtis es ánima mea,*
ontúrbas me?
Deo, quóniam ad-
ébor illi; * ſalutáre
i, & Deus meus.
ívit ánima mea ad
:em, vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *v.* 3.

℣. Tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, ℟. Uſque ad domum Dei. *Pſ.* 41. 5.

Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c.

Lectio vij.

Job c.16.23. & c.17.1. ad 3.

Ecce breves anni tránſeunt, & ſémitam per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & ſolùm mihi ſúpereſt ſepúlcrum. Non peccávi, & in amaritúdinibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me.

℟. Operi mánuum tuárum, Deus, pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti, ſed * Parce peccátis meis. *Job* 14.15.16. ℣. Deus, propítius eſto mihi peccatóri. *Luc.* 18. 13. * Parce.

Lectio viij. *v.* 11. *ad fin.*

Dies mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rurſum poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi; Pater meus es; mater mea, & ſoror mea vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea, & patiéntiam meam quis conſíderat? In profundíſſimum inférnum deſcéndent ómnia mea: putáſne ſaltem ibi erit réquies mihi?

℟. Dómine Deus meus in te ſperávi; ſalvum me fac, & * Líbera me; nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non eſt qui rédimat. *Pſ.* 7. 2. 1.

℣. Adverſárius tanquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret. 1. *Petr.* 5. 8. * Líbera me.

Lectio ix. *c.* 19. 20. *ad* 27.

PElli meæ, conſúmptis cárnibus, adhæſit os meum, & derelícta ſunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini? Quis mihi tríbuat ut ſcribántur ſermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte ſculpántur in ſílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum; & rurſum circúndabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum; quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius. Repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non abſórbeat me profúndum, neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. * Exaúdi me, quóniam * Benígna eſt miſericórdia tua.* Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. 19. ℣. Miſerére meî Dómine, fili David: Dómine ádjuva me. *Matt.* 15. 22. 25. * Exaúdi me. ℣. Dómine Deus, rex ſeculórum, ſolus pius es. *Apoc.* 15. 3. 4.* Benígna eſt. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo. *Apoc.* 5. 9. * Inténde. ℟. Líbera me.

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. 1. â. Secúndùm.

Pſalmus 50.

MIſerére meî Deus* ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me:

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci, * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me

Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua;* & ſpíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertɛ́ntur.

Líbera me de ſanguínibus Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries;* & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium, dedíſſem útique; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum Deus non deſpícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. Secúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum dele iniquitátem meam. *v.* 3.

Ant. 8. G. Exaúdi.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaúdi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis: * paráſti cibum illórum, quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaúdi oratió-

meam; ad te omnis caro véniet. *v.* 3.

Ant. 8. G. Propter nomen tuum.

Pſalmus 142.

DOmine exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua, * exaúdi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo, * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam;

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſǽculi,* & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus, in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis, * & in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me Dómine, * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me, * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis* Dómine, ad te confúgi :* doce me fácere voluntátem tuam; quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam:* propter nomen tuum Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos;

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Propter nomen tuum Dómine, vivificábis me. *v.* 11.

Ant. 3. c. Miſerére.

Canticum.

Baruch 3. 1. *ad* 6.

DOmine omnípotens, Deus Iſraël, * ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius, clamat ad te:

Audi Dómine, & miſerére, quia Deus es miſéricors, & miſerére noſtri; * quia peccávimus ante te.

Quia tu ſedes in ſempitérnum, * & nos peribimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Iſraël, * audi nunc oratiónem mortuórum Iſraël,

Et filiórum ipſórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei ſui, * & agglutináta ſunt nobis mala.

Noli meminíſſe iniquitátum patrum noſtrórum, * ſed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto;

Quia tu es Dóminus Deus noſter; * & laudábimus te Dómine.

Ant. Miſerére noſtrî; quia peccávimus ante te. *v.* 2.

Ant. 7. b. Omnis.

Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ;* laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. *v.* 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. ℟. Ego ſum reſurréctio & vita: qui credit in me, etiámſi mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11. 25. 26.

Kyrie eléïſon. Christe eléïſon. Kyrie eléïſon. *ſecretò*, Pater noſter. *Deinde mediocri voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Clamávi ad te Dómine; dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Pſ.* 141. 6.

℣. Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confitĕndum nómini tuo; ℟. Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. *Pſ.* 141. 8.

℣. Cuſtódi ánimam meam; & érue me: ℟. Non erubéſcam, quóniam ſperávi in te. *Pſ.* 24. 20.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

In depoſitione Pontificis, Orémus. *Oratio.*

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Pontificáli feciſti dignitáte vigére; præſta quæſumus, ut eórum perpétuo aggregétur conſórtio; Per Dóminum noſtrum.

In depoſitione Sacerdotis, *Oratio.*

PRæſta, quæſumus Dómine, ut ánima fámuli tui N. Sacerdótis quem in hoc ſéculo commorántem, ſacris munéribus decoráſti, in cœléſti ſede glorióſa ſemper exultet; Per Dóminum.

In depoſitione Defuncti non Sacerdotis, *Oratio.*

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam ſúpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui N. quam

hoc ſéculo migráre juſsiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe conſórtem; Per.

In depoſitione Defunctæ,
Oratio.

QUæſumus Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ N. & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum.

In Anniverſariis,
Oratio.

DEus indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. cujus anniverſárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; [Per Dóminum.]

In primo Anniverſario dicitur tantùm prædicta Oratio; in aliis adduntur duæ ſequentes ſub eadem concluſione.

Pro Benefactoribus.

DEus véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor; quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beátâ Maríâ ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis conſórtium pervenire concédas.

Pro omnibus Defunctis.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs-ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.
℟. Amen.
℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

Pro pluribus Defunctis, *Oratio.*

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere; propitiáre animábus famulórum famularúmque tuárum, & ómnia eórum peccáta dimítte; ut mortalitátis vínculis abſolútæ, transíre mereántur ad vitam; Per Dóminum.

Privatim pro defunctis Patre & Matre, *Oratio.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepíſti; miſerére cleménter animábus patris mei ac matris meæ, eorúmque peccáta dimítte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum.

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur quinque primi Pſalmi ſine Glória Patri, *ſed in fine ultimi dicitur,* Réquiem ætérnam, &c.

Inchoantur abſolutè ſine Antiphona Pſalmi, Ad Dóminum cùm tribulárer, 43. Leváví óculos, 43. Lætátus ſum, 59.

Ad

Ad te levávi, 59. Niſi quia Dóminus, 60.

In fine dicitur, Réquiem ætérnam dona eis Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus, Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Convértere Dómine, úſquequo? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ABſólve, quæſumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória, inter Sanctos & eléctos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur ſequentes alii quinque Pſalmi abſolutè; & in fine cujuſlibet dicitur, Glória Patri.

Pſalmi, Qui confídunt, 60. In converténdo, 60. Niſi Dóminus, 76. Beáti omnes, 77. Sæpe expugnavérunt, 77.

Deinde dicitur flexis genibus, Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur ſequentes quinque Pſalmi, cum Glória Patri, *in fine cujuſlibet.*

Pſalmi, De profúndis, 77. Dómine non eſt exaltátum, 77. Meménto Dómine, 93. Ecce quàm bonum, 94. Ecce nunc benedícite, 144.

Deinde dicitur flexis genibus, Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon. Pater noſter, &c. *ſecretò*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Deus ómnium, miſerére plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36 14.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor

meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum;

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

PRætende, quæſumus Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póſtulant, cónſequi mereántur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

ITINERARIUM.

VIator, in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari; ſi cum ſociis, in plurali, ut ſequitur.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, 12.

Ant. In viam pacis & proſperitátis dírigat nos omnípotens & miſéricors Dóminus: & Angelus Ráphaël comitétur nobíſcum in via, ut cum pace, ſalúte, & gáudio revertámur ad própria.

Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos ℟. Deus meus ſperántes in te. *Pſ.* 85. 2.

℣. Mitte nobis Dómine auxílium de ſancto, ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 2.

℣. Eſto nobis Dómine turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis, ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie: ℟. Próſperum iter fáciat nobis Deus ſalutárium noſtrórum. *Pſ.* 67. 20.

℣. Vias tuas Dómine demónſtra nobis; ℟. Et ſémitas tuas édoce nos. *Pſ.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas! *Pſ.* 118. 5.

℣. Erunt prava in diréćta, ℟. Et áſpera in vias planas. *Iſai.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te, ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui filios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire feciſti, quique Magis iter ad te ſtellâ duce pandiſti; tríbue nobis, quæſumus, iter próſperum, tempúſque tranquíllum; ut, Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes

ſuæ peregrinatiónis vias illæſum cuſtodíſti; quæſumus, ut nos fámulos tuos cuſtodíre dignéris: eſto nobis Dómine in procínctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præſídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, próſperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADéſto, quæſumus Dómine, ſupplicatiónibus noſtris: & viam famulórum tuórum in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo ſemper protegámur auxílio.

PRæſta quæſumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incédat; & beáti Joánnis præcurſóris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædíxit, ſecúra pervéniat, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini. ℟. Amen.

LITANIÆ.

In honorem beatæ Mariæ virginis, è ſacris Scripturis deſumptæ.

KYrie eléïſon.
Chriſte eléïſon.
Kyrie eléïſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus-ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Mater Chriſti, *Matt.* 1. 16. Ora pro nobis.
Mater, virgo pérmanens, *Matt.* 1. 18. Ora pro nobis.
Múlier cónterens caput ſerpéntis, *Gen.* 3. 15. ora.
Múlier amícta ſole, *Apoc.* 12. 1. ora.
Terra gérminans Salvatórem, *Iſai.* 45. 8. ora.
Rubus ardens incombúſtus, *Exod.* 3. 2. ora.
Vellus Gedeónis cœléſti rore perfúſum, *Judic.* 6. 38. ora.
Hortus conclúſus, *Cant.* 4. 12. ora.
Fons ſignátus, *Cant.* 4. 12. Ora pro nobis.
Tabernáculum Dei cum homínibus, *Apoc.* 21. 3. ora.

Domus majeſtátis Dómini glorificáta, *Iſai.* 60. 7. ora.

Virgo, Prophetárum oráculis prænuntiáta, *Iſai.* 7. 14. ora.

Virgo auróra conſúrgens, *Cant.* 6. 9. ora.

Virgo pulcra ut luna, *Cant.* 6. 9. ora.

Virgo eléčta ut ſol, *Cant.* 6. 9. ora.

Virgo novi fœderis arca, *Exod.* 25. 21. ora.

Virgo cujus humilitátem reſpéxit Deus, *Luc.* 1. 48. ora.

Virgo grátiâ plena, *Luc.* 1. 28. ora.

Virgo benedícta in muliéribus, *Luc.* 1. 28. ora.

Virgo in quam ſupervénit Spíritus-ſanctus, *Luc.* 1. 35. Ora pro nobis.

Virgo Altíſſimi virtúte obumbráta, *Luc.* 1. 35. ora.

Virgo concípiens de Spíritu-ſancto, *Matt.* 1. 18. ora.

Virgo páriens Emmánuël, *Matt.* 1. 23. ora.

Virgo quæ te ancíllam Dómini conféſſa es, *Luc.* 1. 38. ora.

Sancta María de qua natus eſt Jeſus, *Matt.* 1. 16. ora.

Sancta María legi Purificatiónis ſponte ſúbdita, *Luc.* 2. 22. ora.

Sancta María filium in dolóre tríduò quærens, *Luc.* 2. 46. ora.

Sancta María filium in templo cum gaúdio invéniens, *Luc.* 2. 46. ora.

Sancta María cui ſúbditus eſt Jeſus, *Luc.* 2. 51. ora.

Sancta María ſtans juxta crucem filii moriéntis, *Joan.* 19. 25. ora.

Sancta María in paſſióne filii, dolóris gládio transfixa. *Luc.* 2. 35. ora.

Tu glória Jerúſalem, *Judith* 15. 10. ora.

Tu lætítia Iſraël, *Judith* 15. 10. ora.

Tu honorificéntia pópuli noſtri, *Judith* 15. 10. ora.

Te beátam dicent omnes generatiónes, *Luc.* 1. 48. Ora pro nobis.

Tu eris benedícta in ætérnum, *Judith* 15. 11. ora.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaúdi nos.

℣. Vultum tuum deprecabúntur ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44. 13.

Oratio.

Beátæ & glorióſæ ſempérque vírginis Maríæ, quæſumus Dómine, interceſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Explicit Pars Autumn. Breviar. S. Eccl. Antiſſiod.

INTONATIONES, MEDIATIONES, ET TERMINATIONES

Pſalmorum & Canticorum, ſecundùm cujuſque Modi ſeu Toni differentias, cum Neumatibus.

INtonatio in Pſalmis adhibetur tantùm ad primum verſum, reliqui verſus à Nota Dominante in directum reſumuntur; in Canticis verò Benedictus *&* Magnificat, *ſinguli verſus inchoantur ut ſecundus* Et erexit, Et exultavit.

Mediatio fit in omnibus verſibus ut in primo, niſi ſit dictio monoſyllaba, vel Hebræa non declinata. In Canticis verò fit ut aſſignatur pro ſecundo verſu.

Terminatio in omnibus verſibus tum Canticorum quàm Pſalmorum ſemper eadem eſt ac in primo verſu.

Terminationes per litteras alphabeticas a, b, c, d, e, f, g, *deſignantur: quæ litteræ Notis cantûs reſpondent hoc modo:*

a	b	c	d	e	f	g
la	ſi	ut	re	mi	fa	ſol

Cùm autem plures ſint Terminationes; ut clarè diſtinguantur, diverſos adhibemus characteres; majuſculos ſcilicet pro deſignandis Terminationibus completis, minuſculos pro incompletis. Completæ dicuntur quæ deſinunt in eadem chorda quâ deſinunt Antiphonæ ejuſdem modi; ſecus, dicuntur Incompletæ.

Cùm etiam plures de Terminationibus tam de completis quàm de incompletis diverſimodè in eadem chordà deſinant, ut diſtinguantur, characteribus Romano & Italico utimur: quibus etiam non ſufficientibus, Aſteriſcos, vel alios characteres addimus, ut videntur in Tabula ſequenti.

Notandum autem, 1°. omnes verſus in hac Tabula poſitos

in exemplum adduci modulationis obſervandæ in variis caſibus Intonationum, Mediationum & Terminationum. Sic in aliquibus, dictiones Sion *&* Jacob *indicantur longæ quantitatis in prima ſyllaba, ut idem judicium de ſimilibus feratur. Sic etiam in quibuſdam, dictiones* Iſraël, David, *quæ ſunt Hebrææ indeclinatæ, & dictiones* ſum, eſt, me, fac, *quæ ſunt monoſyllabæ, habent cantum ſpecialem & incompletum, ut hinc de ſimilibus judicetur. Sic pariter voces* Credidi, Domine *pro initio Intonationis poſitæ ſunt, ut inde liqueat quomodo in ſyllabis brevibus ordinanda ſit Intonatio: & voces* Judica me, Eripe me *pro regula Intonationis in eo caſu quo duæ ſyllabæ pronuntiatione breves monoſyllabam præcedunt. Sic tandem in exemplum Mediationis de tertio & ſeptimo Modo hic affertur Pſ.* Laudate Dominum de cœlis; *& in exemplum Terminationis de quinto & ſeptimo Modo hæ voces* ſecundùm verbum tuum in pace.

Notandum 2°. in Officio Defunctorum omnes Pſalmos & Cantica incipi ſine modulatione Intonationis, ſed in directum; & in Canticis mediationem fieri ut in Pſalmis. Ita etiam in Feriis & Feſtis Simplicibus quantùm ad Pſalmos, niſi aliter notetur.

DE NEUMATIBUS.

In omnibus Feſtis ac Dominicis cujuſvis gradûs, & diebus Ferialibus, Neuma fit tantùm in fine ultimæ Antiphonæ Veſperarum, cujuſque Nocturni, & Laudum; poſt Antiphonas Canticorum Evangelicorum; in fine Antiphonæ Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Completorii; & in fine Antiphonæ Cantici Nunc dimittis.

Poſt Antiphonas ex ſupradictis quæ duplicantur, non fit Neuma, niſi cum pro ultima vice cantatæ ſunt.

Fit etiam Neuma in fine Te Deum.

In quacumque Commemoratione non fit Neuma in fine Antiphonæ.

Die Nativitatis Domini, Te Deum, *& Antiphonæ Laudum terminantur ſine Neumate.*


A Feria quinta in Cœna Domini ad Nonam Sabbati Hebdomadæ Paſchæ incluſivè, nullum fit Neuma poſt Antiphonas. Quod & obſervatur in Officio Defunctorum.


I. MODUS *ſeu* TONUS.




In Canticis Evangelicis primi Modi, intonatio & mediatio fiunt ut in Pſalmis.










Pſalmodia primi toni per D*. *deſignati, etiam pro Canticis Evangelicis.*











ne- dictus... I-ſra ël. * Magni- ficat *




a-nima me-a Dominum. Qui potens




eſt. * D*


Neuma ſeu Jubilum primi Modi.




II. MODUS.



Quare fremue-runt gentes. * Credidi....





locu-tus ſum. D.





D.


In Canticis Evangelicis.














Neuma ſecundi Modi.




Per Hebdomadam Paſcha, ad Horas minores.





g.


III. MODUS.



Lauda- te Dominum omnes gentes. * Do-
minus regnavit decorem indutus eſt. *
Lauda- te Dominum de cœlis. * E-ri-
pe me. c. a.
g. g.
a. E.




In Canticis Evangelicis.









Neuma tertii Modi.




IV. MODUS.







di.... locu-tus ſum. * a.




E. E.




f. d.




Hæc ultima Terminatio adhibetur tantùm in Canticis Evangelicis, cum cantu ſequenti.




Bene-dictus...Deus Iſra-ël. * Et e-rexit



cornu ſa-lu- tis no-bis. * Magni- ficat. *




Et e- xultavit ſpi- ri- tus me- us. *




E.


In Canticis Evangelicis.



Bene- dictus Dominus Deus I-ſra ël. *




Magni- ficat.* Et e-xultavit ſpi- ritus




meus.


Neuma tertii Modi.




IV. MODUS.




Dixit Dominus Domino me-o. * Credi-




. di . . . . locu-tus ſum. * a.




E. E.




f. d.




Hæc ultima Terminatio adhibetur tantùm in Canticis Evangelicis, cum cantu ſequenti.



Bene- dictus...Deus Iſra-ël. * Et e- rexit




cornu ſa-lu- tis no- bis. * Magni- ficat. *




Et e- xultavit ſpi- ri- tus me- us. *

Neuma quarti Modi.




IV. Modi *ſpecies altera, vulgò dicta*


IV. IRREGULARIS.



Dixit Dominus Domino meo. * Deus




in nomine tu-o ſalvum me fac. *




c. A.


In Canticis Evangelicis.



Bene- dictus ... Iſraël.. * Et e- re-xit




cornu ſalu- tis no- bis. * Magni- ficat. *



Et e- xultavit ſpi- ri-tus me-us. *


Neuma quarti Modi irregularis.




V. MODUS.




In Canticis Evangelicis fit ut in Pſalmis.






e-xultavit ſpi-ri-tus me- us.




F.

Neuma quinti Modi.




VI. MODUS

In utraque ſpecie.




Lauda-te pu-e-ri Dominum.*Credidi




propter quod locutus ſum.* F. *vel* C.

Cantica Evangelica in F *vel* C *cantantur omnino ut Pſalmi.*


Alius cantus pro Canticis Evangelicis in F. vel C.



Magni- ficat * a-nima me- a Domi-




num. Et e- xulta-vit ſpi-ri-tus meus. *




F. vel C.


Neuma ſexti Modi.




VII. MODUS.




Lauda-te Dominum de cœ-lis. *




Credidi ... locu-tus ſum. *Nunc di-mittis....




ſecundùm verbum tuum in pa-ce.



d. d.




b. c.




a.


In Canticis Evangelicis.




Bene- dictus Dominus Deus Iſra-ël. *



Et e-rexit cornu ſa-lutis no-bis.*





Magni- ficat.* Et e-xultavit.



G.

Neuma ſeptimi Modi.






VIII. MODUS.




In Canticis Evangelicis.









Neuma octavi Modi.





Et e-xultavit ſpi- ri-tus me- us. *



G.*

Neuma octavi Modi.

